Hi 9585

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

34753

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

NOVA
ACTA
ERUDITORUM,
ANNO
MDCCL
publicata.

Cum S. Cæſareæ Majeſtatis & Regis Pol. atque Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,

Proſtant apud B. LANCKISII hæredes & MICH. BLOCHBERGERUM.

Venduntur etiam Romæ apud PAGLIARINOS, Venetiis apud JO. BAPT. ALBRIZZIUM & SEBAST. COLETUM, Pariſiis apud BRIASSONIUM, Ultrajecti apud JO. BROEDELETUM, Lugduni Batavorum apud SAM. LUCHTMANSIUM, & Amſtelodami in WAESBERGIORUM hæredum officina.

LITERIS FRID. GOTTH. JACOBÆERI.

Digitized by Google

Digitized by Google

Lectori Salutem!

Varia & diverſa ſunt hominum, etiam eorum, qui de literis exiſtimandi facultate pollent, de tali laborum genere, quale hoc noſtrum eſt, judicia: aliis doctarum Ephemeridum, quibus omnem illi contineri ſcientiarum artiumque velut ſummam putant, ita lectioni deditis, ut, has unas ſi legant, nec ſuis unquam manibus deponant, facile carere ſibi poſſe ceteris, quicunque veros nobis ſapientiæ certosque fontes aperiunt, & ex merito commendari ſtudioſis literarum ſolent, libris videantur; aliis contra ab his Muſæ noſtræ otiis, atque adeo ab omni literariæ hiſtoriæ cognitione, ita toto animo averſis, ut tanquam ad fæcem librorum rejiciendos rerum inter eruditos geſtarum annales putent, &, qui in ſcribendis his occupantur, vix illis inter mediocriter doctos locum concedant; aliis denique inter laudandum ac vituperandum ita juſtum quendam modum tenentibus, ut, quæ arti cuique ac doctrinæ ſunt ad-

Digitized by Google

junctæ, utilitatibus perſpectis, honorem & nobis noſtrum, & aliis ſuum, decernant. In tanta opinionum diverſitate quæ ſit potior ceteris, & aſſenſu dignior, is demum non videt qui ſuo rem quamque æſtimare pretio non didicit, et vulgi, rem eandem pro ingenio ſuo aut immodicis laudibus in cœlum efferentis, aut inſano contemtu proſequentis, ipſe morem ſequitur. Qui ſimus, & quo inter artis Apollineæ alumnos loco habendi, adeo nos non fugit, adeo nec publice, nec privatim, diſſimulamus ipſi, ut, ſi quis omnium rerum imperitus homo in magna illa doctiorum republica faſces nobis conſulares, aut in lectiſſimo ſapientiorum exercitu imperatoria inſignia, decernat, non minus is nobis videndus, quam, qui ultimo gregariorum militum numero nos adſcripſerit, caſtigandus, videatur. Non literarum nos quoddam quaſi regnum affectamus, non, in ſuprema omnium ſcientiarum arce poſiti, crudelem hinc in totum, quaqua patet, orbem literatum tyrannidem exercemus, non capiti noſtro laureas, aut coronas, poſcimus, una hac, eaque maxime nobis expetenda, forte contenti, ſi effeciſſe noſtro ſtudio, & nunc etiam efficere, ut melius lætiusque bonæ floreant literæ, dicamur. Eam ſi nobis laudem æquior aliquis rerum æſtimator tribuat, non habebimus, cur, minus nobis tribui, quam ſit ex noſtro merito, queramur, nec tot aliis, multo nobis in ſtudio literarum excellentius verſatis, inſignia ſua decora, ſuam gloriam, ſua meritiſſima ſubſellia, invidebimus. Sunt autem nobis iſtam exſpectandi ſperandique laudem, hoc certiores juſtioresque cauſæ, quo majoris intereſſe, dudum conſtat, omnium eorum, qui ſublimiorem doctrinam conſectantur, veritatum, recens inventarum, & origines, & incrementa noſſe, nec, quibus in omni eruditione ducibus & magiſtris ſit utendum, quid boni ſecum ſcriptor quisque novus ferat, qua ille ex parte amplectendus ſit, qua cavendus, ignorare. Ad unum nempe hoc caput, quicquid eſt partium noſtrarum, redit, ut, ſive qui legendi præ ceteris, ac publico condecorandi plauſu, ſint ſcriptores, ſive qui objiciendi penitus, & humano excludendi commercio, eos omnes,

dili-

diligenter exploratos, digito oſtendamus his, qui, ne, falſa opinione accepti, ſuis male ſtudiis conſulant, doceri id ipſum cupiunt &, poſſe ſe, confidunt, in re tali melius a nobis, quam ab alio quoqnam, erudiri. Atque hoc inprimis nos a multis inde annis non egimus tantum, ſed ita etiam, quantum in nobis eſt, egimus, ut & noſtrum undecunque colligendi nova quæque ſtudium, & in his pro dignitate æſtimandis fidem, civibus æque noſtris ac ipſis exteris probaremus, nec quisquam illorum aut aliena juſto liberalius laudata, aut ſuis minorem merito honorem tributum, diceret. Nam, quod ex illo genere hominum, cui tributariæ literati ordinis crumenæ ſunt, non defuerant ita ſordidi, ita ingenio moribusque ruſtici, ita ad furorem usque feroces & intolerabiles, ut, quæ rei ſuæ familiari, eadem literis a nobis vulnera inflicta clamitarent, &, ſi quid in his, qui ſuæ officinæ mercenariam præſtarent operam, vel modeſtisſime notatum eſſet, non erubeſcerent injuriam id capitalem, & vix ſanguine expiandum facinus, interpretari, hinc ſibi tuto capi poſſe non conviciandi tantum atrocisſime, ſed malitioſe etiam calumniandi, materiam, nihil dubitantes; id, nemo eſt, qui tale putet, quod curari a nobis debeat. Inſaniendo igitur jucundum illos populo ſpectaculum facere, & ex Panduris, Waradinis, Raitziis horridisſimis vel ipſo nomine nationibus, integras legiones ad nos perdendos conducere, hoc æquiore animo feremus, quo minorem ſcimus in illorum telis & mucronibus, ſi noſtris armis hebetentur, ad nocendum vim ineſſe. De ſapientiorum, quibus nec ſenſus durior, nec obtrectandi, aut turpioris quæſtus, cupiditas, aciem oculorum obtundit, unice judicio laboramus, hos nobis amicos & benevolos, hos noſtris ſtudiis faventes, & cupimus vehementer, &, ſummo noſtro gaudio, nunc maxime habemus. Quæ ut certa nobis eſſet ac perpetua felicitas, adſciti ſunt in ſocietatem noſtram, vel ipſa antiquitate venerabilem, non in hoc vitæ genere novi homines, non in tali opere verſari negligenter ſoliti, non ingenio & natura ſive ad conni-

Digitized by Google

vendum nimis faciles, ſive in monendo moroſi & auſteri nimis, ſed adultæ & ætatis. & doctrinæ, Viri, ſed a partium ſtudio, quæ magna ingeniorum peſtis eſt, alieniſſimi, ſed tanquam in Areopago quodam, clauſis oculis, & obfirmatis animis, ſedentes. Tales nempe, ex communi eorum, quibus legimur, confeſſione, ſuperior ætas judices nos habuit, tales etiam deinde iis omnibus ſpondemus, qui ſuæ a nobis teſtimonium aut eruditionis, aut ſaltem induſtriæ, exſpectant. His, ſi recte diligenterque actorum ſibi conſcii, de ſe ferri ſententiam poſtulaverint, nunquam erit formidabile tribunal noſtrum, ſed, quæ virtuti ac meritis deberi nemo non agnoſcit, certisſime laborum ſuorum præmia, plauſus nempe noſtros & congratulationes, ferent. Ceteris autem omnibus, quibus, inutilem nobis mercem venditare, & Apollinis ſacra illotis manibus tractare, & inficetis nugis noſtrum ordinem dehoneſtare, in magna laude ponitur, ſi caſtigari noſtra ferula recuſent, & ſeveriores ferre admonitiones haud posſint, id, pro humanitate noſtra, conſilii damus, ut mature ſibi a pruritu ſcribendi, &, quod idem eſt penes illos, magnos ineptiarum acervos exſtruendi, temperent, nec ad menſam ſuam invitatis pesſimi ſaporis fercula, offas male coctas, dentibus ſatales, cruditatibus implentes ſtomachum, apponant.

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Januarii Anno MDCCL.

TERRÆ MUSEI REGII DRESDENSIS, QUAS digeſſit, deſcripſit, illuſtravit, D. CHRISTIANUS GOTTLIEB LUDWIG. Accedunt Terrarum ſigillatarum Figuræ.

Lipſiæ, ex officina libraria Jo. Frid. Gleditſchii, 1749, fol. maj. Alph. 3 plag. 12, Tabb. æn. 12.

Augeri ſcientias, & læta capere incrementa liberales artes, ſi Principum cura ſuffulciuntur, præter innumera, quæ recenſeri hic poſſent, exempla, felix ſub Auguſtiſſimo patriæ patre demonſtrat Saxonia. Cum enim paternus indulgentiſſimi Regis in ſubditos amor ſequaces egentis Minervæ cohortes clementer protegat atque ſuſtentet; fieri non poteſt, quin bonæ literæ penes nos floreant, ipſum vero, cui potenti præ reliquis adjutore opus eſt, Hiſtoriæ naturalis ſtudium indies creſcat & perficiatur. Effuſæ munificentiæ teſtes nominamus ampliſſimum rerum, quas natura dedit, theſaurum, qui, Dresdæ conditus, ex potentiſſimi Regis voluntate conſervatur non ſolum, ſed præſtantiſſimis etiam & ſumtuoſis corporum naturalium collectionibus adaugetur. Sed, cum ſacra hæc penetralia adeundi non cuilibet dari facultas ſoleat, optimi Principis juſſu ſat pretioſæ ſplendidi Muſei Regii partes deſcriptæ, & cum ſedulis naturæ indagatoribus communi-

Digitized by Google

municatæ, jam proſtant. Sex, & quod excurrit, elapſi ſunt anni, ex quo nitidam Succinorum, ex clementiſſimi Regis voluntate a *Sendelio* elaboratam, Hiſtoriam indicavimus. In eo nunc ſumus, ut ex iisdem Auguſtorum cimeliis depromtas, & a Celeberrimo *Ludwigio* illuſtratas, terras, regio ornatu condecoratas, jamque typis exſcriptas, in Annalibus noſtris plenius commemoremus. Contigit huic Hiſtoriæ naturalis parti, quod plerisque non ſatis adhuc declaratis doctrinis accidere videmus, ut a parvis initiis ad inſignem perfectionis gradum pervenerit. Circa finem Seculi XVII *Jo. Paulo Wurffbainio*, Norimbergenſi Medico, animus erat, librum de ſigillatis terris conſcribere, cujus operis ideam in *Ephemer. Nat. Curioſ. Dec. II An. VIII.* in *Append. pag. 123.* proponebat quidem, ſed quinque tantum, de varia vocabuli, terra, ſignificatione conſcripta, Capita, dum fatis cederet, in adverſariis ſuis reliquerat. Quæ cum ita eſſent, *Aug. Quir. Rivinus*, clarus olim apud nos Medicinæ Profeſſor, eandem materiam pertractandam ſibi ſumſit; hinc, ut opus ſuſceptum perficeret, varios de terris conſuluit Autores, collegit, quæcunque notatu digna ſibi videbantur, ſuas animadverſiones ſubjunxit, & viginti circiter, quæ ſigillatarum terrarum imagines exhibent, tabulas jam exaratas habuit, quæ cuncta, poſt ejus obitum juſſu Divi *Auguſti*, ſimul cum glebis collectis, emta ab hæredibus, in Regium Muſeum, tanquam in fundum, repoſita, & ſimul cum acquiſitis *Wurffbainianis* ſchedis in eo aſſervata fuere. *Riviniana* hæc dicta æque ac *Wurffbainiana* adverſaria Illuſtris *Heucherus*, qui Regii, dum viveret, Muſei curam habuit, in meliorem ordinem diſpoſita, ex Auguſtiſſimi Regis voluntate, ut ederentur, cum Clariſſimo *Ludwigio*, quem optime jam de vegetabilium naturali hiſtoria meritum cognoverat, communicavit. Sed, cum hic laudatiſſimus vir, niſi crudæ prius terræ ad methodi normam exigantur, ne ſigillatas quidem glebas ex imperfectis his ſchedis illuſtrari poſſe, probe perſpiceret, hujus, quod nunc feliciter perfecit, operis adumbratam delineationem Illuſtri

luſtri *Heuchero* propoſuit, qui cœptis his in Hiſtoriæ naturalis commodum laboribus non ſolum favit, ſed, præter ſigillatas, omnes quoque crudas terras e ſcriniis Muſei Regii *Ludwigio* noſtro tradidit, ex quarum, & aliarum quoque, ex diſſitis locis conquiſitarum, glebarum ulteriori inveſtigatione præſens, *de Terris* inſcriptum, opus enatum conſpicimus. Illud in *ſex Capita*, velut in penſa, diviſit Celeberrimus Autor, quorum ſummam hic loci exponemus.

Caput primum ea continet, quæ ad univerſam terræ notionem pertinent. Terram, cujus vocis originem, & varium ſignificatum, diverſimode explicant Philologi, exinde, quod omnibus corporibus præbeat materiem, pro Dea olim a gentibus habitam, ob fertilitatem potiſſimum & alios, quos in domeſticæ rei adminiſtratione præſtat, uſus inveſtigatam fuiſſe, certum eſt. Nec deſunt penes Ægyptios, Græcos, Romanos, & alios, veſtigia, quæ, medicas terras inventas ab iis & uſurpatas fuiſſe, produnt. Ex recentioribus *Jo. Montanus* & *Bertholdus* Oſſitienſis, ut primi nominandi ſunt, qui Seculo XVI Europæas & patrias potiſſimum terras medicinæ cauſa perquiſiverunt. Ut propius deinde ad intimam terrarum naturam cognoſcendam accederet Celeberrimus Autor, elementaris, ſeu primigeniæ, terræ notionem proponit, *Beccherum* præ reliquis in ea explicanda ſecutus, utpote qui ſubtiliter admodum philoſophatus, triplicem eam eſſe, dixerat, vitreſcentem nimirum, inflammabilem, & mercurialem, licet earum ultima fixas, quæ terris propriæ ſunt, partes non habeat, nec terræ nomine indigitanda ſit. Pag. 1. 10.

In *Capite ſecundo* genera terrarum conſtituta inveniuntur. Terras matricem quidem præbere mineralibus corporibus, & mixtionem eorum ingredi, in ſuis tamen primordiis, velut principia, conſideratas, ad methodi leges revocari non poſſe, cum cognoſceret Clariſſ. *Ludwigius*, ad externas earum affectiones perſpiciendas acceſſit. Præfixam ſibi hanc metam ut attingeret, multo labore ex præſtantiſſimis Autoribus eas collegit ideas, quas cum diverſis terrarum appellationibus con- 16.

Digitized by Google

junxerant, & ipſas deinde terras cum aliis, ad mineralium potiſſimum claſſem pertinentibus, corporibus comparavit. Operoſe quæſitis his adminiculis inſtructus, & veras, quæ terris propriæ ſunt, notas invenit, & ipſam terræ definitionem, quatenus illa ab aliis foſſilibus diſcrepat, eruere valuit. A reliquis vero corporibus naturalibus terra in eo differt, quod friabilis ſit, aquæ admixta, eandem inquinet, &, leniore igne tractata, non fundatur. Poſt confirmatas has terræ affectiones, ſequentem in modum eandem definit. Eſt, inquit, corpus naturale, foſſile, quod in pollinem conteritur, & mediante aqua in paſtam vel tenacem, vel rariorem, reducitur, in hac vero & liquoribus analogis non intime quidem diſſolvitur, ita tamen in eorum interſtitiis hæret, ut turbidi & inquinati evadant, & in eo, qui alia foſſilia facile mutat, ignis gradu perſiſtit. Limites deinde, qui terras ab aliis mineralibus diſtinguunt, ut eo certiores exſtant, alia foſſilia cum terris comparando, eam indicat differentiam, quæ arenas, lapidibus, & variis ejus ſpeciebus, ſalibus porro, corporibus inflammabilibus, nativis, vel in mineris adhuc nitulantibus, metallis, ſemimetallis denique, cum terris intercedit, communes deinde recenſet horum corporum affectiones, & exponit rationes, ob quas ſalinæ ſic dictæ, nec non inflammabiles & ochraceæ terræ, catalogo terrarum annumerandæ ſint. Ad notas quod attinet, quæ ipſas crudas terras inter ſe diſcrepare faciunt, illæ, præter id, quod difficilius longe in mineralibus corporibus, quam in animalibus & vegetabilibus, detegi & definiri poſſint, ex varia tantum terrarum ſuperficie & materiei indole, ſenſuum ope deſumendæ ſunt. Cum vero non ſemper diſtincti ſatis exhiberi queant characteres, tria in genere de terris notanda eſſe, monet Celeberrimus Autor: 1) Affinitatem quandam terras intercedere, quæ in methodo conſtituenda nonnullas earundem ſpecies dubias reddat; 2) dari tranſitum ex uno genere ad aliud, ex accedentibus cauſis provenientem; 3) Terras conſiderandas eſſe, vel prout in naturali ſede ſe habent, vel prout in muſeis aſſervantur. His poſitis, eas recenſet terrarum diviſiones,

Pag. 20.

ſiones, ſecundum quas illæ a loco natali, vel a poſitu diverſo in ſuperficie ſoli, vel in ſtratis, in venis denique & commiſſuris ſaxorum, & a vario uſu, ordinantur; ab aliis in ſimplices & compoſitas, continuas & interruptas, puras & impuras, aut, Chemicorum more, in vitreſcentes, calcareas, & apyras, vel in alcalinas, gypſeas, argillaceas, & vitreſcibiles, diſpeſcuntur. Omnes tamen has indicatas diſtinctiones, quæ ſpeciebus tantum & varietatibus enumerandis inſerviunt, ad genera terrarum, in Hiſtoriæ naturalis commodum, conſtituenda adhiberi non poſſe, optime docet. Ipſe vero primam, ſeu ſummam diviſionem ex terræ in antecedentibus explicata definitione petit, & terras in genuinas, dubias, & ſpurias, diſtinguit. Genuina terra in aqua ſemper diſſolvitur, & in paſtam plus minus tenacem abit, dubia vero in aqua non diſſolvitur, & raſa tantum in paſtam magis, vel minus, tenacem redigitur, terræ genuinæ inſtar cohærentem; ſpuria denique alia terræ ſimilia corpora ſub ſe comprehendit. Præter eas, de quibus nunc diximus, notas, alii adhuc ſuperſunt characteres, qui vel in generibus conſtituendis, vel in ſpeciebus ordinandis, vel in varietatibus tandem deſignandis, obſervari debent; ita enim terræ raræ, vel denſæ, duræ, vel molles, compactæ, vel poroſæ, ponderoſæ, aut leves, macræ, aut pingues, ſeu, quod idem eſt, læves & ſiccæ, quæ iterum in molles & aſperas dividuntur, ſiticuloſæ denique, vel non ſiticuloſæ, inveniuntur; aliæ digitos inquinant, lineas ducunt, *tenaces ſunt, linguæ adhærent, efferveſcunt* cum acidis, vel una alterave *harum* proprietatum deſtituuntur. Ultimo denique loco, quid ſapor & odor in dijudicandis terrarum affectionibus commodi præſtet, & in quantum ad colores earum in ſpeciebus ordinandis attendendum ſit, oſtendit, & omnibus denique his veluti fundamentis methodum genericæ terrarum diſpoſitioni aptam ſuperſtruit, quam ut Lectores uno quaſi intuitu perſpicere poſſint, ſequentem, compendii cauſa elaboratam, tabulam præmittit: Pag. 38.

Digitized by Google

Terræ ſunt	genuinæ	macræ	molles		Morochtus.
			aſperæ		Tripela.
		pingues	ſiticuloſæ		Bolus.
			non ſiticuloſæ	tenaces: ſaponaceæ	Smectis.
				tenaces: ſpiſſæ	Argilla.
				fatiſcentes	Marga.
	dubiæ	macræ, lineas ducentes,			Creta.
		pingues lineas	ducentes		Graphium.
			non ducentes		Lithomargâ.
	ſpuriæ	rurales			Humus.
		ſalinæ			T. ſalinæ.
		metallicæ	ſolutæ		Ochra.
			comminutæ		Mineræ comminutæ.
		inflammabiles	ſulphureæ		T. ſulphuratæ.
			tinctoriæ		Umbra.
			cæſpitoſæ		Turfum.
		lapideæ.	comminutæ		Arena.
			denſæ		T. lapidoſæ.

Ad has itaque claſſes omnes forte, quæcunque reperiuntur, terræ referri poſſunt. Ut vero conſtet, quænam ex ſupra recenſitis terrarum affectionibus unumquodque genus conſtituant, ipſas eorundem definitiones hactenus dictis ſubnectendas eſſe putamus. Primum & ampliſſimum illud genuinarum terrarum genus, *Morochtus*, eſt terra genuina, tactu macra & ſicca, ſi per ſe conſideretur, nec copioſam arenam admixtam habet, mollis, ſiticuloſa admodum, ſæpius levis, nonnihil fungoſa. Celeberrimus Autor, huic definitioni ulterius inhærens, primo omnium oſtendit, in quantum Morochtus quoad indicatas notas ab aliis generibus differat, de veterum deinde hoc nomine inprimis ab ipſis inſignitis terris differit, hinc Galactitem, Melititem, Galaxiam, Leucam, & Leucographiam, deſcribit, Lac lunæ tandem, Agari-

cum

Digitized by Google

cum mineralem, & Oſteocollam, ob eandem cum *Morochto*
ſimilitudinem nominat. *Tripela* eſt terra genuina, tactu
macra, aſpera, rara, admodum ſiticuloſa, quæ facile in polli-
cem conteritur, & digitos inquinat. Hæc terra, a Tripoli
Barbariæ nominata, non abſque ratione poſt *Morochtum* poſi-
tà deprehenditur, varium in diverſis glebis oſtendit colorem,
&, a Creta diverſa, variis mechanicis uſibus inſervit. Ad
idem hoc genus terra Alana pertinere videtur. *Bolus* eſt Pag. 49.
terra genuina, tactu pinguis & lubrica, ſiticuloſa valde, quæ
difficulter in paſtam abit, digitos, dum iis tractatur, inqui-
nans. Præter nomen & affectiones hujus terræ explicatas, li-
mites infimul, qui eam & argillas intercedunt, indicatos inve-
niamus. *Smectis*, a σμήχειν dictus, eſt terra genuina, tactu 51.
pinguis & lubrica, non ſiticuloſa, tenax & compacta,
quæ in paſtam abit, &, aquæ admiſta & agitata, ſapona-
ceam indolem prodit. Eam quidem ob cauſam ab Argillis
ſeparatæ terræ, ad hoc genus pertinentes, recenſeri debue-
runt, quod ſaponacea iis in eminentiori gradu data ſit
indoles, ob quam abſtergendi virtutem Cimolia quoque
veterum terra ad hoc genus referenda erit. *Argilla*, ab 52.
ἄργος cognominata, eſt terra genuina, tactu pinguis & lubri-
ca, non adeo ſiticuloſa, ſpiſſa & denſa, quæ cum aqua in
paſtam tenacem & manibus obſequentem reſolvitur. Omnes
illæ, quæ huic generi adſcribuntur, terræ ob tenacitatem in-
primis a reliquis differunt. Præter alias, in ſpecierum enu-
meratione notandas, Argillæ differentias, Celeberrimus Autor
hic loci Argillam figulorum, Argillam venarum, & lutum
vulgare, tanquam inferiora genera, conſiderat, earumque na-
turam tradit. *Marga* denique, ut ultimum genuinarum ter-
rarum genus, eſt terra genuina, tactu pinguis & lubrica,
non adeo ſiticuloſa, quæ, aquæ immiſſa, in lamellas irregula-
res dehiſcit, & tandem in paſtam, ſed minus tenacem, reſol-
vitur. Definitam hac ratione terram veteribus jam hoc no-
mine compellatam fuiſſe, eorum teſtimonia probant, licet illa
cum Morochto Autoris haud raro confuſa inveniatur. Hæc
ſunt ſex illa genera, in quæ genuinæ terræ dividuntur. Ad
dubias

Digitized by Google

dubias terras conſiderandas dum accedit Clariſſ. Autor, in limine ſtatim eas, licet ab omnibus naturæ indagatoribus terris annumerentur, in eo tamen a genuinis diſcrepare monet, quod in aqua, ut illæ, non diſſolvantur, & propius inde ad lapidum claſſem accedant. Tria earum ſunt genera, Creta nimirum, Graphium, & Lithomarga. *Creta* eſt terra dubia, tactu macra & denſa, quæ lineas ducit, aquam affuſam citiſſime quidem reſorbet, non vero reſolvitur, ſed eam filtri inſtar transmittit, & cultro raſa pollinem tenuiſſimum exhibet. Ex inſula Creta, quæ Candia nunc appellatur, nomen traxit hæc terra, quæ denſitate potiſſimum a reliquis diſcrepat, & dubios ſæpius nos reliquit, utrum terris annumeranda, an potiori jure ad lapides transferenda ſit. *Graphium* porro eſt terra dubia, tactu pinguis & lubrica, quæ lineas ducit, & cultro ita radi poteſt, ut pulvis, vel tenuiſſima ejus ramenta, cum aqua in paſtam quandam, minus vero tenacem, redigantur. Tria velut inferiora hujus terræ ſunt genera, Steatites ſcilicet, ſeu Graphium album, Rubrica, & Nigrica. Ad primum eorum ollaris, lebetum lapis, quem Cretam Venetam plerumque nominant, haud absque omni ratione referri poteſt. Rubrica vero vel Synopica eſt, vel fabrilis. Fuſius de his terris ex veterum æque ac recentiorum mente differit Celeb. Autor, &, eam, quæ hic conſideranda venit, Rubricam in duriorem iterum & molliorem commode dividi poſſe, docet. Nigrica tandem non niſi colore a rubrica differre videtur; minus tamen recte a *Cramero* ad Schiſtum, & in ſpecie ad Ardeſiam regularem, refertur; lineas enim in alba æque ac colorata charta deſcribit, ſecus ac illa, quæ, niſi ipſi iterum Ardeſiæ applicetur, nulla ſui relinquit veſtigia. *Lithomarga* denique eſt terra dubia, tactu lubrica, quæ cultro radi poteſt, lineas tamen non ducit, neque colore ſuo alia corpora inquinat, &, in pollinem redacta, cum aqua in paſtam minus tenacem mutatur. Ad nomen hujus terræ quod attinet, illud duplici ratione explicari poteſt; vel enim, quod in fiſſuris montium invenitur, vel quod, & rectius quidem ex Autoris ſententia, ad lapidis duritiem accedit, hoc nomine eam inſignitam eſſe deprehendimus.

Plag. 57.

mus. Spuriæ terræ in cenſum nunc veniunt. Hæ, licet in genera quædam ob affectiones illas, quas definitio earundem complectitur, diſponi non poſſint, omnes tamen mineralium claſſes attingunt, & ob hæc earum latius extenſa confinia genuinis terris a quibusdam annumeratæ fuerunt; alia præterea mineralia corpora terræ appellantur, quæ tamen hoc nomine nulla ratione digna cenſeri debent. Quæ cum ita ſint, haud inconſultum eſſe duxit Autor, ſi ſingulæ hæ ſpuriæ terræ breviter ſaltim indicentur. *Humus*, ſeu terra ruralis, quæ primum in ſpuriis terris occupat locum, eſt illa terra, quam fertilitatis cauſa in vitæ noſtræ commodum colimus. Hoc enim tenendum eſt, ſterilem omnem, ſeu primigeniam, ſic dictam terram, per admixtas animalium & vegetabilium deſtructas partes ad nutriendas plantas aptam reddi, ita ut unguinoſum illud, quod mediante aqua e terra rurali elui poteſt, principium pro cauſa fertilitatis habendum ſit. Haud parum deinde aer ad lætum vegetabilium, in humo radices agentium, incrementum confert, dum reſolutas corporum partes ſuſcipit, & eas vel gremio terræ iterum tradit, vel ipſis plantarum poris applicat. Commendanda hic venit ulterior earum cauſarum indagatio, quæ fertilitatem agrorum adaugent; variis enim modis illam adjuvari poſſe, veterum jam, ab *Imperato* notati, labores certiores nos reddunt. Sequuntur in ordine *terræ ſalinæ*, quæ, licet ex ipſa primigenia terra & aquoſorum halituum miſcela ſal enaſcatur, eam tantum ob rationem hic attendendæ ſunt, quod veluti matrix ſpicula ſalina continent foventque. Illæ tamen, quæ ſalinis hiſce terris inſunt, notæ nec generibus, neque ſpeciebus, definiendis ſufficiunt. Ab his ad *metallicas terras* tranſit Celeberrimus Autor, &, alias earum ſolutas, alias vero in pollinem comminutas, inveniri, monet. Priorum claſſem *Ochra* conſtituit, quam, cum unanimi fere omnium conſenſu terris annumeretur, & alias inſuper terras tingat, aliqua ratione explicandam ſibi ſumit. Veterum itaque & recentiorum de *Ochræ* natura atque colore relatæ hic reperiuntur ſententiæ, &, Sil veterum Ochram indicare, oſtenditur. Cum vero difficulter admodum

Pag. 64. 67.

B dum

Digitized by Google

dum ob varias cauſas diſtincta Ochræ idea exhiberi queat; Autor, *Crameri* ſententiam amplectens, metallum, per vitriolicum acidum ſolutum, arroſum, vel deſtructum, quod ſub terræ tinctæ ſpecie apparet, Ochram nominat, &, ferri potiſſimum, cupri, vel plumbi, forte mineras, hac ratione ſi permutantur, hoc nomine, ut proprio, indigitandas eſſe, monet, ita tamen, ut illas, quæ tantam metalli copiam habent, Ochras, quæ ignis ope iterum ex iis elici poſſit, non quidem ad terras, ſed ad alia mineralium capita, referendas eſſe, cenſeat. Alteram metallicarum terrarum claſſem *comminuta* ſic dictæ *mineræ* ingrediuntur. Hæ metalla, eorumque mineras, ſub pollinis forma nobis ſiſtunt, ita, ut terras non raro æmulentur. Novam deinde diſſerendi materiem præbent terræ, quæ cum ſulphur verum, vel bitumen, & alias, flammam facile concipientes, partes inhærentes, habeant, inflammabiles inde dicuntur. In genere vero conſideratæ hæ terræ ita inter ſe diſcrepant, ut aliæ, quæ flammam facile concipiunt, eamque alunt, ſulphureæ nominandæ ſint, aliæ vero, quæ inflammabile olim principium obtinuerunt, quod vero nunc diſſipatum obſcure fuſcum, vel nigricantem, in iis reliquit colorem, tinctoriæ, ſive Umbræ, appellentur, aliæ denique inflammabiles quidem ſint, quæ tamen flammam concipiendi poteſtas cum non minerali tantum principio, ſed accedenti a vegetabilibus materiei quoque, adſcribi debeat, cæſpitoſæ, ſive Turfum, cognominentur. De ſingulis harum terrarum ſpeciebus quædam adhuc, quæ earum naturam declarant, notanda occurrunt. *Sulphureæ* vel ſulphur verum, vel inflammabile tantum, in eminentiori gradu admixtum habent principium. Priores, quoad colorem, friabilitatem, pondus, odorem, & flammam, quam produnt, a reliquis differunt. *Umbra*, ab Umbria, Italiæ regione, vel ab umbra, quam pictores iconibus hocce pigmento inducunt, nominata, iis inprimis generatur in locis, ubi arbores olim, vel alia in acervos congeſta vegetabilia, cum admiſta calcarea, aut lutoſa, terra ſingulares ſubierunt mutationes. Baſin enim hujus terræ peculiari ratione mutata vegetabilia conſtituere, alia vero, & terrarum potiſſimum partes, iis tantum interſperſas eſſe, varia cum

Pag. 71.

Digitized by Google

cum hac terra capta experimenta confirmant. De *Turfo* tandem dubii diu fuere ſcriptores, num illud ad vegetabile, an ad minerale potius, regnum referendum ſit. Cum illud in paludoſis plerumque inveniatur locis, inflammabile, quod obtinet, principium ab unguinoſa inprimis aquarum ſtagnantium parte provenire videtur, licet, minerale bitumen & plantarum radices turfaceis glebis ineſſe, in dubium vocari non poſſit. *Lapideæ* denique terræ noſtram adhuc attentionem merentur. Quamvis enim, limites inter lapides & terras vix conſtitui poſſe, ſupra jam monuerit Clariſſ. Autor; nonnulla tamen de tranſitu terrarum ad lapides eam inprimis ob rationem adducit, quo terrarum ad reliquas foſſilium claſſes relatio dilucidius inde pateſcat. Primo loco de *Arena*, tanquam lapidibus comminutis, diſſerit, & eam pro diverſa lapidum conſtitutione diſcrepantem quoque inveniri monet, ita, ut arena per ſe conſiderata in glaream, arenam, & ſabulum, diſtinguatur. Ex his illæ tantum arenæ ſpecies recenſendæ erunt, quæ ſubtilitate ſua proxime ad terras accedunt. *Lapidoſæ* deinde terræ ita ab Autore definiuntur, quod ſint concretiones ſingulares, quæ ad vera lapidum genera referri nequeunt, & terris inſuper denſiores inveniuntur. Illæ potiſſimum notandæ hic erunt terræ, quæ ob induratum per tempus gluten coaleſcunt, & ſenſim ſenſimque induratæ, intermedium quaſi inter lapides & terras occupant locum. Fuſius paulo hæc repetenda fuere *ſecundi Capitis* momenta, quo brevem methodi, a Clariſſimo *Ludwigio* ſtabilitæ, deſcriptionem, & indefeſſi, quod terris adhiberi debuit, ſtudii documentum, Lectores percipiant. Pag. 75.

Tertium Caput comprehenſas ſub ſuis generibus terrarum ſpecies, & ſubordinatas iisdem varietates, proponit. In limine hujus tractationis eas Autor exponit regulas, ſecundum quas terras digerendas eſſe cenſet. Cum enim a natali non tantum loco ſpecies definiri queant; ad characteres inſimul, qui ſenſibus obvii ſunt, reſpiciendum erit. Præter genericæ terræ quantitatem & indolem, in ſingulis quoque glebis terræ, aut aliarum admixtarum rerum natura & copia & color, 77.

 qui

Digitized by Google

qui ab admixtis dependet, animadvertenda ſunt, ita quidem, ut præcipuæ quoad recenſitas affectiones in glebis obſervatæ differentiæ ſpeciebus definiendis, reliquæ vero graduales, quæ ob inſignem glebarum numerum negligendæ non ſunt, earum diſcrepantiæ varietatibus conſtituendis, inſerviant, uti & ipſi gradu inter ſe diverſi generum characteres, ſpeciebus quoque determinandis haud inepti judicantur. Secundum hanc normam & ſpecies, quæ majoribus, & varietates, quæ minoribus numeris notatæ inveniuntur, examinandæ veniunt. Inſignis eſt crudarum terrarum copia, quæ in ampliſſimo hoc Regii Muſei catalogo ordinatæ hac ratione occurrunt. Nec ſola tantum, quæ tædioſa forte quibusdam exiſteret, earum enumeratio hic deprehenditur, ſed multæ de terris in celebritate verſantibus tractationes, floſculi veluti bellariis interſperſi, & ii quidem copioſi, leguntur. Quodſi enim terram Melitenſem, Bolum Armenum, Terram Strigonienſem, Lemniam, Lithomargam Roch'icenſem, & Damaſcenam, Terram miraculoſam Saxoniæ, Lignum foſſile, Lapidem fungiferum Italicum, quem Torſis annumerandum eſſe cenſet Clariſſ. Autor, & alias adhuc, quas appendicis loco huic *Capiti* adjecit, a veteribus jam laudatas, terras pertractatas hic legas, fieri non poteſt, quin innumera Autorum inter ſe invicem comparata & explicata obſerves loca, quorum notitia non delectat tantum, ſed utilitate quoque ſeſe commendat.

Pag. 194. In *Capite quarto* XII Tabulæ, quæ, ex ſingulari Auguſtiſſimi Regis munificentia exaratæ, ſigillatarum glebarum icones ſiſtunt, ſuo, quem poſtulant, commentario illuſtrantur. Licet enim naturalis hiſtoriæ leges, ut manuum ope præparatæ glebæ ab ipſa natura productis terris jungantur, permittere haud videantur; *Rivini* tamen, cujus ſigillatæ glebæ ſimul cum aliis in Regio Muſeo aſſervantur, veſtigiis cum inſiſtendum ſit, & præter alias, quæ præparatæ eandem adhuc, quam crudæ, indolem retinent, nonnullæ occurrant terræ, quæ crudæ nominari non potuerunt, ſuo quaſi jure ſigillatæ glebæ locum ſibi in hoc Opere vindicant. Jam olim medicatas terras ob præſtantiam & ſalutarem, quam exerunt, virtutem ſigno quodam notatas fuiſſe, Lemnium

Lemnium oſtendit ſigillum. Ita deinde hæc conſuetudo inva-
luit, ut, præter Sileſiacas atque Bohemicas, aliæ quoque, ſacræ
potiſſimum, a Palæſtina dictæ, terræ, ob miraculoſam, quam
ipſis adjudicarunt, virtutem, Sanctorum imaginibus & aliis
characteribus donatæ inveniantur. Ita vero ordinavit Cele-
berrimus Autor æri inciſas figuras, ut Sileſiacæ primum, Bo-
hemicæ deinde, Saxonicæ, & reliquæ, in Germania repertæ,
expreſſæ conſpiciantur glebæ; aliæ porro, Europææ, Aſiaticæ,
ſacræ ſcilicet, Lemniæ & Arabicæ, nonnullæ denique ex locis
non ſatis cognitis depromtæ, occurrant terrarum figuræ, his
vero ſpuriæ quædam immiſceantur, in omnibus autem prima-
riæ ſigillorum affectiones enumerentur. De Arabicis, in no- Pag. 223.
na & decima Tabula exaratis, ſignis illud adhuc ut notemus,
neceſſe eſt, eorum explicationi multos linguæ Arabicæ peri-
tos viros operam adhibuiſſe. Præ ceteris vero doctiſſimus
Reiskius ſuam de his terris ſententiam dicere haud dedi-
gnatus eſt; quam Clariſſimi Viri interpretationem ſimul cum
excerpto ex *Georg. Hieron. Welſchii* manu exaratis ſchedis,
& *Matthiæ Frid. Beckii* in hoc *Welſchii* fragmentum conſcri-
pto Commentario, Operi ſuo Celeb. Autor ulterioris expli-
cationis cauſa adjecit.

Et hæc quidem ſunt, quæ ipſa Operis ratio poſtulare videba-
tur; abſoluta namque in *quatuor* iſtis, de quibus hactenus retuli-
mus, *Capitibus* conſpicitur Terrarum hiſtoria, in quantum ni-
mirum illa hiſtoricam rerum naturalium cognitionem ſpe-
ctat. Sed longius adhuc progreſſus doctiſſimus Autor, phyſi-
cam æque ac medicam de Terris tractationem propoſuit.

In *quinto* itaque *Capite* variæ inveniuntur obſervationes, 244.
quæ ipſi in conficienda Terrarum hiſtoria enatæ fuerunt, &
illæ quidem eo utiliores, quo ſæpius ab exteriori corporum
ſuperficie ad intimam earundem miſcelam deveniendum eſt,
ſi certi quidquam de rerum natura cognoſcere cupimus. Cum,
docimaſticum, ut ajunt, terrarum examen æque ac indicatam
ſuperius terræ elementaris notionem, parum de diverſarum
terrarum origine prodere, cognoſceret Clariſſ. Autor; ipſam
naturam, quatenus illa in corporum geneſi & deſtructione

terreas partes aliis jungat, vel e nexu dimittat, ſcrutatus, de vegetabilium & animalium terra dicit, & deſtructas eorum, dum terræ traduntur, partes, humum, ſeu terram ruralem, conſtituere docet, ita quidem, ut ex fertilis hujus terræ cum aliis partibus enata miſcela Turfi & Umbræ generationem declaret. Sed de veris potiſſimum mineralibus terris, earumque proventu, hic loci videndum eſt, utpote quæ ex lapidibus per aquæ, aeris, & ignis, efficaciam producuntur. Hæc ut clarius paulo pateſcant, ſingula terrarum genera conſideranda ſibi ſumit Autor, & de Morochto, tanquam calcarei lapidis progenie, de Argilla venarum, Marga, & Lithomarga, de terris limoſis, bolaribus, & argillaceis ſtratis, de Tripela denique, & de vario earum omnium exortu, copioſe ediſſerit. Ad Cretæ originem quod attinet, eam ex ipſo maris fundo repetendam eſſe monet. Præter id enim, quod admiſſa cretaceis terris conchilia id doceant, reperiunda ad litora maris in Anglia potiſſimum alba argillacea terra luculentum hujus generationis præbet teſtimonium. Hæc enim, cum ex deſtructo per aquæ marinæ potentiam in fundo maris poſito calcareo lapide oriatur, & ex corruptis vegetabilium & animalium marinorum partibus unguinoſum, quod eam nectit, acquirat principium per vehementiores undarum motus & tempeſtatum violentiam in litora ejecta, in argillacea ſtrata majora diſponitur. In his, ſi pingue illud & unguinoſum antea dictum principium terreas partes relinquit, pyromachus ex collecto & condenſato hoc glutine naſcitur, reliqua vero emacreſcens quaſi terra cretæ proprietates acquirit. Non igitur audiendus eſt *Neumannus*, qui inverſo veluti modo, pyromachum cretæ præbere materiem, affirmare non dubitavit. Ultimum denique hujus *Capitis* momentum variam terrarum cum aliis rebus combinationem, & admixta iis corpora detegendi rationem, ſpectat. Calcareæ & gypſeæ, a *Pottio*, & recte quidem, declaratæ terræ, ſolæ fere ut ſimplices & puræ, conſiderari poſſunt. Hæ binæ terræ a glutine, quod iis varia ratione adhæret, ſalinis, inflammabilibus, & aliis mineralibus, corporibus inſigniter mutantur. Has tamen omnes purioribus terris

Pag. 266.

terris admixtas heterogeneas partes, odor, ſapor, & color terrarum, melius longe & accuratius docimaſticum cum terris inſtitutum examen nos doceat.

Ad *ſextum* & *ultimum* hujus Operis *Caput* accedimus, in quo Celeb. Autor de productis a natura, & omni pæne ævo ut medicina uſurpatis, terris breviter diſſerit. In duas hæc doctrina dividitur partes. Prima, ut generalis, eas disquirit mutationes, quas terræ, pro diverſâ molecularum indole, in corpore humano producunt. Ita enim calcareæ terræ, licet alcalinum ipſis non inſit principium, quod acidum abſorbent, antacidæ, vel alcalinæ, dicuntur, e quibus illæ, quæ ſubtiliores & tenuiores præ reliquis habent moleculas, ſpiſſioribus & ponderoſioribus inde ſunt præferendæ. Gypſeæ porro inertes terræ nullam fere in medicina præſtant utilitatem, &, ſi exteriori tantum, ob eam, qua præditæ ſunt, abſorbendi potentiam, corporis ſuperficiei eas applicare velis, nimis tamen firmiter, dum madeſiunt, cuti adhærent, & exſiccatæ iterum moleſtiam creant. Pingues deinde argillaceæ in latiori ſenſu ſumtæ terræ, ob illiniendi & involvendi virtutem, commendandæ veniunt, ita quidem, ut Margæ & Boli nobiliores cum feliciori ſucceſſu, quam proprie ſic dictæ Argillæ & Smectidis ſpecies, uſurpari queant. Ad admixtas denique terræ partes quod attinet, Ochraceæ terræ, ut per exemplum res conſtet, inutiles prorſus judicandæ non erunt. Cum enim ſiccæ ſua natura terreæ partes abſorbendo potiſſimum laxitatem fibrarum corrigant, illæ, ſi martiale ipſis principium junctum eſt, leniter ſtimulando roborare, & ipſis fibrarum interſtitiis inhærentem humiditatem, ob concitatam earum contractionem, expellere, valebunt. Alterum hujus doctrinæ caput illos, quos terræ in diverſis corporis noſtri partibus edunt, effectus, earumque agendi modum, declarat. Terrei pulveres, dum cuti illæſæ ſuperdantur, non quidem abſorbentur a vaſorum orificiis; in ea tamen, ſtimulando, vel irritando leniter, nervoſa ſtamina agunt, & ipſam inſenſibilem tranſpirationem adaugent, ſecus ac cataplaſmata atque emplaſtra, quæ halituoſam ſeri excretionem impediunt, & eas, quibus

Pag. 225.
285.

bus applicantur, partes emolliunt. Continuo vero cuti adhærentes, aut ad pulmonum ſuperficiem delatæ, ſubtiles terreæ partes, quod obſtruunt poros exhalantes, eadem ratione nocere poſſunt, ut reliqua convenienti minus tempore, aut ex errore in doſi adhibita, optima alias, medicamenta. Læſæ deinde & variis vitiis contaminatæ cuti ſi inſperguntur terræ medicatæ, illæ ut exſiccent, & acrium humorum, dum vaſa roborant, affluxum impediunt, neceſſe eſt. Sed ingeruntur quoque in corpus terrea medicamenta, quæ quidem, ſi pituita inprimis viis abundat, noxium magis, quam ſalutarem, edunt effectum. Optime contrà ventriculus, qui acidam acrimoniam alit, ſubtiles alcalinas dictas terras fert. In iis autem morbis, ubi eroſa per varias cauſas inteſtina dolent, aut ſanguinem fundunt, pingues, ſubtiles, & ſaponaceas, terras exhibere convenit, uti & ipſa primarum viarum debilitas, per terras, quæ rigidas moleculas, aut admixtum martiale habent principium, haud raro corrigi poteſt. An ad ſecundas ſic dictas vias perveniant terræ partes, dictu difficile eſt. Licet enim earum ad ſanguinem tranſitum ob annotatas a celeberrimis Medicis obſervationes, & adſcriptos his medicamentis effectus, ut verum aſſumere cogamur, viam tamen, & modum, quo terreni pulveres cum ſanguine communicentur, nulla ratione perſpicere licuit Clariſſimo Autori. Si igitur bolares potiſſimum & margaceas ſubtiliores terras, quæ acidum, ob quod facile ſolvi in primis viis poſſunt, habent principium, lactea vaſa tranſire dicamus; illæ certe, ut cuncta, quæ aſſumuntur, medicamenta, non intime ſanguini admiſcentur, ſed exteriori tantum globulorum ſuperficiei adhærentes, velociorem humorum in febribus motum retardare, & inteſtinam ſanguinis agitationem placidiorem reddere, valent. Finem huic *Capiti* imponit Celeb. Autor, dum multa de uſu terrarum attendenda præcepta hactenus recenſitis adjungit. Cum ſingularia Doctiſſ. Autoris in bonas literas & ſalutarem artem merita, præter id, quod cognita atque perſpecta cuilibet jam ſint, Regia quoque fiducia dignum effecerint Clariſſ. *Ludwigium*, ut ſplendidum hoc & nitide impreſſum ſexennalis induſtriæ

duſtriæ opus, ita, uti res ipſa poſtulat, collaudemus & commendemus, non eſt neceſſe. Illud tantum notamus, duplicem ei junctum eſſe Indicem, alterum, qui præcipuos, de terrarum natura & hiſtoria optime meritos, Autores recenſet, alterum, qui ipſas in libro contentas res indicat.

ANTONII MARIÆ GRATIANI DE SCRIPTIS invita Minerva Volumen primum.

Florentiæ, ex typographia ad inſigne Apollinis, 1746, 4. Alph. 2.

Eſt ea ſæpenumero optimorum, omnique refertorum doctrina, ſors atque conditio librorum, ut ipſis ab Autoribus abſtrudantur, ac, ne quando exire in vulgus poſſint, latebris occultentur. Cujus quidem rei exemplum præbet *Gratiani* de Scriptis invita Minerva liber, qui ab anno, quo reditum eſt in gratiam, 1607 Tiferni apud homines, cognatione *Gratiano* ac propinquitate conjunctos, diu latuit, donec eundem *Michael Angelus Paganellus Hieronymo Lagomarſino* ſubmitteret, eumque, ut ederet, variisque illuſtraret obſervationibus, vehementer rogaret. Pag. 10. Ipſe vero *Gratianus* nullum de Scriptoribus, qui invita Minerva, hoc eſt, repugnante quaſi & obluctante natura, multa literis prodiderunt, verbum fecit, ſed hunc librum, qui *Gratianam* gentem pertractat, hoc ideo nomine affecit, quod eum minime, ut plerique ſolent, honeſto quodam animi impetu, ſed ſolo amicorum ſuorum ſuaſu hortatuque, quamvis invitus, ad *Aloyſium*, fratrem, ſcripſit. Exponit nimirum, ſed eleganter atque erudite, de Burgo S. Sepulchri. Quod profecto opus tanto majorem ſibi laudem poteſt ab 23. omnibus promittere, quanto doctioribus, & ad explicandam rem aptioribus, *Lagomarſini* eſt animadverſionibus exornatum. Univerſum autem *Volumen primum* in *XII* diſtri-

Digitized by Google

buitur *Libros*, quorum *primus* hiſtoriam Burgi S. Sepulchri
explicat, *alter*, *tertius*, & *quartus*, familiæ *Gratianæ* origi-
nem, incrementa, converſioneſque, recenſet. *Quintus* usque
ad XII de itineribus *Aloyſii* fratris, ac peregrinationibus
ampliſſimis, exponit. Ac *Burgus* quidem *S. Sepulchri*, cui
Pag. 4. ſuos debet natales *Gratianus*, ad Apennini radices, haud pro-
cul a capite Tiberis, circiter annum C. 940, caſu quodam
admirabili, ſed fabulæ, quam hiſtoriæ, ſimiliori, ortum tra-
xiſſe narratur. Duo nimirum homines, quorum alteri no-
men fuit *Ægidio*, alteri *Ariano*, a Sepulchro Servatoris rever-
tentes, cum huc venerunt, famem ſitimque explere ſtudue-
runt. Alter igitur cum poculum, aqua plenum, ori vellet ad-
5. movere, ter idem e manu excidit, ac ſenſim paulatimque in
proximam fuit arborem elatum. Qua re ambo permoti, ſa-
cellum ſtatim hoc loco exſtruxerunt, eumque locum, quod
viſus eſſet exiguus, Burgum ore Italico nominarunt. Fuit ini-
6. tio hoc oppidum a XXIV viris gubernatum, magnoque poſtea
8. patuit & hoſtium & tempeſtatum furori, cum Tarlati, Peru-
9 - 21. ſini, Bocognani, *Nerius Fagiola*, Montedolii, Malateſtæ, alii-
que, quorum iniri numerus vix poteſt, Burgi ſæpenumero
tenuiſſent principatum, urbemque varie affeciſſent, tandem
33. mœnia inſigni terræ motu labefactata fuerint, ſuisque ſe-
dibus evulſa. Quæ tamen deinde *Nicolaus Aretinus* refecit,
urbemque is pluribus puteis, cuniculis, cloacisque, quæ com-
motiones terræ impediunt, adauxit. Exhalare enim, ut *Gra-
tianus* ait, ſpiritus debet, qui, terræ incluſus, niſi exitum in-
veniat, erumpere ſumma vi nititur, eoque impetu concutit
omnia ac proſternit. Floruit autem Burgum præclaris de-
inde viris, ac rei militaris ſcientia egregie inſtructis, quorum
principes *Iſeus*, *Bocognanus*, *Ruberti*, *Caranei*, alii, ponan-
36. tur. Atque hæc quidem gloria partim diuturna Italiæ
quiete, partim variis Principum mandatis, quibus milites
46. aliena merere ſtipendia vetantur, *Gratiani* obſoleverat æta-
te. Contra ea & eruditiſſimorum hominum, *Malateſtæ*,
Latanei, *Dionyſii Ruperti*, *Stephani*, aliorum, copia ſem-
per abundavit. Deinde, ut *Libro* traditur *ſecundo*, cum
Com-

Commendono, Patre Purpurato, ampliſſimæ viro doctrinæ, ex quo multa de familia ſua acceperat, Gualdum ſe contulit Pag. 49.
Gratianus. Qui, etſi a *Gratiano Cæſare*, & *Tatio Gratiano*, ſuam deducere originem non audet, iis tamen *Gratianis*, qui commorati ſunt in Perſia, horumque potiſſimum *Berſolo*, eam vindicare videtur. Cujus quidem *Berſoli* filius, Novum Bur- 59.
gum profectus, condendi ejusdem conſilium ſuſcepit, idque, præclaris adornatum ædificiis, ita amplificavit, ut poſteris quoque ſuis habitandi illius præbeat facultatem. *Buonus* autem, cui multa quoque *Gratiana* gens beneficia refert accepta, tanta geſtis amplitudine eluxit, ut filius ejus, *Carolus*, Burgo a nefaria tyrannide liberata, ſummam imperii Neopolitani tenuerit, multosque poſtea Reges procrearit. Complures præterea Abbates atque Epiſcopos, quorum in commemoratione *ἁμαρτήματα* quædam *μνημονικὰ* *Lagomarſinus* reperit, ſe- 80.
riemque Epiſcoporum XIX Burgenſium adjecit, *Gratiana* domus tulit. *Libro tertio* varia, eademque adverſa, gentis *Gratianæ* fortuna memoratur. Cum enim certæ quædam familiæ, quarum nomen *Gratianus* ſilentio prætermittit, tanto 88.
Burgum odio proſequerentur, ut non paucos ipſa ejicerent urbe, opibusque ſpoliarent, ac milites in præſidiis collocarent externos, frequentes Burgi excitati ſunt motus. Exules tandem, ſuſcepto in patriam redeundi conſilio, reverſi ſunt, tantoque patriam, eamque præcipue gentem, quæ tot ſibi clades intulerat, furore invaſerunt, ut a nimia ſæviendi trucidandique libidine vix potuerint revocari. Eo potiſſi- 89.
mum tempore *Leo Gratianus* autoritate multum Burgi gratiaque valuit, inſidiasque, ob integritatem vitæ a nefariis hominibus ſibi ſtructas, omnes feliciter evitavit. Deceſſit poſtea de mortali ſtatione, ut *quarto Libro* exponitur, ac tres re- 113.
liquit filios, qui compluribus paterni nominis gloriam vitiis ſceleribusque obſcurarunt. Hæc enim, tantum abeſt, ut *Gratianus* alto prætereat ſilentio, ut, excellentis partes 127.
Hiſtorici expleturus, ne ipſa quidem familiæ ſuæ dedecora taceat, eorumque de vita breviter exponat. Oratione tum ad *Julium*, parentem ſuum, converſa, præclaram illius militiam,

 cujus

cujus tirocinium ſub *Nicolao Urſino*, Venetorum imperatore, poſuerat, admirabilemque virtutem, qua equeſtre ſibi conci-
Pag. 132. liaverat decus, eleganter pertractat. Migravit tandem e vita A. 1543, ætatis 55. cum tres duxiſſet uxores, quarum e media, *Ludovica Sernarda*, quinque filios procreavit, in iisque *Aloyſium* & *Antonium Mariam*, hujus Autorem libelli. Frater autem *Aloyſius*, de quo *quintus* præſertim *Liber* agit, cum ex ephebis exceſſiſſet, ac viginti amplius annos in aula Romana
135. verſatus eſſet, ampliſſimum iter ſuſcepit, ac, peragrata Italia, qua a freto Siciliæ ad Alpes pertinet, Ægyptum, Galliam, Hiſpaniam, Syriam, Cyprum, totam Europam, Aſiamque, luſtravit, atque omnia harum terrarum, quæ cupidiſſimo cuique peregrinatori exhibent, ſpectacula tanto majori ſtudio obſervavit, quanto ſæpius, has omnis antiquitatis eruditæ variæque reliquias in aliis deſiderari regionibus, cognovit. Judæam deinde, ut *ſextus Liber* docet, ingreſſus, Jordanem Aſphaltidem, Tiberiadis lacum, Libanum, ejusque cedros, ac-
168. curate inſpexit. Libanus nunc a Maronitis habitatur, qui, a *Marone* quodam appellati, cum unam, divinam nimirum, Chriſto voluntatem tribuant, auferant humanam, in errorem multo
169. graviſſimum ſunt delapſi. Jam Pontificis Romani & Apoſtolicæ ſedis nomen religioſe venerantur. Acceſſit tum frater, *Aloyſius*, doctiſſimi inſtar peregrinatoris, Berytum, Syriæ oppidum, mercatura æque ac literis quondam inſigne, Tyrum,
181. Sodoma & Gomorra, Nazareth, Taborem montem, Hiericum, *Ramam*, ipſam denique Bethleemum, quod ab Hieroſolymis paſſuum millia novem diſtat. Stabulum, quo Servator generis humani amantiſſimus primam lucem adſpexit, marmoreis antea columnis ornatum, ac Chriſtianorum ſacello deſtinatum, immanitas barbararum gentium fere funditus delevit. Monſtratur tamen adhuc *Hieronymi* domus, haud longe a ſtabulo disjuncta. Contulit poſtea ſeſe Hieroſolyma *Aloyſius Gratianus*, quorum origo, incrementa, everſio,
183. accurate explicantur. Gaza, Judææ oppidum, in quod *Cyrus*, ſubacta Ægypto, omnem ſuum contulerat theſaurum, ab opibus, quæ Lingua Perſica Gaza nominantur, eſt vocata. *Libro*

Digitized by Google

bro ſeptimo iter fratris, quo Ægyptum exploravit, enarratur, Ægyptiorumque ſimul potentia, inventa, fertilitas, Nilus, incrementa ejusdem, quæ recte pluviis Æthiopicis, ut quondam vidit *Ariſtoteles*, tribuuntur, crocodilus, moresque civium, explicantur. Nec vero ſine mirifica animi voluptate legimus, quod *Lagomarſinus* obſervat. Hic enim, cum, innumera Ægyptios regna occupaſſe, *Gratianus* ſcripſiſſet, ſic minus Latine, ac poetice magis, dici, recte arbitratur, nihilque moratur *Ciceronem*, qui etſi, ex *Iſocratis* ludo, tanquam ex equo Trojano, innumeros exiiſſe principes, fateatur, omnes tamen Codices non *innumeros*, ſed *meros*, loqui principes, commemorat, id quod & nos, duce quodam ſummo Viro, ac nobiliſſimo Polyhiſtore, jam pridem conjectura ſumus augurati. Perrexit poſtea frater in Deltam, a ſimilitudine Græcæ literæ nominatam, Cairum, Sultani regiam, prope quam & duo adhuc conſpiciuntur ædificia, a *Joſepho*, Patriarcha, cum laboraret inopia Ægyptus, ad condendam frumenti multitudinem exſtructa, & ſpecus, quo multa omnino corpora, ante centum, plus, annos terræ mandata, nec ulla tamen putredine violata, ſpectantur. Vidit ibi obeliſcos, a *Cambyſe*, Perſarum Rege, penitus everſos. Adiit ipſam quoque Alexandriam, *Ptolemæorum* ſedem, cui magnum attulit ſplendorem Bibliotheca admirabilis, initio a *Ptolemæo Lagi* condita, ſed a *Philadelpho* egregie amplificata, maxime tamen *Demetrii Phalerei*, qui curam ejusdem rationemque habuit, eruditione inſignis. Quantus enim literarum amor *Philadelphum* tenuerit, cum ex hoc librorum apparatu intelligi poteſt, tum ex eo, quod ab *Eleazaro*, ſummo Pontifice Judæorum, 72 viros, Hebrææ pariter ac Græcæ linguæ peritiſſimos, arceſſendos curarit, qui divinum Codicem ex Hebræo in Græcum transferrent. Dolendum tamen eſt, præclaram hanc atque ad memoriam poſteritatis inſignem Bibliothecam, ante Chriſtum natum, abſumtam fere totam incendio fuiſſe. Tum, ſuperato Libano, Damaſcum *Aloyſius* adiit, & Antiochiam maxime ad Orontem, cujus quondam Patriarcha tanta floruit muneris dignitate, ut viginti provinciæ ei di-

Pag. 191. 214. 221.

Digitized by Google

cto fuerint audientes. Directo tum in Aſiam minorem
itinere, Tarſum, Ciliciæ caput, cujus conditor, ut ex Hiſtoria
Pag. 228. & *Athenæo* novimus, *Sardanapalus* perhibetur, Ancyram, quæ
[illegible]rigonia jam dicitur, Nicæam, ubi primum patres Concilium
habuerunt, Epheſum, ejusque miraculum, templum Epheſiæ
Dianæ, perluſtravit. Porro, ut *Libro octavo* commemoratur, By-
zantium, a *Conſtantino M.* Conſtantinopolin appellatam, &
235. a Turcis deinde A. C. 1453 captam, inſpexit *Gratianus*, ac,
ſermone ad originem, incrementa, inſtituta, Turcarum
traducto, hunc & *nonum decimum*que *Librum* explevit.
Libro XI trajectum *Aloyſii* in Transſylvaniam perſequitur,
ubi montes, auro, argento, aliisque metallis, ditiſſimos, *Aloyſius*
259. perquiſivit. Incolitur autem Transſylvania a quatuor potiſ-
ſimum nationibus, Cæculis, Valachis, Ungaris, Saxonibus, a
Carolo M. translatis. Magna ſemper funeſtaque cum Tur-
cis bella geſſit, donec, a *Rudolpho* Cæſare adjuta, ſeſe
a Turcarum tyrannide liberaret. *Libro* tandem *XII*, quo
prima hujus libri pars abſolvitur, porro Imperii Turcici am-
plitudinem, eorumque militarem diſciplinam, qua liberi ab in-
eunte ſtatim adoleſcentia ad æſtus, frigora, labores perferen-
dos, impellantur, deſcribit. Enarratur deinde Byzantinorum
virtus, multis quidem initio documentis probata, ſed deinde
luxu, voluptate, libidine, depravata in dies atque corrupta, ac
349. tria ſimul, quibus priſtina recuperari fortitudo poſſit, ex *Ma-
rini Caballi* ſententia, recenſentur remedia, nimirum con-
cordia inter fratres, conſtantia ducum, ac luxuriæ defectus.
Rediit tandem, Conſtantinopoli, Adrianopoli, Philippopoli,
ſuperatis, Venetias, ac, peragrato terrarum orbe, totque per-
functus incommodis, in tranquillitate vitam otioque conſum-
ſit, ac, ducta in matrimonium uxore, multos ex ea liberos
367. procreavit. Additum eſt denique a *Lagomarſino* monumen-
tum, defuncto *Aloyſio* erectum. Univerſus autem liber,
quantum ad bonas literas affert adjumentum, tantum ipſius
ſtili elegantia ac munditie excellit. Singulari enim, quod
diffiteri non poſſumus, cum animi voluptate totum
perlegimus librum, nec unquam legendo potuimus ſatiari,
pro-

Digitized by Google

propterea quod res, ad memoriam inſignes, tam diſtincte, tam erudite, tam ornate, proponit, ut *Gratianum* haud immerito alterum poſſis *Livium* appellare. Nos certe, hujus Operis amore capti, de *altera* ejusdem *Parte*, quamprimum id fieri potuerit, exponemus.

EPISTOLA PETRI WESSELINGII AD VIrum Celeberrimum, H. VENEMAM, de Aquilæ in ſcriptis Philonis Judæi fragmentis, & Platonis Epiſtola XIII.

Trajecti ad Rhenum, apud Hermannum & Jo. Beſſeling, 1748, 8.

Plag. 3½.

Occaſionem huic libello præbuit obſervatio quædam, quæ in *Bibliotheca critica (Bibliotheque raiſonnée) Tom. XXXII Part. II pag. 304* exſtat, veſtigia quædam verſionis *Aquilæ* in *Philonis* ſcriptis offendi. Cum autem iſta, integro fere Seculo a morte *Philonis* elapſo, demum ſit confecta; conſequitur, vel commentarios iſtos *Philonis* nomen perperam præ ſe ferre, vel verſionem iſtam *Aquilæ* nomen mentiri, aut iſta verſionis indicia aliunde in libros *Philonis* importata eſſe. Primum dici nequit, quoniam univerſæ orationis habitus, & diſputandi ratio, *Philonis* ingenio pulcherrime reſpondet: non ſecundum, quoniam *Hieronymus* atque *Epiphanius*, alii, non alium, quam *Aquilam*, hujus verſionis auctorem agnoſcunt; tertium multis difficultatibus impeditum eſſe, eruditiſſimus *Weſſelingius* aſſeverat. Ut autem de toto hoc argumento certum judicium ferri queat, notat 1), *Philonem* Alexandrinorum interpretum ſummum fuiſſe admiratorem, illorumque verſioni inhærere, etiam ubi ab Ebræo exemplari deflectunt. Provocat ad *Gen. XVI, 15: σὺ δὲ ἀπελεύσῃ - - τραφεὶς ἐν γήρᾳ καλῷ*, neque exiſtimari poteſt, mendum loco ineſſe, quia verbum τραφεὶς ſuo more interpretatur; cum tamen in Codice Ebraico ſit תקבר, ac proinde

de in editione Complutenſi legatur ταφείς. Alia loca ſubji-
cit: *Pſalm. LXXXVI, 5*, ubi legitur μήτηρ Σιὼν ἐρεῖ ἄνθρωπος
κ. λ. errore manifeſto, pro μήτηρ reponendum eſt, μὴ τῇ
Pag. 1 - 4. Σιὼν, quod jamdum vidit *Euſebius*. Hac occaſione incidit
in Epigrammatis Græci, a *Jenſio* editi, verba: Ἴτρια μοι βύ-
βλων ἀλοτώδεα σὺν καλάμοισι πέμπεις. Pro ἀλοτώδεα, vo-
ce nihili, in *Miſcell. Lipſ. Nov. Vol. IV Part. I pag. 109, 110*, re-
poſitum fuerat ἀλονότια, ſed & illud non placet; reſcribit igi-
tur ἀχνώδεα. Epigrammate IV pro κοτίλεια legi vult κο-
5 - 6. τυλαῖα, & pro ἀκεροσίας ponit ἀκεσερίης. 2) Diſcedit ta-
men ab hac interpretatione multifariam, interpretum verbis
elegantiorem cultum induens. Ita de *Joſepho pag. 543*, pro-
vocans ad verba *Gen. XLI, 4*, καὶ περιέθηκε κλοιὸν χρυσοῦν κ.
λ. ille habet, καὶ δίδωσιν αὐτῷ - - κύκλον χρυσοῦν περιδέ-
ραιον. 3) Videtur *Philo* ſæpenumero ab interpretibus Alexan-
drinis multum diſſentire, etſi cum illis optime concordet.
Confirmat hoc exemplis in medium allatis: qua occaſione
notat eruditiſſimum *Philonis* editorem, *Thomam Mangey*,
quod *Actor. XVII, 4*, pro προσεκληρώθησαν legi voluerit
προσεκολλήθησαν, cum tamen priori verbo *Philo* aliquoties
utatur, & *2 Cor. VII, 10*, voci ἀμεταμέλητον ſubſtituat ἀμε-
τάβλητον, quæ tamen vox apud *Paulum* recurrat *Rom. XI,
29*, præterea optimi Græci ſcriptores ipſam illam adhibeant.
[illegible] - 14. 4) Diſſentit, non ſua, ſed ſocordium ſciolorumque amanuen-
ſium, culpa. Sic *de Creat. princip. pag. 730* legitur διφόρον,
reſpiciens locum *Lev. XIX, 19*, cum tamen legendum ſit δια-
φόρον. In illis καὶ ἐτελέσθησαν οἱ οὐρανοὶ καὶ πᾶσαι αἱ στρα-
τιαὶ, quæ leguntur *de Alleg. Lib. I pag. 40*, ſolertiæ ſuæ do-
cumentum dare voluerunt amanuenſes, cum Græci exhibeant
ὁ οὐρανὸς - - καὶ πᾶς ὁ κόσμος αὐτῶν, *Geneſ. II, 1*. 5) Non-
14, 15. nunquam vitioſo exemplari, & ab Ebræo atque Alexandri-
norum Græco diſſentiente deceptus videtur. Sic verba *Gen.
XVI, 2*, legit ἵνα τεκνοποιήσῃς ἐξ αὐτῆς, cum tamen LXX
convenienter textui Ebraico habeant ἵνα τεκνοποιήσωμαι.
19. 6) Innumeris in locis immane quantum ab *Aquilæ* verſione
diſcordat. Hic legit *Geneſ. XXXII, 28*, ὅτι ἦρξας μετὰ θεοῦ:
ſed

Digitized by Google

ſed ab his deflectit *Philo*, reddens, ὅτι ἴσχυσας μετὰ θεȣ̃. Alia exempla addit, & quibusdam locis *Philonis* medelam affert. 7) Non deſunt loca, ex verſione, ſive *Aquilæ* illa fue- Pag. 20 - 23.
rit, ſive alius, in Orationem *Philonis* adſcita; quæ cum cura examinare operæ fuerit pretium, quod hæc cauſæ arx & controverſiæ quoddam quaſi caput ſit. Citantur hunc in finem verba *Geneſ. IX, 25*, hunc in modum: ἐπικατάρατος Χαναὰν παῖς οἰκέτης ΔΟΥΛΟΣ ΔΟΥΛΩΝ ἔσαι κ. λ. *de Reſipiſc. Noa pag. 278.* Dicat jam aliquis, δȣ̃λος δȣ́λων eſſe *Aquilæ*, ſed ita non videtur, ſunt potius per gloſſema intruſa, & ad orationem ſupervacanea. De menſa & panibus ſacratis ſcribit 23, 24.
Philo, καὶ καλȣ̃νται προθέσεως. Alexandrini habent *Exod. XXV, 39*, ἄρτȣς ἐνωπίȣς, ſed *Aquila* ἄρτȣς προσώπων, *Symmachus* ἄρτȣς προθέσεως, hunc autem imitari non potuit, quia tum nondum in vivis erat. *Philo* igitur integrum ſibi eſſe arbitratus eſt, hoc, an alio, uteretur. *Philo de Somniis* 26.
pag. 598 Pontificem Ebræorum appellat μέγαν ἀρχιερέα τῆς ὁμολογίας. *Mangeius* in ea eſt opinione, a *Philone* profectum eſſe, ſed ex *Ebr. III, 1*, a librario nimis religioſo huc eſſe translatum. Sed Celeb. *Weſſelingius* judicat, patere, ita a *Philone* Pontificem appellari poſſe, & ſimiles dictiones apud ſcriptores Græcos reperiri. Concludit hinc, *Philonem* 32.
Alexandrinam verſionem in exſcribendis Vet. Teſt. verbis ſedulo ſectari, ab ea tamen aliquando parum diſcedere, aut ornatus gratia, aut amanuenſium vitio, aut ſuo cum *Aquila* minime conſentire: ſi quæ illius dentur indicia, ea vel intempeſtivis antiquariorum ſcholiis, ex hexaplari *Origenis* arceſſitis, tribuenda, vel dubiæ eſſe autoritatis. Quam ἑορτὴν καὶ 34, 35.
πανήγυριν, in memoriam confectæ in inſula Pharo verſionis Græcæ ſuo adhuc tempore celebratam, memorat *Philo de Vit. Moſis Lib. II pag. 660.* Rudimenta quædam *Majuma* eſſe contendit, quo ludi ſpectaculique genere per Orientem, inde Occidentem, cives ad maris litus ſeſe exhilarare conſueverant. In præſidium cauſæ ſuæ devocat, quæ leguntur in *Act. Sanctor. Antverp. Tom. II Jan. pag. 1090.* Progreditur hinc ad 35, 36.
Platonis Epiſtolam XIII, quam *Leon. Aretinus, Marſil. Fici-*

D *nus,*

nus, *Serranus*, alii, tamquam dubiam, imo ſpuriam, rejecerunt. *Jo. Alb. Fabricius* ab illis quidem ſe ſejungit, ſed rationem non affert, quare *Platoni* ſit vindicanda. Eminentiſſ. Purpuratus, *Angelus Maria Quirinus*, nullus dubitat, illam genuinam aſſerere. Huic ſententiæ ita calculum adjicit Noſter, ut cenſeat, Epiſtolam in duas diſpeſcendam eſſe partes. Prior pergit usque ad illa verba: καὶ ταῦτα μὲν δὴ ταύτῃ, quam *Platonis* ingenio, aut eruditione, aut temporum, quibus exarata eſt, conditione, indignam haud eſſe, pertendit. Comprobat teſtimoniis *Plutarchi*, qui, *Platone* diſerte nominato, quædam ex illa adducit. Poſteriorem, fatetur, non eodem dictionis lepore, aut elegantia, qua alia Philoſophi, decurrere; ſed dudum notatum eſt, *Platonem* non tanto dictionis ſplendore enitere. Hanc *Euſebius*, & *Theodoretus*, *Plutarchus* etiam, genuinam agnovere, & ex eadem aliqua adduxerunt. Judicat tamen, has olim non tam partes unius Epiſtolæ, quam potius Epiſtolas, fuiſſe, quod rurſus *Plutarchi* conſenſu firmatur. Hinc inquirit in tempus, quo Epiſtolæ *Platonis* IV ad *Dionyſium* ſint exaratæ. Sub finem monet quædam circa inſcriptionem Centonis *Virgiliani Probæ Falconiæ* ad *Honorium Auguſtum*, docens ex ipſa carminis ſerie, non directum eſſe potuiſſe ad *Honorium*, ſed potius *Theodoſium Magnum*. Sed hæc ſufficiant.

Pag. 36 - 45.

47, 48.

FRIDERICI LUDOVICI ABRESCH ANIMadverſionum ad Æſchylum Libri duo; accedunt Annotationes ad quædam loca Novi Teſtamenti.

Medioburgi, 1743, 8 maj.

Alph. 2 plag. 3.

Diu jam erat *Æſchylus*, a *Stanleji* temporibus inde, neglectus, itane meritus, viderint alii, certe a timida & caliginoſa verborum & ſenſuum inanitate non recenti magis ætati, quam veteri fuit, odioſus atque infamis. At proximo hoc

hoc decennio, velut exciti claſſico, diverſarum gentium docti homines in illo edendo & exponendo fuerunt occupati, duo Batavi, & unus Anglus; quibus & Germanum unum, civem noſtratem, addere poſſemus, quem novimus conſilium ſuum abjeciſſe, cum ſubitaneo illo coorto certamine ſe videret occupari. Anglicanam editionem exſpectamus intra annos aliquot proximos. In Belgio curatam *Pauwianam* vidimus, & nuper in his *Actis Menſe Dec. Anni 1749 pag. 673* indicavimus. At hoc ibi omiſimus notare, ſcitu dignum, neque prætereundum, *Pauwium*, quo erat ingenio, ſui ſolius admirator, & bonorum, ab aliis repertorum, diſſimulator magis, quam contemtor, ut qui libenter illis uteretur, velut ſuis, homo Laconicus, furtum ſubtile & palliatum pro honeſto & præclaro facinore reputans; hunc itaque ad ſuam *Æſchyli* editionem *Abreſchii* quoque hanc, de qua agimus, eruditam operam adhibuiſſe quidem, & nonnulla inde depromta ſibi arrogaſſe, per totum tamen ſuum opus ne ſemel quidem, neque vel nomine tenus, commemoraſſe; quamvis vir ille literatiſſimus, & in Græcorum Tragicorum ſtudio diligentiſſime verſatus, inter *Æſchyli* interpretes ultimum locum non mereatur. Ediderat ille ſuarum in hunc Poetam meditationum ſpecimen *Tomo ſexto Miſcellanearum Obſervationum Amſtelodamenſium*, quo primam Fabulam, *Prometheum*, pertractaverat; rogatusque a viris quibusdam doctis, quibus ea opella placuerat, cœptam ibi telam, ſed ampliore filo, continuat hoc volumine. Ultra primas quinque Fabulas tamen non proceſſit doctiſſimi Viri diligentia. Videbat nempe, ſibi ſuum apparatum ſub manibus ita ſuccreviſſe, ut ea, quæ in reliquas duas Fabulas habebat dicenda, ſi hiſce jungerentur, modicum volumen exceſſura eſſent. Quapropter operam partiri conſultum duxit, & defectum altero Volumine ſarcire, quo & ultimas *Æſchyli* Fabulas exponet, & ſecundas curas ad ſuperiores, & ſi quæ ipſi interea temporis in manus venerint *Æſchylo* utilia e Codd. MStis præſidia, dabit. Habet certe Bibliotheca Leidana tres, vel quatuor, Codices manu exaratos, & in his unum *Voſſianum*, Commentario ſat amplo, nondum edito,

Digitized by Google

to, inſtructum, ſi non optimæ notæ illo, at non tamen tam malo, ut contemni mereatur. Quarum opum cum potuiſſet *Pauwius*, in vicinia poſitus, uſum impetrare, noluit tamen habere. Cl. *Abreſch* autem illos inſpexit, aditum ipſi parante Celeberrimo *Hemſterhuſio*, ut profitetur Præfatio, earumque ſpecimen cepit, e quo in addendis quædam profert; ut ſpes ſit, nos in *altero* hujus operis *Volumine*, ſi quando prodeat, accepturos eſſe, quicquid Leidani illi Codices ad emendandum & ornandum *Æſchylum* conferre potuerint; niſi Anglus, qui eosdem Codices & ipſe quoque poſt *Abreſchium* verſavit, edendo ſuum *Æſchylum*, Noſtri provinciam & bonam voluntatem occupet.

Diſtributæ ſunt hæ in *Æſchylum* Animadverſiones in *duos Libros*, quorum *prior* triginta *tribus Capitibus* primas tres Fabulas, alter *triginta novem* aliis quartam & quintam, pertractaut. In Animadverſionibus id præcipue Autor operam dedit, ut obſcuros ſenſus declararet, vim verborum erueret, dictionumque Græcarum, quæ interpretibus aut ſuſpectæ viſæ, aut male acceptæ, fuerant, autoritatem allatis aliorum Autorum probis exemplis adſtrueret. Quod ipſi paſſim feliciter ceſſiſſe negotium, palam eſt. In emendando parcior fuit. Et ſane bonæ frugis Criticus nunquam auſit attrectare, quod commoda interpretatione molliri & defendi queat. In Scholiaſte tamen non pauca mutat & configit, ut in quem plura, quam in ipſum Poetam, irrepere potuerunt, & omnino irrepſerunt, vitia. Ut eſt genus hoc ſcriptionis, occaſione data variorum Autorum Græcorum utriusque ſermonis loci emendantur, quod parcius, exponuntur & defenduntur a protervorum Criticorum inſultibus ſæpius. Qua in re Autori egregie profuit diffuſa, quam ſingulis paginis monſtrat, veterum ſcriptorum, eademque attenta, lectio, & rara ſedulitas in enotandis ſeu ſingularibus verbis, ſeu integris dictionibus & ſtructuris, rarius occurrentibus, & cuique ſcriptori peculiaribus, uſibusque particularum, in quibus aberratum ab inſcitia & temeritate non raro fuit.

Ut liber juſtam molem impleret, & inveniret emtores, pla-

placuit Cl. Viro, a *pag. 533* inde usque ad *pag. 626 annotationes ad quadam loca Novi Teſtamenti* adjicere. Sic inſcripta eſt opella. Non totum tamen ea Novum Teſtamentum pertractat, ſed ſola *Matthai*, *Marci*, & *Joannis*, Evangelia. Subjecta ſunt Addenda & Corrigenda, e quibus, quam parum parcat Vir Clariſſ. ſuis meditationibus limam adhibere, quantoque cum ſtudio atque judicio verſare Græcos Codices nunquam deſinat, intelligas. Finem faciunt elenchus vocum *Æſchylearum*, quarum maxima pars in *Henrici Stephani Theſauro* deſideratur, & alii duo Indices, unus Græcarum vocum, de quibus in Animadverſionibus agitur, alter Latinus, tam vocum Latinarum, quam ſtructurarum utriusque linguæ, rerumque aliarum memorabilium, ibidem expoſitarum; quartus index Autores veteres exhibet, qui præter *Æſchylum* a Noſtro vindicantur, emendantur, aut illuſtrantur. Ultimus denique loca ſacri Codicis deſignat, de quibus aut ſeorſim & ex profeſſo, aut data occaſione, diſſeritur.

Hæc eſt operis forma, e quo, quod noſtrum jam opus eſt, ſpecimina quædam afferemus. *Pag. 2* exempla proponuntur miræ dictionis, ὁρᾷν, βλέπειν, δέρκειν, &c. φωνὴν, *videre* (pro *audire*) *vocem*; in quibus *videre* idem eſt atque *deprehendere, animadvertere*; ut contra ἀκύειν, *audire*, pro *videre*, interdum uſurpatur. *Pag. 12* demonſtratur, πράγματα interdum idem valere atque *facultates*, *opes*, *prædam*. *Pag. 15* agitur de dictione ἐλθεῖν δι' ἀπεχθείας, διὰ λόγων ἰέναι, & ſimilibus. *Pag. 16* tentat Vir Clariſſ. *Euripidis* locum in *Phœniſſ. verſu 767*, quem tavtologiæ crimine liberare ſtudet. Eſt autem is:

> Καί μοι γένοιτ' ἀδελφὸν ἀντήρη λαβεῖν,
> Καὶ ξυςαθέντα διὰ μάχης ἑλεῖν δορὶ,
> Κτανεῖν τε.

Optat ſibi *Eteocles* fratrem in duello ſeorſim nanciſci & occidere. Jam urget Vir Clariſſ. ἑλεῖν δορὶ & κτανεῖν idem eſſe; ideoque reponit καὶ ξυςαθέντι διὰ μάχης ἐλθεῖν δορί. Non diffitemur, ſpecioſam eſſe conjecturam. Sed & viciſſim negari

gari

gari nequit, dictionem eo duram evadere, quod in uno membro duos dativos non cohærentes habet. Præterea non prorſus idem dicit utraque dictio, ἑλεῖν δορὶ, *haſta deſtruere*, & κτανεῖν, *occidere*. Poſterior poſſit ſuperiori per ἐπεξήγησιν appoſita fuiſſe. Et tandem, dura & tavtologa omnia Tragicorum, præſertim ſaxei illius Poetæ, *Euripidis*, mutare velle, eſt inconſultus, inutilis, & inexhauſtus labor. *Pag. 18* egregie vindicat ejusdem *Euripidis* locum in eadem Fabula *verſu 482*, monſtrans, ἀνὰ μέρος idem eſſe atque ἐν μέρει, *viciſſim, per vicem*. *Pag. 25 ſeq.* agit de verbo διήκω, & διάσσω, damnatque eos, qui διῆξε, cum jota ſubſcripto, edunt, & a διαΐσσω derivant. *Pag. 33* de ἕδρα, συνεδρία, διεδρία, ἔνεδρος, ἔξεδρος, verbis auguralibus, diſſerit. *Pag. 44* docet, μοχθεῖν (ut μοχθεῖν δέσμα) eſſe *perferre cum ærumna*, & μοχθεῖσθαι, *vexari, affligi*. *Pag. 46 ſeq.* agit de dictione χρίει μ' ἄρδις, *telum me ungit*, pro *ſauciat*, & ſimul de vera ſignificatione verborum χρᾶν, χρῆσθαι, χρέος, χρὴ, χρήζειν, χρεὼς, χραύειν, χραίνειν, &c. quam in *ſtringendo* ſitam eſſe putat. *Pag. 55 ſeq.* probat exemplis, tales dictiones, qualis eſt τὸ δέος τοὺς Ἕλληνας, *metus Græcos*, pro τῶν Ἑλλήνων, *Græcorum*, probas eſſe, idemque valere, atque τὸ δεῖσθαι τοὺς Ἕλληνας, τὸ *metuere Græcos*. *Pag. 59* monſtrat, in ἐπὶ cum genitivo ſæpe notionem *adverſitatis* ineſſe, tanquam ſi κατὰ, *contra*, ſcriptum eſſet; ut ἐπιγλωσσᾶν Διὸς, *contra Jovem linguoſus eſſe*. *Pag. 61* vindicat probitatem dictionis προσβάλλειν τινὶ λόγον, quod primo adſpectu vitioſum, & cum προβάλλειν permutandum; ſimul docet, ſæpe πρὸς & πρὸ Græcis promiſcue uſurpari. *Pag. 65* agit de illa ſtructura, qua præpoſitio, nomini ſubſtantivo præponenda, verbo jungitur, ut *monumentum colle impoſitum*, pro *in colle poſitum*, ἐπαιτιᾶσθαι συμφορᾶς, *calamitatibus ſuper accuſare aliquem*, pro αἰτιᾶσθαι ἐπὶ συμφορᾶς, *ſuper calamitatibus accuſare*, alicui eas imputare ut autori.

Hæc deprompta ex Animadverſionibus ad primam Fabulam ſufficiant. Ad ſecundæ titulum diſputatur *pag. 68*, *Æſchylus* ἑπτὰ ἐπὶ Θήβας, an Θήβαις, ſcripſerit; *pag. 75* phraſis

βλε-

Digitized by Google

βλέπειν Ἄρην. *Martem videre*, ὁρᾶν ἀλκὴν Φόβον, pro *reſpirare*, exponitur. *Pag. 81* phraſis διώκειν πόδα explicatur. *Pag. 88* obſervatur enallage numeri ordinalis pro cardinali, ut πύλαι ἑβδομαὶ, *portæ ſeptimæ*, pro ἑπτὰ, *ſeptem portæ*, & *menſes quarti*, pro *quatuor*; *pag. 94* enallage maſculini adjectivi, cum fœminino ſubſtantivo juncti, ut τύχη σωτὴρ, ϛολὴ Ἑλλην. *Pag. 307* monetur, κατὰ cum accuſativo idem valere, atque cum genitivo conſtructum, ut κατ᾽ ἄνδρα, *contra virum*. *Pag. 113* declaratur, quales ſint Θεοὶ οἱ ἐγγενεῖς *Pag. 117* difficilis locus *Æſchyli S. C. Th. verſ. 617* commoda diſtinctione & explicatione expeditur, ſcilicet τείνουσι idem notare atque σπεύδουσι, *ruentibus, tendentibus*. *Verſ. 623* κάρπος contra *Canteri* conjecturam, κάρτος, defenditur, oſtendendo, κάρπος, *fructum*, dici omne, quod ex aliqua re provenit, *effectum, efficaciam*. *Pag. 121* exponit Cl. Autor locum *Æſchyli verſ. 630*. χεῖρα δ᾽ ȣ̓ βραδύνεται παρ᾽ ἀσπίδος γυμνωθὲν ἁρπάσαι δόρυ, in hunc modum: *nec cunctatur haſta rapere*, (ſeu vulnus infligere,) *qua vel tantillum clypeo nudum corpus oſtenditur*. Veremur, ut multi ſint, quibus Latina hæc Græcis apta, & ſententia non violenter extorta, videantur. Δόρυ Cl. viro eſt nominativus, & ἁρπάζειν, *rapere*, idem atque ἁρπάζειν τραῦμα, *rapere*, ſeu *celeriter infligere, vulnus*. Quod vix videtur idoneo Autore probari poſſe. Tandem παρὰ in hac interpretatione prorſus perit. Procul dubio ſic fuerat interpretandum: *quoad manum vero, non cunctatur ille de clypeo nudam proripere haſtam*. Veteres, quam diu ſtantes in armis nondum conſererent manus, tenebant haſtam in ſiniſtra ſub ſcuto; & tam diu erat τὸ δόρυ οἱονεὶ κεκαλυμμένον, κεκρυμμένον, *haſta velut involuta velo, tecta*. Sed, ubi venerat ad manuum opus, protrahebatur haſta ſub ſcuto, & hic fiebat γυμνωθὲν, ἐγυμνȣ̃το, *nudabatur haſta*. Patet ex *Ariſtoph. Avib. verſu 390*, ubi *Euelpis* jubetur veru, quod pro haſta gerebat, ſub olla, quæ ſcutum ejus erat, recondere, & bello abſtinere, τὸ δόρυ χρὴ, τὸν ὀβελίσκον, περιπατεῖν ἔχοντας ἡμᾶς τῶν ὅπλων ἐντὸς, παρὰ τὴν χύτραν *Pag. 125* agitur de vi præpoſitionis ἐπὶ *finali*, & de ἐπικηρύσσειν, & ſimilibus ab ea

par-

particula compoſitis verbis; *pag. 132* de μᾶλλον cum comparativis & ſuperlativis juncto. *Pag. 134* demonſtratur exemplis, neutra pluralia non tantum cum tertia perſona verbi ſingulari, ut plerumque ſolet, ſed etiam, Latino more, cum tertia plurali, jungi. *Pag. 137* agitat illum *Æſchyli verſum 756*: κρατηθεὶς δ' ἐκ φίλων ἀβουλίαις: in quo aberratum a typothetis librariisve quis contendat, & emendandum eſſe ἀβουλίας. Noſter autem, ſcriptorum tenaciſſimus, per ambages quamvis, & tortuoſa via, mavult incedere, & ἐκ cohærere aſſeverat cum κρατηθεὶς, tanquam ſit ἐκκρατηθεὶς ἀβουλίαις φίλων. *Pag. 140* explicat phraſin Atticam ἐξ ἀνθρώπων, ut τὰ ἐξ ἀνθρώπων χρήματα, *opes, quæ inter homines, in orbe terrarum, exſtant. Pag. 149* reprimit Criticorum feſtinationem, qui diverſos caſus in eadem ſtructura mutatum & ſibi conformatum iverant, ut in illo *Plauti Aſin. III, 2, 31: ut meque teque atque ingenio noſtro decuit*, & illo *Livii V, 11: plenum vulnerum ac pavore*, aliisque Græcis, quæ ibi ponuntur, exemplis.

Argumentorum, in hoc libro enarratorum, ſufficiat hoc ſpecimen, ex Animadverſionibus ad primas duas *Æſchyli* Tragœdias depromtum. Jam illa quoque ad illuſtrationem Novi Teſtamenti facientia ſtrictim percurramus. Prima obſervatio, ad *Matth. III, 6*, pertinens, indicat vim verbi ἐξομολογεῖσθαι, *rotunde profiteri, ita ut nihil reticeas.* Ejusdem *Capitis verſu 11* phraſin βαστάσαι τὰ ὑποδήματα contendit Autor ſignificare, *tangere, tractare, adminiſtrare, curare calceos*; & eo ſenſu apud *Joannem* quoque *XII, 6*, legi τὰ βαλλόμενα ἐβάσταζεν. *Cap. V, 48*, demonſtrat, ἔσεσθε hic loci, & ſenſu, & ratione grammatica, imperativum eſſe, *eſtote. Cap. VI, 16*, perhibet, vultus ἀφανισμὸν eſſe talem, ejus mutationem a morbo, fame, & aliis cauſis, ut ſubſidat, & macilentus pallidusque appareat. Ad ἰδὼν τὰς ἐνθυμήσεις αὐτῶν demonſtrat, ἰδεῖν, *videre*, ſæpe idem atque εἰδέναι, *noſſe*, valere. *Cap. XIV, 8*, conjicit, vulgatum Interpretem non *præmonita*, ſed *præmota*, ſcripſiſſe, quando vocem προβιβασθεῖσα converteret. *Cap. XXVIII, 14*, ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος reddit *apud, coram, in conſpectu & oculis præfecti.* Ad *Marci Cap. I verſum 40* monet, γονυπετῶν

τεῖν τινι notare, *accidere cuipiam ad genua*; ſed γονυπετεῖν τινα, *aliquem ſupplici iſto actu honorare*. *Cap. III, 21*, ſignificationem verbi ἐξέϛη, *diſceſſit, non eſt amplius in domo*, adſtruit, cum aliis rationibus, tum ex *Euripidis Iphig. Tauric. verſ. 1229*. Ad *VI, 32*, notat, ἐκβάλωσι τὸ ὄνομα ὑμῶν, loquendi genus e theatro petitum eſſe, in quo proprie ἐκβάλλεσθαι dicebatur hiſtrio, qui non placebat. *Cap. VIII, 14*. vexatum multorum diverſis ſententiis fuit participium πορευόμενοι. *Semen autem*, ait Chriſtus, *quod in vepres cadit, ſunt illi, qui, poſtquam audiverunt verbum Deum, a curis & divitiis & voluptatibus vitæ πορευόμενοι συμπνίγονται*. Geminam proponit Cl. *Abreſch* ſuam hujus loci expoſitionem. Primo putat, controverſam vocem reddi poſſe per ἀπαγόμενοι, *abſtracti, violenter abrepti*. Quod ſi diſpliceat, ſuadet ὑπὸ accipere pro μετὰ, *euntes cum curis*, ut ὑπ' αὐλῶν, τυμπάνων, ᾠδῆς, &c. προπέμπειν, καταβαίνειν, &c. dicitur. Liceat & nobis noſtram opinionem proferre. Facillime permutari poteſt ο & υ, & frequentiſſimus eſt error ille in libris Græcis; & hoc ipſo loco librarios aberraſſe credimus, pravamque lectionem πορευόμενοι pro unice vera πυρευόμενοι dediſſe. Cor eſt ager, verbum Dei eſt ſemen, curæ, divitiæ, & voluptates, ſunt ſpinæ, quæ agrum iſtum πυρεύουσιν, *urunt*, id eſt, omnes ejus bonos ſuccos & vim germinantem ad ſe trahunt, ſeminique ſurripiunt. Bene quadrant πυρεύειν & συμπνίγειν, quod poſterius verbum de vapore calido, de igne ipſo, de ignito furno, uſurpatur. Ut Græci acres plantas, ſatis officientes, dicunt agrum πυρεύειν, & ipſum ab illis exhauſtum agrum πυρευόμενον: ita quoque Latini *urere* illas, & hunc *uſtum*, dicunt. *Virgil. Georg. I, 77:*

> *Urit enim lini campum ſeges, urit avenæ,*
> *Urunt lethæo perfuſa papavera ſomno.*

Cap. IX verſu 49 adſtruit probitatem dictionis ἀκολουθεῖν μετά τινος, altera ἀκολουθεῖν τινι non pejoris; item *Cap. XXIII, 28*, μὴ κλαίετε ἐπ' ἐμὲ, pro ἐπ' ἐμοὶ, *mei cauſa*.

E Reli-

Digitized by Google

Reliqua, quæ in Animadverſionibus & ſupplementis habentur magno numero ſcita & erudita, cupidi lectoris ſtudioſæ inquiſitioni permittimus & commendamus; quem nulli dubitamus continuationem & perfectionem utiliſſimi operis avide exſpectare.

MISCELLANEA PHYSICO-MEDICA, EX Academiis Germanicis depromta.

Tomus I.

Florentiæ, typis Joannis Pauli Giovanelli, 1747, 4.
Alph. 1 plag. 1.

Quotidiana docet experientia, quantæ ſint utilitatis opuſculorum minoris molis, ab eruditis viris conſcriptorum, collectiones, partim quod illa rariora ſæpe ſint, hoc vero modo ab interitu ſerventur, partim quod pluribus reddi poſſint cognita magis. Hisque cauſis excitatus *Giovanelli*, aliorum potiſſimum adjutus opera, in animum induxit, eas colligere Diſſertationes, quæ de morbis agunt, vel parum notis, vel nova methodo expoſitis, vel minus cognitas hiſtoriæ medicæ partes illuſtrant. Quantum præſtiterit, & an non ſelectiora quædam ſpecimina, noſtrorumque temporum genio doctrinæque magis accommodata, aliis nonnunquam præferri potuiſſent, judicent alii. Nos officio noſtro ſatisfeciſſe putamus, ſi breviter tantum, quid in hoc *Tomo* contineatur, exponamus. Licet autem impreſſæ jam omnes, vel Autorum ſuorum operibus inſertæ, legantur hæ Diſſertationes; non injucundum tamen & inutile fore putamus, ſi ex ſingulis præcipua ſententiarum adductarum argumenta repetamus. *Diſſertatio I*, a *Jo Stengelio* ſub *Jo. Henr. Mulleri* præſidio habita, agit *de Deo legislatore medico*, in qua probat, Deum in dandis Judæorum legibus, ut vocant, cerimonialibus medicum egiſſe, &, dum in iis vel de impuris cibis, vel de hominum vita, vel de ædificiorum ratione, præcepta continentur, Iſraelitarum conſuluiſſe ſanitati. *Diſſ. II*, a *Jo. Conr. Wolfio*,

p æ·

præſide *M. Georg. Alberto Stübnero*, defenſa, *de Nigritarum affectionibus*, colorem Nigritarum, docet, ab atramentoſo ſucco, in reticulari, a *Malpighio* dicto, corpore deprehendendo, oriri. *Diſſert. III*, quæ directore *Frid. Hoffmanno* a *Paulo Guil. Schmidio* conſcripta fuit, *præſtantiam malorum citreorum in medicina* exponit. Generatim hiſce virtutes attenuandi refrigerandique tribuit, deinde, quid boni ex eorum uſu in viſcera majorum cavitatum redundet, disquirit. Capitis viſcera ab iis vim cephalicam & apophlegmatizantem, pectus cordialem, abdomen ſtomachicam, carminativamque, percipere, aſſerit. Succum præterea vi anthelmintica, diuretica, antaphrodiſiaca, & vulneraria, pollere ſtatuit, nec non ſemina ſcorpionum ictibus reſiſtere judicat, toto vero pomo bezoardicam & alexipharmacam adſcribit facultatem. *Diſſert. IV*, quæ ab *Ehrhardo Brunnero*, moderante *Georg. Ern. Stahlio*, propoſita fuit, *frequentiam* perpendit *morborum in corpore humano præ brutis*, cauſasque eorum in principii, quo bruta ab hominibus diſtinguuntur, animæ ſcilicet, diverſitate quærit. *Diſſert. V* cujus Autor fuit *Chriſtianus Mentz*, Præſide adjutus *Jo. Wilh. Pauli*, *animi commotiones vi medica non deſtitui*, declarat, dum & ſolidæ & fluidæ partes, motus defectum, vel exceſſum, augendo, aut temperando, ab iis afficiuntur. In *Diſſert. VI* tandem *Jo. Sebald. Holl*, præſide *G. E. Stahlio*, *bonæ nutricis requiſita*, quoad lactis organa, naturam, & effectus, disquirit. Optandum fuiſſet, ut typographicæ mendæ, quæ copioſæ occurrunt, minus conſpurcaſſent hæcce opera.

DE COMPUTO REFRACTIONUM ASTRONOMICARUM, ſub hypotheſi radium lucis inſtar rectæ lineæ atmoſphæram trajicere. Obſervatio GODOFREDI HEINSII, Mathem. in Acad. Lipſ. P. P. O.

I. Ex eo tempore, quo refractiones aſtronomicæ modo certiori per obſervationes noteſcere inceperunt, de methodo quoque cogitarunt Aſtronomi, qua ex datis quibusdam refra-

 ctioni-

ctionibus in datis ſyderum altitudinibus pro reliquis ſuper horizonte elevationibus eorum refractiones calculo poſſent definiri. Quam ut commode ad leges Dioptricæ excolere liceret, atmoſphæram noſtram finxerunt uniformis ubique denſitatis, eamque in aliqua a ſuperficie terræ diſtantia ad partes cœli figura ſphærica terminatam imaginati ſunt, concentrica cum ſuperficie telluris ſphærica. Poſito enim extra hunc terminum æthere uniformi, id conſecuti ſunt, ut radius, a ſidere promanans, & ætherem ſecundum directionem rectæ lineæ tranſiens, in termino iſto atmoſphæræ noſtræ ſimplicem pateretur refractionem, qua facta radio refracto via quoque rectilinea pateret ad oculum. Licet autem, perſpecta deinceps pleniori modo atmoſphæræ natura, neque aerem ubique uniformiter denſum eſſe, neque terminum atmoſphæricum aſſignari poſſe, probe cognoſcerent, ita quidem, ut atmoſphæram potius in ſtrata numero infinita, cum ſuperficie terræ concentrice terminata, quæ adſcendendo a ſuperficie telluris continuum denſitatis decrementum admitterent, diviſam concipere cogerentur, per quæ radius tranſiens infinitas ſuſtineret refractiones, & viam in atmoſphæra curvilineam deſcriberet; nihilo minus tamen, refractiones ejusmodi continuas per fictionem colligendo in unicam æquipollentem, memoratam hypotheſin conſervarunt, & in conſtructione Tabularum refractionum ſolam fere ad uſum transtulerunt. Hæc *Hypotheſis, refractionis rectilineæ* dicta, prima quidem fronte calculum promittere videtur expeditum; attamen ex iis, quæ ſuo loco proferam, patebit, eam, quantum quidem conſtat, nondum ita politam eſſe, ut omnem limam iſta recuſaret. Veniam igitur me impetraturum eſſe ſpero, ſi methodum planam atque directam in præſenti exponam, refractiones ſecundum iſtam hypotheſin ad calculum revocandi; reliquorum, quæ ad methodi præſtantiam & uſum pertinent, explanationem ad aliam occaſionem reſervaturus.

TAB. I Fig. 1. II. Referat *OQD* Quadrantem circuli verticalis pro obſervatore *O* in ſuperficie terræ poſito. *C* ſit centrum terræ, & *OC* ſemidiameter ejus, quæ protracta ſignet lineam verticalem obſerva-

ſervatoris O. In plano hujus circuli verticalis producto ponatur atmoſphæra terminari ad PBK circulum, cum OQD concentricum. In ſpatio $OPKD$ fingatur aer atmoſphæricus ubique ejusdem denſitatis; in termino autem PBK prorſus deſinat iſte aer, ipſique confine ſit ſpatium cœleſte, ſive hoc vacuum ſtatuatur, ſive fluido ſubtiliſſimo denſitatis uniformis, quod *atherem* vocare licet, repletum; ita, ut in termino PBK unica fiat refractio radii, e ſpatio cœleſti in atmoſphæram tranſeuntis, dum iſte ceterum in utroque medio juxta rectam lineam propagatur. Aerem ſpatium $PKDO$ præſcripto modo replentem dicere convenit *auram refractivam*, PBK ejus *terminum*, OP *altitudinem*, quæ eſt diſtantia ſpſius PBK ab OQD.

III. Incidant jam radii NB, MH, in punctis B, H, qui refracti juxta BO, HO, oculum obſervatoris O feriant. Ducantur perpendicula CBL, CHG, & producantur NB, MH, reſpective juxta Bn, Hm; & erunt

	pro radio incidente NB		MH	
angulus inclinationis	NBL, qui ſit	$= I$	MHG, qui ſit	$= i$
- - - refractus	OBC,	$= A$	OHC,	$= a$
- - - refractionis ſeu refractio aſtronomica	nBO,	$= R$	mHO,	$= r$

ita ut refractiones R, r, reſpondeant reſpective diſtantiis viſis a Zenith BOP, POH, quibus ſidera ſecundum OB, OH, conſpicua a Zenith obſervatoris O in circulo verticali abeſſe videntur. Porro erit refractio nBO differentia angulorum inclinationis NBL, ſeu nBC, & refracti OBC, hoc eſt, $R = I - A$; & eodem modo $r = i - a$.

4. Theorema. *Refractiones aſtronomicæ ſunt in ratione tangentium angulorum refractorum reſpondentium*, ſeu

$$R : r = \text{tang. } A : \text{tang. } a$$

Demonſtr. Ex dioptricis nempe patet, manentibus mediis, conſtantem eſſe rationem inter ſinum anguli inclinationis & ſinum anguli refracti, ſeu

$$\text{ſin. } I : \text{ſin. } A = \text{ſin. } i : \text{ſin. } a$$

unde $\text{ſin. } I - \text{ſin. } A : \text{ſin. } A = \text{ſin. } i - \text{ſin. } a : \text{ſin. } a$. Evolvamus valores $\text{ſin. } I - \text{ſin. } A$, & $\text{ſin. } i - \text{ſin. } a$.

TAB. I Fig. 2. Hunc in finem centro c radio cb deſcriptus ſit quadrans circuli bgd, in quo capiantur quoad numerum graduum arcus $bh = \text{ang. } I$, $bg = A$, $bf = i$, $be = a$, ut ſit

$$bh - bg, \text{ ſeu } gh = I - A = R, \text{ \&}$$
$$bf - be, \text{ ſeu } ef = i - a = r \text{ (§. 3.)}$$

Ductis per h, g, f, e, ad dc parallelis hs, gq, fp, eo; & per g & e ad bc parallelis gk, el; erunt

$$hs = \text{ſin. } bh = \text{ſin. } I$$
$$gq = \text{ſin. } bg = \text{ſin. } A$$
$$hk = hs - gq = \text{ſin. } I - \text{ſin. } A$$
$$fp = \text{ſin. } bf = \text{ſin. } i$$
$$eo = \text{ſin. } be = \text{ſin. } a$$
$$fl = fp - eo = \text{ſin. } i - \text{ſin. } a$$

Cum refractiones aſtronomicæ R, r, ſint anguli admodum exigui, maxima vix dimidium gradus excedente; ideoque arcus gh, ef, valde parvi; hi pro elementis circuli & rectis lineis haberi poſſunt abſque errore ſenſibili. Producantur gh, ef, usque ad occurſum cum cb producta in t & v; eritque

$$gt = \text{tang. } bg = \text{tang. } A$$
$$ev = \text{tang. } be = \text{tang. } a.$$

His poſitis, triangula ghk, fel, pro rectilineis cenſenda, ex conditionibus figuræ ſimilia erunt reſpective triangulis gqt, eov; & inde

1) $gt : gq = gh : hk$, hoc eſt, ſubſtitutis valoribus,
$\text{tang. } A : \text{ſin. } A = R : \text{ſin. } I - \text{ſin. } A$

2) $ev : eo = ef : fl$, &, ſubſtitutis valoribus,
$\text{tang. } a : \text{ſin. } a = r : \text{ſin. } i - \text{ſin. } a.$

Hoc

Digitized by Google

Fig. 1.





Fig. 2.



Digitized by Google

Digitized by Google

Hoc pacto fiet

$$\text{ſin. } I - \text{ſin. } A = \frac{R \times \text{ſin. } A}{\text{tang. } A}$$

& $$\text{ſin. } i - \text{ſin. } a = \frac{r \times \text{ſin. } a}{\text{tang. } a}$$

quibus ſubſtitutis in ſuperiori analogia

$$\text{ſin. } I - \text{ſin. } A : \text{ſin. } A = \text{ſin. } i - \text{ſin. } a : \text{ſin. } a$$

prodibit $$\frac{R \times \text{ſin. } A}{\text{tang. } A} : \text{ſin. } A = \frac{r \times \text{ſin. } a}{\text{tang. } a} : \text{ſin. } a$$

$$\frac{R}{\text{tang. } A} : 1 = \frac{r}{\text{tang. } a} : 1$$

unde $$\frac{R}{\text{tang. } A} = \frac{r}{\text{tang. } a},$$ &

$$R : r = \text{tang. } A : \text{tang. } a$$

vel in literis Figuræ 1

$$nBO : mHo = \text{tang. } OBC : \text{tang. } OHC$$

quod erat demonſtrandum. TAB. I Fig. 1.

V. *Theor. Sinus angulorum refractorum ſunt inter ſe ut ſinus diſtantiarum viſarum a Zenith angulis refractis reſpondentium*, hoc eſt,

$$\text{ſin. } OBC : \text{ſin. } OHC = \text{ſin. } POB : \text{ſin. } POH$$

vel poſitis $POB = V$, $POH = v$

$$\text{ſin. } A : \text{ſin. } a = \text{ſin. } V : \text{ſin. } v$$

Demonſtr. Eſt enim in triang. BOC, $BC : OC = \text{ſin. } BOC$ (vel ſin. POB) : ſin. OBC, & in triang. HOC eſt HC (ſeu BC) : $OC =$ ſin. HOC (vel ſin. POH) : ſin. OHC; quare ſin. POB : ſin. $OBC =$ ſin. POH : ſin. OHC & inde ſin. OBC : ſin. $OHC =$ ſin. POB : ſin. POH, quod erat demonſtrandum.

VI. Ex his propoſitionibus patet, ſi per obſervationes daretur unica refractio R in data diſtantia viſa a Zenith V, & præterea aliunde cognitus ſit angulus refractus reſpondens A; pro

pro data quavis diſtantia viſa ſideris a Zenith v, inveniri poſſe refractionem convenientem r. Nam ex analogia, ſin. V : ſin. v = ſin. A : ſin. a, datur a & inde tang. a; ex analogia autem tang. A : tang. $a = R : r$, dabitur r. Exempli loco ſit $V = 90^\circ$, R (refractio horizontalis in hoc caſu) $= 32'.\ 20'' = 1940''$, $A = 88^\circ.\ 16'$, & quæratur refractio in altitudine 15°, exiſtente $v = 75^\circ$., fiet ſin. tot. : ſin. 75° = ſin. $88^\circ.\ 16'$: ſin. a

$$\begin{array}{ll} \log.\ \text{ſin}.\ 88^\circ.\ 16' & = 9,9998012 \\ \log.\ \text{ſin}.\ 75^\circ & = 9,9849438 \\ \hline \log.\ \text{ſin}.\ a & = 19,9847450,\ \&\ a = 74^\circ.54'.9'' \end{array}$$

Porro tang. $88^\circ.\ 16'$: tang. $74^\circ.\ 54'.\ 9'' = 1940''$: r

$$\begin{array}{ll} \log.\ \text{tang}.\ 74^\circ.\ 54'.\ 9'' & = 10,5690001 \\ \log.\ 1940 & = 3,2878017 \\ \hline & \ 13,8568018 \\ \log.\ \text{tang}.\ 88^\circ.\ 16' & = 11,5191080 \\ \hline \log.\ r & = 2,3376938 \end{array}$$

unde $r = 218'' = 3'.\ 38''$.

quæ eadem prorſus eſt cum refractione, quam Tabula refractionum *Caſſiniana* indicat pro altitudine 15 graduum. Sic expeditus erit refractionum calculus, dummodo fundamenti loco in data diſtantia viſa a Zenith refractio detur, & angulus refractus reſpondens cognitus ſit; quarum quidem conditionum priorem obſervationes ſuppeditant; poſteriorem vero inveniendi methodus nunc explicari debet. Hunc in finem ſequens ſolvam.

VII. Problema: *Datis per obſervationes duabus refractionibus nBO, mHO, in datis diſtantiis viſis a Zenith POB, POH; invenire alterutrum angulorum refractorum reſpondentium, puta OBC, vel OHC.*

Sol. Sint

$$\begin{array}{llll} nBO = R, & \text{ſin}.\ POB & = & b \\ mHO = r, & \text{ſin}.\ POH & = & d \\ & \text{tang}.\ OBC & = & x \end{array}$$

Digitized by Google

Per §. 4 eſt $nBO : mHO =$ tang. OBC : tang. OHC
vel $R : r = x :$ tang. OHC
unde tang. $OHC = \frac{rx}{R}$

Si jam haberentur valores ſin. OBC, ſin OHC; ope §. V daretur æquatio, valorem ipſius x ſuppeditans. Ponatur ergo

ſinus totus $= s$
ſin. $OBC = y$ erit cos. $OBC = \sqrt{s^2 - y^2}$
ſin. $OHC = z$ cos. $OHC = \sqrt{s^2 - z^2}$

Per Elem. Trigonometriæ erit

tang. OBC : ſin. tot. $=$ ſin. OBC : cos. OBC

$$x : s = y : \sqrt{s^2 - y^2}$$

unde

$$x^2 : s^2 = y^2 : s^2 - y^2$$

$$x^2 s^2 - x^2 y^2 = s^2 y^2$$

$$x^2 s^2 = (s^2 + x^2)\, y^2$$

$$\frac{xs}{\sqrt{s^2 + x^2}} = y = \text{ſin. } OBC.$$

Eodem modo erit

tang. OHC : ſin. tot. $=$ ſin. OHC : cos. OHC

$$\frac{rx}{R} : s = z : \sqrt{s^2 - z^2}$$

$$\frac{r^2 x^2}{R^2} : s^2 = z^2 : s^2 - z^2$$

$$r^2 x^2 s^2 - r^2 x^2 z^2 = R^2 s^2 z^2$$

$$r^2 s^2 x^2 = (R^2 s^2 + r^2 x^2)\, z^2$$

$$\frac{rsx}{\sqrt{R^2 s^2 + r^2 x^2}} = z = \text{ſin. } OHC$$

Jam per §. V eſt

$$\text{ſin. } POB : \text{ſin. } POH = \text{ſin. } OBC : \text{ſin. } OHC$$

$$b : d = \frac{sx}{\sqrt{s^2 + x^2}} : \frac{rsx}{\sqrt{R^2 s^2 + r^2 x^2}}$$

$$= \sqrt{R^2 s^2 + r^2 x^2} : r\sqrt{s^2 + x^2}$$

unde $b^2 : d^2 = R^2 s^2 + r^2 x^2 : r^2 s^2 + r^2 x^2$

$$r^2 b^2 s^2 + r^2 b^2 x^2 = d^2 R^2 s^2 + d^2 r^2 x^2$$

$$r^2 b^2 x^2 - d^2 r^2 x^2 = d^2 R^2 s^2 - r^2 b^2 s^2$$

$$(b^2 - d^2)\, x^2 = \left(\frac{d^2 R^2}{r^2} - b^2\right) s^2$$

$$x \sqrt{b^2 - d^2} = s \sqrt{\frac{d^2 R^2}{r^2} - b^2}$$

$$x = \frac{s\sqrt{\frac{d^2 R^2}{r^2} - b^2}}{\sqrt{b^2 - d^2}} = \frac{s\sqrt{\left[\frac{dR}{r} + b\right]\left[\frac{dR}{r} - b\right]}}{\sqrt{(b+d)(b-d)}}$$

Dabitur ergo x & proinde angulus OBC, qui quæritur.

VIII. Calculus ope logarithmorum commode abſolvitur. Eſt enim log. tang. OBC = log. ſin. tot. +

$$\frac{\log.\left[\frac{Rd}{r} + b\right] + \log.\left[\frac{Rd}{r} - b\right]}{2} - \frac{\log(b+d) + \log.(b-d)}{2}$$

Exempli loco, obſervatæ ſint refractiones in horizonte & in altitudine ſideris viſa 10 graduum reſpective 32′. 20″; & 5′. 28″., & quæratur angulus refractus OBC, vel A, qui reſpondeat refractioni horizontali. Ex hiſce conditionibus fiat

$R =$

Digitized by Google

R	=	$32'.\ 20''$	=	$1940''$
r	=	$5.\ 28$	=	328
b	=	ſin. $90°$	=	10000000
d	=	ſin. $80°$	=	9848077 & erit
$b + d$			=	19848077
$b - d$			=	151923
log. $(b + d)$			=	$10,\ 2977184$
log. $(b - d)$			=	$8,\ 1816230$

Characteriſtica utriusque logarithmi, ex multitudine figurarum numericarum in numero propoſito alias dijudicanda, aucta hic eſt tribus unitatibus, ut iſta cum characteriſtica Tabulari logarithmorum ſinuum & tangentium conſpiraret.

$$\text{log.}\ (b+d) + \text{log.}\ (b-d) = 18,\ 4793420$$

$$\frac{\text{lon.}\ (b+d) + \text{log.}\ (b-d)}{2} = 9,\ 2396710$$

Porro eſt $r : R = d : \frac{Rd}{r}$

$$328 : 1940 = \text{ſin.}\ 80° : \frac{Rd}{r}$$

$$\text{log.}\ 1940 = 3,\ 2878017$$

$$\text{log. ſin.}\ 80° = 9,\ 9933515$$

$$13,\ 2811532$$

$$\text{log.}\ 328 = 2,\ 5158738$$

$$\text{log.}\ \frac{Rd}{r} = 10,\ 7652794$$

Habeatur $\frac{Rd}{r}$ inſtar tangentis; & ex canone tangentium erit

Digitized by Google

$$\frac{Rd}{r} = 58247780. \quad \text{Eſt autem}$$

$$b = 10000000. \quad \text{Unde}$$

$$\frac{Rd}{r} + b = 68247780$$

$$\frac{Rd}{r} - b = 48247780$$

$$\log.\left(\frac{Rd}{r} + b\right) = 10,8340886$$

$$\log.\left(\frac{Rd}{r} - b\right) = 10,6834773$$

$$\log.\left(\frac{Rd}{r} + b\right) + \log.\left(\frac{Rd}{r} - b\right) = 21,5175658$$

$$\frac{\log.\left(\frac{Rd}{r} + b\right) + \log.\left(\frac{Rd}{r} - b\right)}{2} = 10,7587829$$

$$\text{log. ſin. tot.} = 10,0000000$$

$$20,7587829$$

$$\frac{\log.(b+d) + \log.(b-d)}{2} = 9,2396710$$

$$\text{log. tang. } OBC = 11,5191119$$

$$\text{unde } OBC, \text{ vel } A, = 88^{0}.16'.8''.3'''$$

$$\text{ſeu rotunde} = 88^{0}.16'.$$

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum ſcientiarum ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VI Pars IV.

Lipſiæ,

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1749, 8.

Plag. 12.

Nondum ceſſat Muſa noſtra inſervire quamplurimis, in eo dudum verſata, ut exercitationibus ex omni eruditionis parte depromtis ſeſe lectoribus, boni rectique amantibus, commendet. Ad eundem cenſum referimus dapes, quæ in hoc faſciculo apponuntur. In principiis præſto eſt Clariſſ. *Caroli Henrici Leibichii*, Profeſſ. Publ. Viteberg. *de Cœtibus illis, quos literis ſuis Apoſtoli Chriſti ſalutarunt, Diſſertatio.* Quæri poteſt, utrum ad Judæos, & ex his ad Chriſtum adductos, an ad paganos potius, Apoſtoli in Epiſtolis ſuis reſpexerint. Concedit Noſter cuicunque, Judæos ubique locorum, quo venerunt Apoſtoli, doctrinam puriorem diſſeminaturi, ſedes & domicilia habuiſ- Pag. 580.
ſe. Nec tamen, *Paulum* ad Judæos potiſſimum reſpexiſſe, ipſe affirmat. Meminiſſe juvat ipſum, *Paulum* vocaſſe ſemet ἐθνῶν ἀπόστολον, *Rom. XI*, 3, ſiquidem ipſi demandata fuerit annunciatio Evangelii, gentibus expromta, *Gal. II*, 7. Negat Noſter, Judæorum multitudinem, in gentium terris oppidisque commorantem, viciſſe, vel æquaſſe, numerum gentium, a Meſſia, vel
ſperando, vel jam excepto, alienarum. Provocat idem ad nomi- 582.
na virorum & fœminarum, Epiſtolis *Paulinis* in calce ſalutandi cauſa ſuffixa. Provocat idem ad Epiſtolam Hebræis ſcriptam, quam ad Judæos, paſſim diſpalatos, exiſtimat datam, in ſubſidium vocans illud *2 Petr. III, 15.* Gentibus, quibus in monte tem-
pli licuit Hieroſolymis conſiſtentibus ſacra Judæorum eminus 585.
ſpectare, ſacra Judæorum non fuiſſe ignota, docet, negans, omnem fere eccleſiæ N. T eſt. formam ad leges diſciplinæ Ju-
daicæ fuiſſe conformatam; negans, baptiſmum noſtrum e ba- 587.
ptiſmo proſelytorum eſſe ortum; negans, S. Euchariſtiæ originem ex formula Judæorum paſchali repetendam eſſe. Videtur præterea ipſe eo propendere, ut neget, formulas diſputandi Judaicas in Epiſtola *Pauli* ad Romanos haud eſſe quærendas. Juncta fuit huic Diſſertationi *Diſſertatio Petri Zornii poſthuma de Vera & genuina lectione ad Rom. IX, 5, adverſus Socinianos vindicata.* R Autor divinitatem Chriſti ex voce εὐλογητὸς, quæ *verum Deum* deſignat, ſolide comprobavit. Nam ve-

rus Deus vocatur ברוך, εὐλογητὸς, *Marc. XIV*, 61, *Luc. I*, 68,
Pag. 593. Jeſus, ſeſe Deum eſſe, liquido indicavit *Jo. V, XIX*. Succedit Exercitationi huic *Joannis Chriſtophori Harenbergi Continuatio quarta, eaque ultima, Supplementi in Hadriani Relandi librum de Urbibus & Vicis Palaeſtinae*. Autori viſum eſt negare, per oppidum *Tadmor* deſignari Palmyram, praeferens ſitam in deſertis Judaeae Engadam. *Tarſchiſch* ipſi eſt *Tarteſſus*, ad oſtium Baetis intra Hiſpaniam ſita. *Terebinthus* copioſe illuſtra-
610. tur aeque ac *Tyrus*. Miraculum illud, in Jordane quod exſtitit, *Joſ. III*, 19, memoratum, adverſus *Hermannum von der Hardt* Autor facillima & expedita ratione vindicat. *Tzoba* ei eſt Abila Lyſaniae, urbs Syrorum. Situm loci *Tzuk* definit ad Kidro-
614. nem in Judaeae deſertis. Videtur locum *Ur Casdim* pro Edeſſa reputare. *Utz*, *Jobi* patriam, inter Autaeos figit, prope Midianitas & cornu ſinus Arabici verſus ſeptentriones. Urbem *Zaredam* illuſtrat, & pro Zartan habet, immo pro *Zor*, *Hoſeae IX*, 13.
618. Diſcrimen ponit inter *Betthar*, *mutationem*, inter *Bitteram* Idumaeae, ſeu Bozram, ac inter *Bitteram*, imperante *Adriano* per *Barcoba* fata illuſtratam. Hanc tertiam fuiſſe Bethchoron, XII mill. paſſ. Hieroſolymis disjunctam, oſtendit. Reliqua Lectoribus, eorumque induſtriae, permittimus expendenda. Invitat
619. nos Ven. *Pauli Erneſti Jablonski Obſervatio de Cnepho, vel Cnuphi, Aegyptiorum, id eſt, Agathodaemone*. Abdita vulgo, abſtruſa, & aliena, ſunt a memoria eorum, qui Hiſtoriam philoſophicam paſſim ſcribunt; ultima Philoſophiae Aegyptiae ſtamina. En hic denuo ejus rei, quae ad ultimas ſapientiae Aegyptiorum origines ſpectat, ſpecimen! Autor ex doctrina Aegyptiorum de *Phtha* & *Neitha* docet, ipſos adoraſſe Spiritum aeternum, omnia permeantem, & rerum omnium cauſam. Oſtendit porro, hanc rerum omnium cauſam Aegyptios modo ut omnis boni cauſam ſub nomine *Cnephi*, vel *Cnuphis*, modo ut cauſam mali ſub nomine *Tithrambi*, coluiſſe. Commentatur de *Cnepho* ex veterum teſtimoniis. Originationem nominis *Cneph Lacrozianam* perpendit, ſuamque promit, ratus, *Cnuphin* ſermone Aegyptiorum proprie ſonare bonum genium, ſeu Agathodaemonem. Hic exiſtimatus fuit aeternus ac ſupremus Spiritus, qua-

tenus

Digitized by Google

tenus is hominibus bene facit. *Jamblichus*, & ex recentioribus
Platonicis alii, doctrinam de *Cnepho* priſtinam inſigniter adul-
terarunt, ſed ita tamen, ut id, quod verum & antiquum eſt, ex
fabulis eorum, beneficio cumprimis linguæ Ægyptiacæ, erui
poſſit. Id ipſum hoc loco exemplis confirmatur novis. Ad- Pag. 633.
hæc nomen *Kamephis* illuſtratur, &, ſucceſſu temporis no-
men *Cnuphis* ab Ægyptiis etiam Nilo inditum fuiſſe, immo
ſymbolis illis ſacris, quæ fertilitatem Nili adumbrabant, tradi-
tur. Progredimur hinc ad *Joannis Jacobi Reiske Libellum A-* 650.
nimadverſionum ad alteram editionem Burmannianam Petronii,
ejusque Partem IV, quæ eſt ultima. Miras hic deprehendimus
antiquitatum, Græcarum Latinarumque literarum, & artis cri-
ticæ, epulas, monita adverſus *Pauwium*, Ultrajectinum, &
correctionem locorum, in quibus aliquid humani paſſus vi-
detur *Burmannus*. Sequuntur *Jo. Sal. Semleri*, *Salfelda-Thu-* 686.
ringi, *Vindiciæ aliquot Ciceronis locorum ab intentatis emen-*
dationibus: ubi ſimul manus gypſatiſſimæ relegantur. Legun-
tur vulgo manus *gypſatiſſimæ* in *Ciceronis ad Diverſos Epiſt.*
VI Lib. VII. Eſt, qui legendum ſuaſit *diſertiſſimis*. *Cicero* ex
Ennii Medea hic nonnihil decerpſit. Ita vero locum diffici-
liorem legit Noſter: *Quibus illa in manibus gypſatiſſimis per-*
ſuaſit, ne ſibi vitio illæ verterent, quod abeſſet a patria. *Me-*
dea Græca apud *Euripidem* δόμυς πατρὸς vocat, quæ *Ennius*,
interpolans addendo de ſuo, manus vocavit gypſatiſſima, do-
mum regiam, deſignaturus. In Invectiva ſecunda *Ciceronis* le-
guntur vulgo hæc: *Jam vero urbes coloniarum ac municipio-* 689.
rum reſpondebunt Catilinæ tumulis ſilveſtribus. Credit Noſter,
hæc verba eſſe ab aliena manu. At is, qui hanc criſin diſcepta-
vit, ſecus ſentit, negans, aliquid eſſe intruſum, vindicansque
locum *Ciceronis de Officiis I, 26*, qui ſic vulgo legitur: *Iis-*
dem temporibus cavendum eſt, ne aſſentatoribus patefaciamus
aures, nec adulari nos ſinamus. Vir doctiſſimus illa, *nec adula-* 693.
ri nos ſinamus, habet ob tavtologiam pro gloſſemate. Adula-
tor ab aſſentatore differt. *Marcellus Nonius* locum legit, ut
nos illum legimus. *Adulare* profecto eſt verbum probatum.
Vindicatur porro locus *de Officiis II, 16*, ubi verba *a leviſſimo*

quo-

quoque eliminari voluerat Vir doctiſſimus. Oſtenditur vero ex orationis complexu, dicentisque ſcopo, ea extrudi & pro-
Pag. 694. pulſari haud poſſe, immeritumque eis exilium intentari. Vindicatur tandem contra *Juſtum Lipſium* locus *Ciceronis de Natura Deorum II, 26: Ut Portunus a Porta, ſic Neptunus a nando, paululum primis literis immutatis.* Lipſius *a nubendo*, vel *a nuptu*, loco verborum *a nando* voluit ſcribi. At *Cicero III*, 24, illud *a nando* repetiit, & confirmare contendit. *Cicero*
695. enim ſæpe infelix fuit Etymologus. Pervenimus hinc ad *Frid. Ott. Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas quarta, ejusque prior Pars.* Scenam hic aperit titulus confictus libri titulo carentis: *Bartholomæi Fontii Orationes ſex, Vita Pauli Ghiacetti, Donatus, ſive de Pœnitentia*, 4. *Maittairius* videtur librum haud inſpexiſſe, quippe quem vocat *Orationes*, nihil præterea adjiciens. *Jo. Cinellius* in ſuſpicionem incidit, librum A. 1477 Florentiæ in lucem exiiſſe ex officina *Jo. Jacobi di Ripoli.* Quæ de Autore *Fontio*, & Orationum argumento, Noſter diſſeruit, digna ſunt, quæ legantur. Pariter tituli expers eſt liber,
708. qui exhibet *Theophili Brixiani de Vita ſolitaria & civili*, ad invictiſſ. Principem *Guidonem Ubaldum*, Mouferetrium, Urbini Ducem, Dialogum, nec non ejusdem *de Vita & Moribus Bernardi, Abb. Claravall.* Carmen encomiaſticon, 4. Brixienſem anni 1496 editionem haud ignoravit *Maittairius*, a noſtra diſcrepantem. Rariſſimi ſunt *Laurentii Abſtemii Libri duo de quibusdam locis obſcuris, Venetiis, per Bernardinum Benaltum*, 4. Ad eundem cenſum refer *Xenophontis Philoſophi librum de Vita tirannica, per Leonardum Aretinum traductum*, 4, nec non *Petri Marſi* Orationem. Coronidis loco accedit biga Epiſtolarum: una *Ottonis Menckenii* ad *Bohuslaum Balbinum*, Pragenſem Jeſuitam, altera *Balbini* ad eundem. Concluditur *Volumen VI* Indice gemino.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Februarii Anno MDCCL.

ΤΩΝ ΔΙΩΝΟΣ ΤΟΥ ΚΑΣΣΙΟΥ ΚΟΚΚΗΙΑΝΟΥ Ρωμαικῶν Ἱστοριῶν τὰ σωζόμενα *CASSII DIONIS COCCEJANI Hiſtoriæ Romanæ quæ ſuperſunt. Volumen I, quod complectitur Fragmenta Librorum I - XXXV, cum annotationibus maxime HENRICI VALESII; Libros XXXVI - LIV integros, cum annotationibus JO. ALBERTI FABRICII ac paucis aliorum. Græca ex Codicibus MStis & Fragmentis ſupplevit, emendavit, Latinam Verſionem Xylandro - Leunclavianam limavit, Varias Lectiones, Notas doctorum & ſuas, cum Apparatu & Indicibus, adjecit, HERMANNUS SAMUEL REIMARUS. Opus Eminentiſſimo ac Reverendiſſimo ANGELO MARIÆ Cardinali QUIRINO, Brixiæ Epiſcopo, & Bibliothecario Vaticano, ob ſumma in illud merita inſcriptum.*

Hamburgi, ſumtibus Chriſtiani Heroldi, typis Jo. Ge. Piſcatoris & filii, 1750, fol. maj.

Alph. 8, plag. 15, cum effigie *Fabricii.*

Splendidiſſimæ huic, &, quacunque ex parte ſpectetur, præſtantiſſimæ, atque adeo Germanorum æque ac exterorum meritiſſimis plauſibus excipiendæ, editioni occaſionem dederunt Annotationes, multiplici eruditione refertæ, quas in *Libros Dionis*

XXXV-

Digitized by Google

XXXV-LX reliquerat Vir ſummus, *Joannes Albertus Fabricius*. Eas ut ab interitu vindicaret, ſimulque deſideriis Eruditorum, meliorem & pleniorem *Dionis* editionem optantium, ſatisfaceret, *Hermannus Samuel Reimarus*, magni *Fabricii* haud minor gener, cetera, quæ in ipſa operis inſcriptione indicantur, addidit.

Dedicatio, omni venerum & ſuavitatum genere ornatiſſima, Eminentiſſimi Cardinalis *Quirini* prædicat ex merito beneficium, quo Varias Lectiones ex duobus præſtantiſſimis Codicibus MStis Bibliothecæ Vaticanæ Editori transmittere, & antiquiſſimam membranam *Urſini*, tres ultimos *Libros* continentem, ipſemet conferre, non eſt dedignatus, humaniores ceteroquin literas & ipſe ſcriptis ſuis ornans mirifice, & alios ad opem afferendam liberaliſſime excitans.

Præf. §. 2. Ad Præfationem, octo plagulas implentem, accedimus, qua nihil legi plenius, nihil elegantius, nihil ſuo dignius Autore, poteſt. Docet hæc, quousque ſuperiorum Editorum laudabilis induſtria rem perduxerit, & quid hac nova editione ſit additum. Nempe *Robertus Stephanus* Lutetiæ A. 1548, fol. primus *Dionem* Græce edidit inde a fragmento *Libri XXXV* usque ad finem *Libri LVIII*, (qui verius ceteris eſt *LX*,) *ex unico*, ut ipſe ſcribit, *exemplari, eoque valde mendoſo, & accuratam ac diligentem caſtigationem deſiderante*. Sequitur tamen is Codicem ſuum tam religioſe, ut manifeſtiſſimos etiam errores librarii ſine correctione expreſſerit, pauca tantum, eaque modeſte, ſub finem libri in annotationibus emendaſſe contentus; adhibita quoque interdum *Leoniceni* verſione Italica, Venetiis A. 1542, 8, edita, quæ ex alio Codice, ſed in eodem fere

3. luto hærente, petita erat. Quo magis vero hæc *Roberti* editio inſtar ipſius Codicis MSti eſſe poſſit, eo diligentius hanc ſibi conferendam duxit *Reimarus*; nec id fruſtra, quoniam multæ ex ea veriores lectiones poſtliminio revocari potuerunt, aliquanto ſeu negligentius, ſeu audacius, a ſequentibus mutatæ. Erant igitur, præter particulas plurimas, vocabula vel ſingula, vel plura, omiſſa: in *pag. 242, F.*, edit. *Leuncl.* in verbis: *τόν τε μῆνα, ἐν ᾧ ἐγεγένητο, Ἰούλιον - - ἐπεκάλεσαν*, deſiderata vox Ἰούλιον hiulcam relinquebat orationem. *Pag. 510*, fin. ex verbis *τήν τε γέφυραν τὴν ξυλίνην*, exciderant hæc

duo

duo γιφύραν τὴν. *Pag. 550, B,* ex verbis ὁσάκις ἂν αὐτὸς ὁ αὐτοκράτωρ, omiſſa erant αὐτὸς ὁ. Alia temere mutata erant, ut quando Τίλλιον Κίμβρον, illum *Cæſaris* percuſſorem, Bithyniæ præfectum, præeunte *Xylandro, Henricus* fecerat Τύλλιον, *Leunclavius pag. 345, B,* Τούλλιον, quem verius Τίλλιον cum *Roberto* ſcribit Codex Mediceus *Dionis,* & in *Appiano* alius Codex Mediceus, ut pluribus demonſtravit Cel. *Perizonius Animadverſ. Hiſt. Cap. 8 pag. 331,* & in præclaro *Antiquitatum Gr. Theſauro Gronovius Tom. III pag. 300.* Αἴλιος Γάλλος, Ægypti præfectus, & expeditione in Arabiam Felicem ſatis notus, *Xylandro* primum, deinde & *Henrico* ac *Leunclavio pag. 561, D,* mutatus erat in Κίλιον Λάργον, illum, qui ſupra *pag. 512, D,* dictus fuerat *Valerius Largus.* Sed utique *Ælius Gallus* poſt *Cornelium Gallum* Ægypto præfuit, & hanc expeditionem ſuſcepit, ſicut ex *Zonara, Plinio, Joſepho, Galeno, Strabone,* pulchre oſtendit ad h. l. *Fabricius.* Tacemus Σερούϊον Γάλβαν, *pag. 598, C,* temere converſum in Σέργιον, item Φάβιον Περσικὸν *pag. 636, C,* in Πρισκὸν, aliaque præter rem mutata.

Guilielmus deinde *Xylander,* juvenis quinque & viginti annorum, & inops, intra menſes ſeptem, Latine *Dionem,* A. 1557, & mox *Xiphilinum*, convertit; majore ſane ingenio, eruditione, & ſtudio, quam pro ætate & pro mercenaria opera, ſed & magis feſtinanter & accuratione minore, quam dignitas Scriptoris requirebat: quod & ipſe in Præfatione & Elegia præmiſſa queritur, & ſæpius *Leunclavio* confeſſus eſt, *hanc lucubrationem ſibi non a fama, ſed fame, extortam & præcipitatam.* Hinc ſæpius a *Lipſio, Caſaubono,* aliisque, & ex inſtituto a *Leunclavio*, hæc verſio eſt caſtigata. Sunt tamen in annotationibus ſubjunctis multæ emendationes textus admodum probæ, & ex parte jam ab *Henrico* & *Leunclavio* receptæ. Quod autem *Xylander* in Præfatione ſcribit, ſimul cum ſua verſione edi Græca *Dionis* & *Xiphilini,* plurimo, quam ante, correctiora, id quidem eventu caruit. §. 4.

Henricus demum *Stephanus* A. 1591, fol. Græcum *Dionem* iterum cum *Xylandri* verſione edidit, ſola parentis editione, nullo novo Codice, inſtructus. Nec annotationes ad- 5.

 didit,

Digitized by Google

didit, ſed tantum in Præfatione paucula emendanda perſecutus. Mutavit tamen plurima ex emendatione ſua, & pleraque recte. Quanquam volebat omnino cum *Xiphilino* annotationes ſuas & Eclogas *Dionis* vulgare; quod tamen, edito licet mox A. 1592. fol. *Xiphilino*, non præſtitit, forte quod prævenisſet *Leunclavius*, ut ſtatim dicetur. Interim Lugduni ſervatur *un Dion tout ſemé de notes marginales écrites de la main*
§. 6. *d'Henry Etienne*, ut teſtatur *Dominicus de Colonia Tom. II Hiſt. Lit. de Lyon pag. 760.* *Leunclavius* autem anno jam proxime ſequenti 1592, 8. feſtinato prodire juſſit *Dionem* Latinum ex verſione *Xylandri* ad marginem emendata, additis Latine *Libris XX* poſterioribus, *LXI* — *LXXX*, ex *Xiphilini* Epitoma, a *Guil. Blanco* verſa, & pariter ad marginem a ſe caſtigata: adjectis etiam Eclogis *Dionis*, ab *Urſino* editis, Græce, cum ſua verſione; quarum Eclogarum habuit & ipſe Codicem MStum a *Sylburgio* communicatum, qui eas *Theodoſio* cuidam adſcribit. Succedunt notæ *Leunclavii* in omnes hos Libros, emendando textui inſervientes. Græco-Latina autem totius *Dionis* editio *Leunclaviana*, ſubjunctis non tantum *Leunclavii*, ſed & *Roberti* & *Henrici Stephanorum*, *Xylandri*, & *Sylburgii*, annotationibus in *Dionem* & *Xiphilinum*, diu poſt ejus obitum, qui A. 1593 menſe Junio Viennæ contigit, vulgata eſt a *Wecheliis* A. 1606. fol. forte ex exemplari (quo uno uſus eſt *Leunclavius*) editionis *Henrici Stephani*, cui ad marginem etiam nonnulla adſperſerat. Ne quem vero Præfatio & Dedicatio *Leunclavii* præmiſſa moremur, tenendum eſt, hanc totidem verbis repetitam eſſe ex Latina editione.

Præterimus *Xiphilini* editiones, ſatis notas, & *Selecta de Lega-*
7. *tionibus ex Polybio, Dionyſio Halic. Diodoro Siculo, Appiano Alex.*
8. & *Dione*, collectas a *Joanne* quodam Conſtantinopolitano, (vel ſecundum *Sylburgii* Codicem, *Theodoſio*,) quas, in Sicilia repertas, *Fulvius Urſinus* Græce edidit, ſubjunctis fragmentis trium Librorum *Dionis* poſtremorum ex membrana *Urſini* vetuſtiſſima 1000 annorum, ſed bibliopegi cultro mutilata, Antwerp. 1582, 4, ex quibus jam *Leunclavius Dionis* Eclogas & fragmenta Græce cum ſua verſione Latina denuo vulgaverat, ut demon-

Digitized by Google

monſtravimus. Ex eo autem tempore alia *Dionis* fragmenta, non minus inſignia, in inſula Cypro reperta ſunt, quæ, ad *Nicolaum Fabricium Peireſcium* delata Lutetiam, ab *Henrico Valeſio* Græce & Latine cum annotationibus producta ſunt in lucem Pariſ. 1634, 4. ſub titulo: *Polybii, Diodori Sic. Nicolai Damaſceni, Dionyſii Hal. Appiani Alex & Joannis Antiocheni, Excerpta ex Collectaneis Conſtantini Auguſti Porphyrogennetæ.* In ipſo Codice inſcribuntur περὶ ἀρετῆς καὶ κακίας, ſuntque pars Collectaneorum hiſtoricorum *Conſtantini*, in LIII Titulos & bis totidem Libros diſtributorum, ex quibus eſt & Titulus *de Legationibus*, cujus Librum priorem *Urſinus*, poſteriorem *David Hæſchelius*, publici juris fecit, Auguſtæ Vindel. 1603, 4. Novam poſtea opem *Dioni* tulit *Jac. Gronovius*, *Supplementa lacunarum in Æneа Tactico, Dione Caſſio, & Arriano, de expedit. Alexandri M.* ex Codicibus Mediceis proferens Lugduni Bat. 1675, 8; nec prorſus inutilis fuit *Nic. Carminii Falconis* opera in *Caſſii Dionis Romanæ Hiſtoriæ Libris III repertis & reſtitutis*, Romæ, 1724, 4, quatenus membranam *Urſini*, tunc Vaticanam, denuo diligenter contulit, laceras quoque ejus columnas, quas *Urſinus* prætererat, edidit, &, qua potuit, ex *Xiphilino*, Eclogis *Urſini*, atque *Excerptis Peireſcianis*, explevit. § 9.

Præter has vero acceſſiones, varia adhuc alia ad meliorem *Dionis* editionem deſiderari poterant: 1) ut, quoniam omnes adhuc *Dionis* editiones ex uno *Roberti*, eoque mendoſo, Codice fluxerant, plures MSti Codices conferrentur; 2) *Xiphilinus & Zonaras*, breviatores *Dionis*, non niſi obiter inſpecti erant a ſuperioribus; & una tamen continua lectione collati cum *Dione* multo plus adjumenti poterant præſtare; perinde ut *Suidas*, in quo, præter annotata jam aliis loca *Dionis*, plura reperiuntur, nemini adhuc obſervata; 3) ipſæ editiones poſteriores *Dionis* abire cœperant a *Robertina*, adeoque a MStis. & *Henricus* quidem, non monito lectore, multa mutaverat, quæ, ſi recte inſtituiſſet, ejus nomini & laudi vindicare par erat, examinare certe, & loco rejiculorum *Robertinas* lectiones vocare, conveniebat. *Leunclaviana* vero Græco-Latina 10.

Digitized by Google

infinitis locis, *Wecheliorum* negligentia, ſcatebat vitiis, quorum vel ſola omiſſionis 68 enumerat Autor, in quibus ſingulis integra vocabula, vel verſus integri, aut dimidii, deſiderantur; ſic ut ſubjici novæ editioni non potuerit, niſi ad priores *Roberti* & *Henrici* accurate exacta. Quo exemplo monentur eruditi, ne induſtriam in corrigenda ſua editione veterum Autorum infra ſe putent: nam, quantumcunque errorum ope Codicum MStorum & ingenii ſui ex Autore vetere ſuſtulerint, tantundem, imo plus multo, typographi, ni caveant, plenis, quod ajunt, plauſtris in eundem invehent. 4) Supererant præterea in *Dione* errata librariorum plurima, quæ nondum a præclaris ingeniis corrigi potuere; unde *Dio Autor denſis, ſi quisquam alius, mendis obſitus* audit doctiſſimo *Kühnio* ad *Pollucem I, 94, not. 37,* &, *infinita ſcitu digniſſima in Dionis Græcis verbis, vel corruptis, vel male hactenus expoſitis, latere,* queritur *Caſaubonus* ad *Suet. Cæſ. Cap. 20,* 5) Accedit verſio *Xylandro-Leunclaviana*, diligentis correctionis egens, quod agnoverunt dudum omnes cultioris doctrinæ periti. Quanquam de *Leunclavio* paulo inclementius judicat *Caſaubonus Epiſtola 994* ad *Marquardum Freherum,* ſic eum verſatum eſſe in *Dione*, ut *Leunclavium* non agnoſcat; *ita multa craſſa, fœda, ingentia, hominis peccata: jures, ſi illum aliunde non noris, neque lingua Græcæ, neque Latinæ, neque Hiſtoriæ Romanæ, neque Juris, ullam λόγου ἀξίαν habuiſſe eum cognitionem.* Ineſt enim in hoc judicio aliquid privati odii, quoniam ad Epiſtolam quandam *Caſauboni* non reſpondit *Leunclavius*. Fiduciam tamen & feſtinationem nimiam in eo agnoſcit Cel. Editor, quia poſt acceptam *Henrici Stephani* editionem, A. 1591 vulgatam, (qua una uſus eſt,) anno ſtatim 1592, 8. edidit ſuum *Dionem Leunclavius*, mox A. 1593 mortuus: ut minus mirum ſit, eum non raro lapſum eſſe, quam quod tam brevi tempore tam multa in Græcis juxta ac Latinis feliciter potuerit emendare. 6) Res etiam a *Dione* traditæ annotationes requirere videbantur, partim quod ipſe *Dio* hallucinatus ſæpenumero, ſæpius male intellectus erat, partim quod brevius ab eo relata cum aliorum narratione con-

Digitized by Google

conferre, & alibi non obvia notare, antiquitates & jura explicare, erat operæ pretium. 7) Denique Index Græcus verborum Scriptoris ἀπ̓λιαίζοντος, & plenior Latinus, deſiderabatur.

His deſideriis ut ſuo modo ſatisfaceret præſtantiſſimus Editor, ſiſtit nobis in principio Fragmenta priorum *XXXIV Librorum Dionis:* 1) *Valeſiana, num. I - XIX,* quæ nempe *Valeſius* ex variis Autoribus collegit in *Excerptis Peireſcianis pag.* 770-775; 2) *Peireſciana, num. XX - CXXXIX,* ex Codice *Peireſciano Excerptorum Conſtantini* edita ab *Henrico Valeſio;* 3) *Urſiniana, num. CXL - CLXXVII,* ex Eclogis Legationum *Conſtantini* vulgata a *Fulvio Urſino.* Verſio *Valeſianorum* Cel. Editori, *Peireſcianorum Valeſio, Urſinianorum Leunclavio,* debetur, niſi ubi horum interpretationem limandam Editor cenſuit, qui & varias lectiones, itemque annotationes *Valeſii, Urſini, Leunclavii,* & ſuas, ſubjecit, addito poſtremum fragmento ſub *num. CLXXVIII,* ex *Xiphilini* initio, quod in reliquiis *Libri XXXV Dionis* non reperitur, ad quod tamen ipſe *Dio pag.* 855, *C,* lectorem remittit. Spicilegium fragmentorum *Dionis* Lectores ad calcem *Voluminis II* invenient. §. 11.

12. Quoniam vero inter Fragmenta *Peireſciana* & *Urſiniana* octo occurrunt *num. CXXI - CXXIV,* & *num. CLXXIII - CLXXVI,* quæ ad verbum ſumta ſunt ex *Plutarchi Sulla,* ideoque *Valeſius Dionem* inter *furates & plagiarios Græcos* refert, & nuperus *Dionis* detecti & reſtituti Editor (*Nic. Carminius Falco*) non veritus eſt ſub *Dionis* (nimirum plagiarii) nomine totum fere *Plutarchi Romulum, Numam, Poplicolam, Camillum,* itemque *Zonaram, Dionis* compilatorem, a *pag.* 323-471 ad verbum transſcribere, & pro *Dione* reſtituto venditare; ab hoc plagii crimine vindicandum ſibi *Dionem* Cel. Editor ſumit. Miratur, ſi tam infans & brutus compilator *Dio* fuerit, qualem *Falco* præſertim fingit, quomodo is lectores & admiratores ſuos habuerit apud veteres, aut hodie ſit inventurus; an quod illi *Plutarchum* nunquam legiſſent? nos eundem cum *Zonara* non teneamus? Sin ſecus, verendum eſt, ne totum hoc compilationis crimen potius in nuperum inſtau-

§ 13. ſtauratorem *Dionis* recidat. Enimvero, *Zonaram* plurima ex *Dione* mutuatum eſſe, dudum conſtat, ſed refingit is ad ſuum ſtilum, & admiſcet bene multa ex *Plutarcho, Polybio, Appiano, Joſepho*, aliis, ut periculoſum ſit, *Zonaræ* verba & res, niſi magna cautione adhibita, pro *Dionis* venditare. Nam, qui ex ſolo odoratu ſtili, quæ cujusque Autoris ſint, voluerunt conjicere, eos ſæpiſſime falli, exemplo *Urſini* & *Caſauboni* docuit *Valeſius* in Præfatione ad *Excerpta Peireſciana, E, 1, b.* Quod vero ad *Dionem* attinet, merito ſuſpecta eſt accuſatio, quoniam in uno *Plutarchi Sulla* ſubſiſtit furtum. Qui fit ergo, ut nusquam alibi nec aliorum, nec *Plutarchi*, verba ſibi vindicet *Dio*, cum toties occaſio fuerit eadem narranti? Sed nec in *Plutarchi Hannibale, Gracchis, Lucullo, Cicerone, Pompejo, Cæſare, Bruto, Antonio, Othone, Galba*, vel ipſe *Falco* cernere potuit quidquam cum *Dioniis* conveniens. Imo, ubi diſerte *Plutarchum* laudat *Dio*, ut Fragmento XXXVIII & CXXXIII, verba tamen ejus, quod ibi ſine crimine poterat, non retinuit: ceteroquin verbis ubique, rebus etiam ſæpiſſime, a *Plutarcho* diſcrepans. Neque vir conſularis, in cauſis agendis, rebusque gerendis, diu verſatus, qui *Atticos* ſcriptores diligenter legerat, & feliciter imitatur, plane diſertus in Orationibus, inſertis Hiſtoriæ, imo qui ſibi in dicendo tantum tribuit, ut non alia de cauſa *Ciceronem* & *Senecam*, qui ſua ætate principes eloquentiæ habebantur, ſugillare videatur, non ille, inquam, vel tam inops eſſe verborum poterat, ut alieno ore, quam ſuo, loqui mallet, vel ſua illud perſona non indignum exiſtimare. Neque *Photius Cod. LXXI* ſtilum ejus velut *Thucydideum* cum majore perſpicuitate tantopere commendaſſet, ſi ſervilem in eo *Plutarchi* compilatorem deprehendiſſet.

14. Quid ergo? Veriſimile eſt, *Dioni* accidiſſe, quod *Appiano* obſervavit *Xylander*, ad *Dionis pag. 129*, ut Parthicis ejus mutilis plurima ex *Plutarchi* & *Antonio* affluerent librarii. Sic & *Dionis* Codicibus, dudum circa hæc tempora lacunoſis, ut ex *Zonara pag. 471, B,* colligitur, probabile eſt, librarios, lucrum ex pleniore exemplo captantes, quædam ex *Plutarchi Sulla* adſcripſiſſe. Hinc illi, quibus *Conſtantinus* negotium excerpendi

pendi veteres dederat, in ejusmodi ſubdole integratum *Dionis* exemplum incidentes, quædam nobis *Plutarchi* fragmenta pro *Dionis* imprudentes dederunt.

In Libris *Dionis*, qui a XXXV magis integri ſupererant, lacunæ expletæ ſunt non tantum ex Codice Mediceo, cujus Supplementa ſeparatim dederat Clariſſ. *Gronovius*, ſed & ex optimo Codice membranaceo Vaticano *num. 144*, qui, in ſuperioribus cum Supplementis Mediceis per omnia conſentiens, ultra *Librum L*, ubi Mediceus deſinit, etiam ad *Libri LIV* finem decurrit. Specimina adducuntur ejusmodi Supplementorum Vaticanorum ex *pag. 446, A, 452, A*, editionis *Leunclavii*, & nos præterea ex variis lectionibus hujus editionis recentis plura obſervamus *pag. 247 g, 276 f, 307 h, 316 u, 424, 469 m, 610 g, 612 r, 663 c, d, 665 f, 678 c, 682 n, 710 x, 732 s.* Fragmenta autem poſteriorum Librorum, quæ *Dioni* integrando *Urſinus* & *Valeſius* ſuppeditarunt, ſuis quæque locis inſerta, & uncis circumſcripta, in *altero* maxime *Volumine Dionis* occurrent. §. 15.

Emendationes ſunt cum ex Codice Vaticano jam laudato, tum ex altero ejusdem Bibliothecæ chartaceo *num. 993*, qui ad finem *Libri LX* pertingit, itemque ex Codice Mediceo, ex quo ſola ſupplementa lacunarum in vulgus protulerat Vir Cel. *Jac. Gronovius*, varias autem lectiones ex ſchedis paternis cum Cel. Editore communicavit Doctiſſ. *Abrahamus Gronovius*. Acceſſerunt variæ quædam lectiones, ſeparatim a *Valeſio* annotatæ ex Codice *Peireſciano*. 16.

Ceterum *Xiphilinus* præſertim, tum & *Zonaras* ac *Suidas*, antiquiſſimorum Codicum vicem præſtiterunt, ex quibus veriores lectiones *Dioni* reſtituere, ex *Xiphilino* etiam hiatus quosdam ſarcire, licuit: unde Cel. Editor præter editiones *Xiphilini*, & Codices ac emendationes a *Sylburgio* adhibitas, varias quoque lectiones, a Cel. *Monteſalconio* ex *Coisliniano* Codice prolatas, & Codicem Breslavienſem, ab Ampliſſ. Senatu, parario S. R. *Jo. Frid. Burgio*, ſecum communicatum, diligenter contulit. His junge conjecturas Virorum doctorum, *Roberti* & *Henrici Stephanorum, Xylandri, Leunclavii, Urſini, Valeſii, Sylburgii*, aliasque, nondum edi- 17.

H tas,

Digitized by Google

tas, easque adſperſas partim ad exemplum editionis *Robertinæ*, quod, cum *Turnebi* fuiſſet, a *Frid. Menzio*, Profeſſore olim Lipſienſi, communicatum eſt, partim ad aliud editionis *Henrici*, quod, notatum manu Angli eruditi, *Obadiæ Oddey*, transmiſſum eſt a Celeberrimo *Richardo Meadio*, Medico Regio, & ad aliud editionis *Leunclavii* ex Bibliotheca *Fabriciana* ab Anonymo annotatas. Taccimus frequenti lectione conquiſitas undique emendationes *Palmerii*, *Lipſii*, *Caſauboni*, *Salmaſii*, *Cujacii*, *Franciſci Fabricii*, *Henrici Noriſii*, *Ezechielis Spanhemii*, *Thomæ Reineſii*, *Petri Fabri*, & plurimorum aliorum, quibus ipſe Cel. Editor ſuas paſſim adſperſit. Hinc ampla materia variarum lectionum.

§. 19. Recepit in textum ex Codicibus MSſtis, tum *Xiphilino*, *Zonara*, (ubi *Dionem* preſſius ſequitur,) *Suida*, & Collectaneis *Conſtantini*, meliora; ex conjecturis eruditorum non niſi neceſſaria; in quibus tamen timidiuſcule interdum verſatus, vellet nunc, *pag. 365 lin. 94* editionis ſcripſiſſet δᾶδες αἴθουσαι, pro ἅπτουσαι, quæ erat elegans conjectura *Oddeyi*; & *pag. 212 lin. 2* σκάφη ἀναδεόμενα, pro ἀναδυόμενα, quod confirmatur ex *pag. 329 lin. 52*; & *pag. 563 lin. 89*. Nomina propria, diverſimode ſcripta a librariis & in editionibus, monitu *Xylandri* ſtuduit ad unam & ſimilem ſcriptionem revocare.

20. Latinam verſionem *Xylandri*, aut *Leunclavii*, qua melior erat, reliquit intactam, in plurimis tamen locis aberrantem a vero, aut negligentius, aut minus perſpicue, minusve Latine, expreſſam, correxit & expolivit. Quod cum rariſſime ſuis locis indicetur, unius *pag. 118* exemplo docet, quam facile ſit ſecurius agenti, ſeu verba, ſeu res, aliter ac decebat accipere. Nam, ubi populus Romanus *Gabinio* iraſcitur, quod latrones Syriam diripere neglexiſſet, ἐπειδὴ οἱ τελῶναι, μὴ δυνηθέντες τὰ τέλη δι' αὐτοὺς (λῃστὰς) εἰσπράξαι, συχνὰ ἐπώφλησαν, *Xylander* & *Leunclavius* vertunt: *magnum æs alienum conflaverant*. Sed verbum ἐπόφλω non indicat, nova publicanos nomina feciſſe, neque id curabat populus, verum vetera non diſſolviſſe, vetera reliqua plurima ærario debuiſſe. Geminus eſt

Digitized by Google

eſt *Thucydidis* locus *VIII, 5, pag. 509, lin. 23:* φόρους, οὓς δὴ Ἀθηναίους ἀπὸ τῶν Ἑλληνίδων πόλεων ὀυ δυναμένους πράσσεσθαι, ἐπωφείλησε. Eadem *pagina Dionis* legitur: ἑτοίμως εἶχον καταψηφίσασθαι ἀυτοῦ· καὶ γὰρ ὁ Κικέρων τά τε ἄλλα ἰσχυρῶς ἐνῆγε, καὶ συνεβούλευε σφίσι. Xylander: *Ciceroque cum alias magnopere adverſum Gabinium contenderet.* Leunclavius: *vehementer Gabinium accuſavit.* Sed ἐνάγειν non eſt accuſare aliquem, vel contendere contra aliquem, ſed *inſtigare, incitare,* neque hic ad *Gabinium* refertur, ſed ad populum, quem concitavit *Cicero* ad *Gabinium* condemnandum. Sic Fragm. *XL,* ἐνάγοντας ἀυτοὺς τοῦ Δεκίου: *LXIV,* ἐναγόντων τῶν φθονούντων: *CLXV,* Διαίου ὅτι μάλιστα ἀυτοὺς ἐνάγοντος. Pergit *Dio:* ὁ οὖν Πομπήϊος ὅ τε Κράσσος ὑπάτευόν τε ἔτι. καὶ ὁ μὲν ἀυτῷ βοηθῶν, ὁ δὲ τὴν ἐκείνου χάριν - - ὑπὲρ ἀυτοῦ διεδικαίουν. Xylander: *eorum alter Gabinio ultro ſtudebat,* legens nempe ἀυτῷ βοηθῶν. quod & *Leunclavius* probans ad marginem poſuit. Sed ἑαυτῷ βοηθῶν, elegantius & verius. Nam *Pompejus Ptolemaei* Ægyptii reſtitutionem, contra S. P. Q. R. decretum, *Gabinio* mandaverat *pag. 115, E, 116, D,* adeoque *Gabinium* defendens, ideo accuſatum, ſibi ipſe opem ferebat, quia *Gabinii* culpa in ipſum recidiſſet. βοηθεῖν ἑαυτῷ frequens Græcis, ut *Æſchini* init. *Orationis contra Timarchum,* aliis. Mox *Dio:* Κἀν τούτῳ ὁ Τίβερις. εἴτ᾽ οὖν ὄμβρων ἄνω που ὑπὲρ τὴν πόλιν ἐξαισίων γενομένων εἴτε καὶ σφοδροῦ πνεύματος ἐκ τῆς θαλάσσης τὴν ἐκροὴν ἀνακόψαντος - - τοσοῦτον ἐῤῥύη, &c. *Xylander & Leunclavius: ſive pluviis ſupra urbem immenſis delatis:* quæ, ſi non hac mente ſcripta ſunt, certe hoc ſignificare poſſunt, nubes, ſupra urbem pendentes, in ipſam urbem delatas eſſe. Diſtinctius: *ſive imbribus alicubi ſuperius ultra urbem delatis.*

In Annotationibus, quarum pleræque in hoc Volumine §. 2.
Celeberrimi *Fabricii* ſunt, tota ejus temporis hiſtoria, Geographia, rituumque & legum ratio, collatis undique reliquorum ſcriptorum teſtimoniis, illuſtrata legitur, ea copia, eruditione, & diligentia, qualem a *Fabricio* exſpectare par erat:

 pau-

pauculas tamen ſuas & *Xylandri* atque *Leunclavii* interſeruit Cel. Editor. Poſtremos *viginti Libros Dionis* idem ſuis annotationibus explicatos dabit, quos B. *Fabricius* non magis, quam textum Græcum & Latinam interpretationem, aut fragmenta, attigit, cum a ſe impetrare non poſſet, quod bibliopolæ flagitabant, ut omnia, quæ ad editionem pertinerent, a capite ad calcem elaborata atque abſoluta ſimul ſemelque ipſis in manus traderet prius, quam ipſi opus ord.rentur.

§. 22. Forma Operis externa hæc eſt: charta omnis ex Belgio; typi Græci Latinique, juxta recentes & luculenti, & compendiis ſcribendi carentes, æquali fere verſuum numero ubivis decurrunt; paginæ adverſæ annotationes ſic inter ſe partiuntur, ut textus textui, annotationes annotationibus, ſemper æquales reperiantur. Textus in capita diſtinctus in margine Græco habet paginas editionis *Leunclavii*, in Latino annos U. C. cum Coſſ. cujusque temporis. Literæ *a*, *b*, *c*, &c. inſertæ Græcis, remittunt ad varias Lectiones; numeri 1, 2, 3, &c. ad annotationes. In fronte cujusque Libri Conſulibus & annis U. C. additi ſunt anni ante, vel poſt, C. N. Lemmatibus addita capita, quibus continentur: omnia magna cum attentione & cura ab ipſo Editore correcta.

Pag. 16 lin. 16. Ceterum, quanquam ex ipſo Opere difficile eſt ſeligere ſpecimina, tamen pauculas emendationes Cel. *Reimari*, & annotationes *Fabricii*, dabimus. In *Fragmento XXXIII* legitur *Stolo* Tribunus pl. impediviſſe, quo minus plebs cum Patriciis rediret in gratiam, τοιοῦτόν τι εἰπὼν, ὡς οὐκ ἀπίοιεν εἰ μὴ φάγοιεν. Hæc mirum in modum obſcura eſſe, queritur *Valeſius*; ſanari poſſe putat *Reimarus* §. 51, ſi legas: ὡς οὐκ ἂν πίοιεν εἰ μὴ φάγοιεν. Eſſe enim παροιμιωδῶς dictum, quod *Livius* ſimpliciter *VI*, 40: *aut omnia accipite, aut nihil fero.* Nempe *Stolo* ſimul de fœnore & de plebejo Conſulatu rogaverat, populus autem alteram tantum de fœnore & agro rogationem juſſerat, alteram de Conſulatu antiquaverat. Ibi tum *Stolo* per proverbium, neminem bibiturum, inquit, eſſe, qui nolit; reſpiciens ad morem intemperantium, qui jejuni bibunt, & vinum recipiunt inanibus venis, ut ait *Seneca Epiſt.* 122, eoque tende-

re

Digitized by Google

re videtur reſponſio *Appii Claudii* apud *Livium*, idem hoc eſſe, *ut ſi quis ei, quem urgeat fames, venenum ponat cum cibo*, &c. Interim conjecturam hanc *Reimarus* ſubmittit judicio eruditorum, & præſertim Eminentiſſimi *Quirini*, qui cenſebat, retineri debere lectionem vulgatam hoc ſenſu: *illos ex concione non abituros, niſi, quod ipſis appoſitum fuerat, comederent*, & eſſe ſimiliter dictum; ut *ærumnam vocare*, *avaler le morceau*, *inghiottire il boccone*. *Fragmento CLXV* Achivi Pag. 70 Lacedæmonios velut diſſenſionis autores accuſant, διάγευσι lin. 16. ὀτιμάλιςα αὐτοὺς ἐπάγοντες. Sic MS. *Urſinus* Διογένους, probante *Leunclavio*. Noſter *§. 260* Διαίου ὀτιμάλιςα. &c. quoniam *Diogenis* cujusdam in hoc negotio nemo veterum meminit, *Diæum* vero primum excitaſſe Achæos ad ſpes magnas, & ſemel iterumque exercitum duxiſſe cum contra Lacedæmonios, tum contra Romanos, victumque tandem eſſe a *Mummio*, multis teſtimoniis conſtat *Pauſaniæ VIII, Cap. 12, VII, 12, pag. 552 ſeq. 555, Cap. 15, pag. 559 ſeq. Livii Epit. Lib. LII, Oroſii V, 3, Polybii* in *Excerptis Peir. pag. 181 ſeq.* & *Urſini Cap. CXLIV*, itemque *Zonaræ pag. 470*. Dudum etiam *Diæi* nomen reponendum eſſe apud *Florum II, 16, 4*, vidit *Pighius ad A. U. 607*, oſtendens, hoc idem nomen ubivis fere corruptum reperiri in *Dratus*, *Diemus*, *Diacmus*, *Dieucus*, *Dioneus*. In Fragmento *Libri XXXV* pag. 4, C, edit. 82 l. 61. *Leuncl.* *Fabius* a *Mithridate* victus narratur: (οἵ τε γὰρ Θρᾶκες - - καὶ οἱ ἐν τῷ Ῥωμαϊκῷ ςρατοπέδῳ ὄντες ἰσχυρῶς αὐτοῖς ἐβοήθησαν. οἵ τε Θρᾶκες - - ἐς προσκοπὴν πεμφθέντες - - συνεπέθεντο τοῖς Ῥωμαίοις. καὶ ἐν τούτῳ, ἐλευθερίαν σφίσι τοῦ βαρβάρου κηρύξαντος, συνεπελάβοντο τοῦ ἔργου) ἀνάλωσαν ἄν. Sic priores editiones. *Reimarus*, vitium eſſe, docet, in verbis καὶ ἐν τούτῳ, cum *Dio* ſcripſerit καὶ οἱ δοῦλοι, quod & ordo narrationis, & libertas promiſſa, quæ non in Thraces, homines liberos, ſed in ſervos, convenit, & mos *Mithridatis* ſollicitandi ſervitia Romanorum ſpe libertatis, teſte *Appiano pag. 185, C, 209, C, 211, D*, requirere videntur, præſertim cum *Dionium* haud facile ſit, καὶ ἐν τούτῳ, ſed καὶ τούτῳ, ſcribere. Aſteriſcum lacunæ ſignum tollit, inſerto

καὶ ex Codice Vaticano: cohærent enim nunc Μάρκον Φά-
Pag. 115 βιον ἐνίκησαν (ſequitur parentheſis) καὶ ἀνάλωσαν ἄν. Li-
lin. 94. bro XXXVII pag. 32, E, Pompejus triumviros mittit, litem in-
ter Mithridatem & Tigranem compoſituros, καὶ αὐτοὺς ἐκεῖ-
νοι διαιτητὰς ἐπιγραψάμενοι πάντα τὰ πρὸς ἀλλήλους ἐγκλή-
ματα διελύσαντο. Pro ἐπιγραψάμενοι Xiphilinus προσηκά-
μενοι, Oddeyus ἐπιδεξάμενοι, ſcribendum eſſe, judicat. Sed
probum eſt ἐπιγραψάμενοι pro recipere, admittere. Julianus
Cæſar. pag. 845, 28, edit. Sylburgii, φίλον καὶ συμβιωτὴν
ἐπιγράφομαι. Thucydides V, 4, πολίτας ἐπεγράψαντο
πολλούς. Plura Clariſſ. Reitzius ad illud Luciani Tom. I
118, 55. pag. 828, ἐπιγράφονται ἅπαντες προςάτην ἑαυτῶν. Eodem
Libro pag. 33 fin. Dio A. U. C. 690, pauca, ſed memorabilia,
accidiſſe, ait, μνήμης δ' οὖν ἄξια πρὸς τοὺς τῶν ἀνθρωπείων
πραγμάτων παραλόγους. Leunclavius legi volebat πρὸς τοῖς
- - παραλόγοις. Nec enim οἱ παράλογοι, inquit, ſed τὰ πα-
ράλογα, dici ſolent. Fallitur autem bifariam. Πρὸς hic utique
accuſandi caſum flagitat, ubi ſignificat propter, &, ἀρσενικῶς
τὸν παράλογον recte dici, annotavit Scholiaſtes Thucydidis I,
78, aliique veterum apud Cel. Dukerum l. c. pag. 53, 74, &
Waſſium pag. 153, 69. Adde pag. 177, 12. Non igitur ſollicitan-
139, 60. da hæc lectio. Eodem Libro pag. 50, 4, ſacra a Clodio teme-
rata, quæ Veſtales apud Conſules & Prætores peragebant,
maribus inacceſſa, ἅπερ αἱ ἀειπαρθένοι - - ἁγνῶς τὰ ἐκ τῶν
πατρίων ἐς πᾶν τὸ ἄῤῥεν ἐπετέλουν, corruptus locus. Leun-
clavius non dubitat, Dionem ſcripſiſſe: ἁγνῶς ἐκ τῶν πατρίων
ἄνευ παντὸς ἄρρενος ἐπετέλουν. Sed temere nimis urit, ſe-
cat; videtur expeditius, nec minus tuto, ſanari vulnus, ſi facia-
mus, ut coeat. Scribo ἄγνωςα - - ἐς πᾶν τὸ ἄῤῥεν, conjun-
158, 81. gendo diviſa. Sic Editor. Libro XXXVIII pag. 66, C, Cice-
ro dicitur affectaſſe δόξαν τοῦ δύνασθαι συνεῖναι τε καὶ εἰπεῖν
ἃ μηδεὶς ἄλλος. Leunclavius συνιέναι τε. Noli movere, inquit
Noſter, etiam συνιέναι dicitur non modo apud Dionem pag. 820,
173, 54. A, 708, D, ſed & Herodotum, Demoſthenem, Herodianum, ut do-
186, 78. cuit Gatakerus ad Antonin. Lib. V §. 6. Eodem Libro pag.
78, B, παρ' οὐδενὶ - - τίθενται. Malim παρ' οὐδέν. Sic cum
τίθε-

Digitized by Google

τίθεσθαι *Fragmento XXIV*, cum ἄγειν *pag. 22, A*, cum ποιεῖν *Fragmento XXXVII*. Eodem Libro *pag. 90, D*, αἱ γυναῖκες αὐλῶν βαρβάρων, videtur diſtinguenda vox αὐλῶν. Αἱ γυναῖκες αὖ τῶν βαρβάρων. Eodem Libro *pag. 91, C*, ξιφίδια προσβολὰς χαλυβδικὰς ἔχοντα. *Xylander* χαλυβδινὰς ſcribi jubet, *Leunclavius* χαλυβικὰς, quia non ineſt δ voci χάλυβος, ut in μόλυβδος. *Reimarus* χαλυβδικὰς non putat rejiciendum. Nam, ſicut Χάλυβες & Χαλύβη gens & regio circa Pontum dicebatur, unde σίδηρος ὁ περὶ τὰ φωμώματα ἐπαινούμενος ἐξάγεται, ſic, *Stephano Byzantino* annotante, λέγεται μετὰ τοῦ δ Χαλυβδικὸς τὸ κτητικὸν Λυκόφρων Χαλυβδικῷ κνώδοντι. καὶ ἡ χώρα Χαλυβδικὴ λέγεται. Adde *Heſychium*: quanquam *Tzetzes* ad *Lycophr. verſ. 1169* Χαλυβδικὸν pro Æolico habet. *Libro XXXIX pag. 97, 4*, *Cicero* aream ædium ſuarum recuperat, καίτοι τῇ Ἐλευθερίᾳ ἀντικείμενον, καὶ τοῦ Κλωδίου καὶ ἐπιθειάζοντος, καὶ ἐς ἐνθύμιον αὐτοῦ προβάλλοντος. Locus valde corruptus, inquit *Leunclavius*, ſic reſtituetur e meo quidem ingenio: καὶ θυμίασιν ἐς αὐτὸ προβάλλοντες. Sed ἐνθύμιον, ut *Heſychius* & *Suidas* exponunt, eſt σεμνὸν, *religioſum*, & προβάλλειν, *proponere*, *rogationem ferre*. Spectant huc verba *Ciceronis pro domo ſua ad Pontif. Cap. 20: In meis ædibus te ſignum* (Libertatis) *dedicaſſe, eaque te ex una rogatiuncula feciſſe*. Ibidem *Ptolemæus*: ἔτυχεν ὥστε ὑπάτου Σπινθῆρος - - καταχθῆναι. Ἐνέτυχεν ὥστε δι' ὑπάτου Σπινθῆρος *Xylander* & *Turnebus*. Ἐνέτυχεν ὥστε ὑπὸ ὑπάτου Σπινθῆρος *Leunclavius*. Verum ſimplicius eſt ἔτυχεν ὥστε ὑπὸ τοῦ Σπινθῆρος καταχθῆναι. *Cicero Epiſt. I, 7, Ita fore, ut per te reſtituatur, quemadmodum Senatus initio cenſuit*. Ibidem *pag. 102, C*, *Pompejus* incipit *Cæſari* invidere καὶ ἐκείνῳ γε ἄλλως τε μεγάλως ταινιουμένῳ καὶ τὰ ἐκείνου συσκευάζοντι (ſic vulgo) ἄχθεσθαι ταινιουμένῳ haud dubie vitioſum, nec tamen ſubit, qua ratione emendari poſſit, inquit *Xylander*, ſi cui τιμωμένῳ reſtitui non placet; aliis nobis indicet magis *Dionium*, ſubjungit *Leunclavius*. At ταινιουμένῳ probum eſt, exponendum ex *Heſychii* κοσμουμένῳ. Conf. *Dionem pag. 26, A*. Coronis enim veterum additæ tæniæ, Vid. *Mureti Var.*

Pag. 187 lin. 20.

195, 2.

202, 84.

Var. Lect. XV, 7. Vitium latebat in voce *συσκευάζοντι*, pro
Pag 232 qua ex Codice Vat. *b.* hic ſcriptum *συσκιάζοντι*. *Libro XL*
lin. 38. *pag. 126, C, Zenodotii* cives, arceſſitis Romanis, quaſi ſe in fi-
dem eorum daturi, receptos obtruncant, *καὶ διὰ τοῦτο καὶ ἀ-
νέστησαν*. Deeſt *αὐτὴν οἱ Ῥωμαῖοι, Xylander.* Locus emendatu
difficilior: dico, ſcribendum *καὶ διὰ τοῦτο αὐτοὺς ἀνέστησαν*,
Leunclavius. Optime, judice *Oddeyo*. Sed locus omnino ſa-
nus. *Ἀνέστησαν* paſſive *everſi ſunt*, ut apud *Thucyd. I pag. 8, οἱ*
239, 93. *κακοῦργοι ἀνέστησαν ὑπ' αὐτοῦ*. Eodem Libro *pag. 131, D,
Craſſi* milites, a Parthis circumventi, coguntur *ἀναγκαζόμενοι
- - ταῖς τῶν παραστατῶν ἀσπίσι τὰς γυμνώσεις σφῶν προ-
στέλλειν*. Περιστέλλειν potius dixiſſe *Dionem*, putat *Robertus*, pro-
bante *Xylandro*. Sed *Thucydides V, 71, διὰ τὸ φοβουμένους
προστέλλειν τὰ γυμνὰ ἕκαστον ὡς μάλιστα τῇ τοῦ ἐν δεξιᾷ πα-*
253, 13. *ρατεταγμένου ἀσπίδι*. Ibidem *pag. 144, A*, poſt *Clodii* cædem
Pompejus evocatus ad urbem venit, & Senatores *ἔξω τε τοῦ
πωμηρίου πρὸς τῷ θεάτρῳ αὐτῷ σὺν φρουρᾷ ἤθροισαν*. Pro
αὐτῷ, quod plane omittunt interpretes, ſcribendum *αὐτοῦ*, ut
theatrum *Pompeji* intelligatur, de quo *pag. 107 ſeq.* Id enim
265, 32. fuit Regione IX, & ibi curia. Vide *pag. 247, E. Libro XLI
pag. 153, C*, Senatu deliberante ad literas *Cæſaris* per diſceſ-
ſionem omnes *Cæſarem* arma deponere jubent, *περὶ γὰρ τῶν
δημάρχων οὐδὲν λόγω, ὅτι μήτε ἐν ἀνάγκῃ τινὶ μεταστῆναι
ἐποιήσαντο*. Forte *ἐγίγνοντο*, inquit *Oddey*, ſic vertens, *quod
nulla neceſſitate diſceſſionis tenerentur*. Atqui *ἐν ἀνάγκῃ ποιεῖ-
σθαι* eſt *neceſſarium ducere*. Similes phraſes ſunt *ἐν ὀλιγωρίᾳ
ποιεῖσθαι pag. 6, D, 22, B, ἐν οὐδενὶ λόγῳ ποιεῖσθαι Fragment.*
301, 23. *CXXXV, ἐν θαύματι ποιεῖσθαι Fragm. XXIX*. Ibidem de
Pompejanis poſt infelicem pugnam: *τῶν δὲ δὴ Πομπηΐων τῶν
μὲν ἐν χερσὶ φθαρέντων, οἱ μὲν ἔφυγον, - - οἱ δὲ καὶ μετὰ
τοῦτο*. Deeſt *ἑάλωσαν. Xylander:* Non admitto hanc auda-
ciam: ex veſtigiis illius *μετὰ τοῦτο* colligo, *Dionem* ſcripſiſſe
οἱ δὲ καὶ μετέστησαν, ad hoſtem tranſierunt, pag. 231, B, ſic *Le-
unclavius*. Facit tamen pro *Xylandro Xiphilinus*: *ὁ μέντοι
Καῖσαρ τοῖς ἑαλωκόσι φιλανθρώπως ἐχρήσατο*, & *Dio* poſt-
ea: *ὅσους καὶ πρότερον ᾑρηκὼς ἠλεήκει*. (Scripſerit ergo: *οἱ*

δὲ καὶ μετὰ τοῦτο ἁλόντες ἠλεήθησαν) ſed & pro μὲν ἐν χερσὶ φθαρέντων ſcribendum τῶν μὴ ἐν χερσὶ φθαρέντων, quia ἐν χερσὶ φθαρέντες nec fugere amplius, nec capi, potuerint. *Libro XLIV pag. 182, F, Cæſari* inter alia decernitur; Pag. 383 μετά τε τὰς ἀνοχὰς τάς Λατίνας ἐπίκλησιν ἐς τὴν πόλιν ἐκ liu. 83. τοῦ Ἀλβανοῦ ἐσελαύνειν. Inſignis hic menda. Interpres ex ingenio: *curru inveheretur*. Sed nec Latinarum nomen addito ἐπίκλησιν indiget, aut unquam eo apud *Dionem* utitur; & ἐσιππεύοντα ἀπὸ τοῦ Ἀλβανοῦ mox *Cæſarem* ſiſtit *Dio pag. 345, A*; atqui hoc eſt ἐπὶ κέλητος ἐσελαύνειν, ut de ovatione *Auguſti pag. 526, A*, ἐπὶ κέλητος ἐς τὴν πόλιν ἐσήλασε, *pag. 544, E*, ἐπὶ κέλητος ἐς τὸ ἄστυ ἐσελάσαι, *pag. 549, C*, τὰ ἐπὶ κέλητος ἐπινίκια ἔπεμψε. Præivit egregius Codex Mediceus, niſi quod is perperam ἐπὶ κέλητα exhibet. *Libro* 520, 16. *XLVII pag. 351, F, Theſſalo* cuidam ante pugnam Philippenſem viſus eſt mandare *Cæſar* major, ut *Cæſari Octaviano* diceret, ὅτι τε ἐς ἓν ἡ σὴ μάχη γενήσοιτο. *Leunclavius*: ὅτι τε ἐς νίκην σοι ἡ μάχη γενήσεται. *Oddey*: ἐς δέον, vel ἐς νίκην οἱ. *Fabricius*: ὅτι τε ἐς εὖ οἱ ἡ μάχη γεν. *Caſaubonus*: ὅτι εὐτυχής οἱ ἡ μάχη γενήσοιτο Sed nihil mutandum, modo melius connectantur literæ ὅτι τε ἐς ἕνης (vel ἐσένας) ἡ μάχη γενήσοιτο, *pugnam in perendinum fore*. Vide de hac phraſi ἐς ἕνης Lexicographos veteres, maxime *Heſychium* plurimis locis. *Libro LIII pag. 508, C, Dio* de Imperatorum Pontificatu 712, 40. maximo: ἐκ τε τοῦ - - ἀρχιέρεων τινὰ αὐτῶν, κἂν δύο, κἂν τρεῖς ἅμα ἄρχωσιν, εἶναι, πάντων αὐτοὶ καὶ τῶν ὁσίων καὶ τῶν ἱερῶν κυριεύουσι. Ἀρχιερέων inquit *Reimarus*, ſcripſi pro ἀρχιερέων. Eſt enim hoc *Dionis* ſingulare, ut ἀρχιέρεως pro ἀρχιερεὺς dicat ſæpius, quod probe animadvertit *Robertus Stephanus* ad *pag. 531, C*, ὃν σὺ ἀρχιέρεων ἔτι καὶ νῦν περιορᾷς ὄντα. Sic *pag. 541, A*, ὅτι τον ἀρχιέρεων ἐν κοινῷ πάντως οἰκεῖν ἐχρῆν. *Ibid. D*, τῷ ἀρχιέρεῳ ἀπείρηται νεκρὸν ὁρᾶν. *Pag. 55., D*, καὶ ὅτι ἀρχιερέως ἦν. Ubi & *Xiphilinus* ἀρχιέρεως habet; quod perinde in multitudo locorum facit, ut religioni ducam, ἀρχιέρεως ſemper mutare in ἀρχιερεὺς, quod volebat *Leunclavius*. Crediderimus & Virum

perſpicaciſſimum, *Jacobum Elſnerum*, his obſervatis, conceſſurum potius eſſe in *Spanhemii, Noriſii, Fabretti*, aliorumque eruditorum, ſententiam, quo *Dioni* hoc loco ſermo ſit de Pontificatu maximo; cum ipſe in *Schediaſmate critico pag. 154 ſeq.* (ſcilicet ἀρχιερέων accipiens pro Genitivo plurali) multis diſputet, non de *Pontifice Maximo*, ſed de *Pontificibus*, *Dionem* loqui, hoc ſenſu: *ſi duo, vel tres, imperent, Pontificum aliquem eorum* (ad minimum) *eſſe*. Ubi vel ſic non *Pontificum*, ἀρχιερέων, ſed *Pontificem*, ἀρχιερέα, dicendum videretur. Putat etiam Clariſſ. *Elſnerus*, pro κἂν δύο, κἂν τρεῖς, legi poſſe καὶ τρεῖς, ut *pag. praec.* εἰ καὶ δύο καὶ τρεῖς. Illud tamen magis emphaticum. *Vid. pag 78, A.*

Lib. LIV, Jam vero & annotationum Cel. *Fabricii* quædam ſpecimi-
§. 28. na expromendi tempus eſt, quæ ex *Libro LIV* juvabit repetere. Occaſione ſervi ad ſupplicium ducti διά τε τῆς ἀγορᾶς μέσης μετὰ γραμμάτων τὴν αἰτίαν τῆς θανατώσεως αὐτοῦ δηλούντων in memoriam revocat, quæ viri docti de cauſa ſupplicii, vel ſcripto, vel præconis voce, indicari ſolita, commentati ſunt,
31. quod ad illuſtrandum *Matth. XXVII, 37*, pertinet. Mox, quando in Cyprum & Galliam Narbonenſem, populo redditas provincias, *Dio* Proconſules dicit miſſos, hinc, *Sergium*, annotat, ἀνθύπατον Cypri recte vocari *Act. XIII, 7*, nec opus eſſe, cum *Grotio*, aut *Hammondo*, dicere, ita appellari improprie, vel cum *Baronio* comminiſci, Proconſuli Ciliciæ datam etiam fuiſſe Cypri adminiſtrationem. Provocat non tantum ad viros eruditos, *Meurſium, Spanhemium, Baſnagium*, Anonymum apud *Maſſonum Tom. XV pag. 274 Hiſt. Crit. Rep. des Lett. Alberti, Reineſium*, ſed & ad nummum apud *Segui-*
38. *num*, in quo *Eprius Marcellus Proconſul* Cypriorum. Quando, Æthiopes ductu *Candaces* usque ad urbem Elephantinam populando progreſſos, *Dio* refert, oſtenditur, jam ab *Alexandri M.* temporibus reginas Æthiopiæ fuiſſe pro regibus, easque *Candaces* nomine celebres. Conf. *Actor. VIII, 27, Tzetzen Chil. III, 885, Strab. XVII pag. 820, Plinium VI, 29, Euſebium H.E. II,* 1. Signorum militarium, a Parthis receptorum,
63 ſeq. copioſa monumenta adducuntur, itemque templi *Martis Ultoris,*

Digitized by Google

toris, ideo ab *Auguſto* ſtructi. Quod autem, illud ἐν τῷ Καπετωλίῳ fuiſſe, nunc apud *Dionem* legitur, cum in foro fuiſſe conſtet, id vel adſcriptum in margine fuiſſe, vel trajectum a librariis, judicat cum *Maſſono* & *Liebio*, atque tunc ad ſequens *Jovis Feretrii* templum referendum eſſe. Voviſſe id templi *Auguſtum* bello Philippenſi pro cæde *Cæſaris* ulciſcenda, *Suet. Cap. 29, Ovid. Faſt. V, 569*, ſed non perſolviſſe votum, niſi poſtquam *bis ultus* Mars Romanos eſſet etiam a Parthis. *Ovid. 579, 595*. Addit Cel. *Reimarus*: falli ergo doctiſſimum *Ryquium de Capitol. Cap. 39*, quando duo templa faciat, alterum *Jovis Ultoris* (Leg. *Martis Ult.*) in foro, alterum *Bis Ultoris* in Capitolio. Porro, ubi *Dio* poſt primam *Auguſti* ovationem §. 67.
Philippenſem *pag. 375, E*, & ſecundam Siculam *pag. 400, E*, cujus utriusque tantum *Suetonius Cap. 22* & Faſti Capitolini meminerunt, tertiam Parthicam memorat *pag. 526, A*. Vir Clariſſimus, *Petrus Weſſelingius*, non perſuaſit *Fabricio*, *Dionem* cum *Suetonio* ſic conciliari poſſe, ut honor hic decretus quidem *Auguſto* fuerit tertia vice, ſed perinde ut triumphi honores *pag. 515, A*, ab eo non uſurpatus ſit: clariora enim eſſe *Dionis* verba, quam ut illam ſuſpicionem admittant: quando ait, καὶ προσέτι καὶ ἐπὶ κέλητος ἐς τὴν πόλιν ἐσήλασε. Oſtenditur de- 69.
inde, *Auguſtum* προστάτην τῶν περὶ τὴν Ῥώμην ὁδῶν factum vi Cenſoriæ dignitatis, ſeu præfecturæ morum: quia cura viarum antea Cenſorum erat, ut demonſtravit *Lipſius Exc. E. ad Tac. III Annal.* Cenſores autem tum nulli fuerunt præter *Auguſtum*. *pag. 521, D.* Momentum rei præbent numi apud *Bergierium* & *Spanhemium*: QUOD. VIÆ. MUN. SUNT. Doce- 75.
tur porro, recte *Auguſtum* Reipublicæ conſuluiſſe, quod firmare potius, quam in immenſum proferre, voluerit imperium; quod *Tacitus Annal. I, 11*, metui, vel invidiæ, *Auguſti* perperam tribuit. Errare *Dionem*, quando, ſub *Auguſto* pri- 89.
mum tigrides Græcis innotuiſſe, opinatur, ex *Ariſtotelis*, *Theophraſti*, *Nearchi*, & *Megaſthenis*, teſtimoniis apud *Bochartum* oſtenditur. Occaſione adoleſcentis Indici, bracchiis 91.
deſtituti, qui omnia manuum officia peragebat, plurima ejusmodi exempla e recentiori memoria afferuntur. Ara Fortu- 98.

Digitized by Google

næ Reducis, ob reditum *Auguſti* decreta, illuſtratur ex nu-
mis, quo & ſpectat *Neptunus Redux* apud *Triſtanum Tom. I*
§. 99. *pag. 287.* Diem reditus *Auguſti*, Auguſtalia dictum, IV id.
Octobr. ut eſt in veteri Calendario, interdum a *Dione* con-
113. fundi cum natali *Auguſti*, qui erat XXIII Septembris, ut *pag.*
589, A; & aquam *Auguſtam* cum aqua Virgine, de qua meliora
poſt *Frontinum Fabretius Tom. IV Theſ Grav. pag. 1171 ſeq.*
125. De honore publice epulandi non contemnenda: hinc de
conjugibus duodecennibus, imo decennibus, ad verba *Dionis*,
δώδεκα γὰρ ταῖς κόραις ἐς τὴν τοῦ γάμου ὥραν ἔτη πλήρη.
152. *Pylades* & *Bathyllus*, hiſtriones, factionibus & turbis aulam
154. dederunt, *Bathyllus*, *Mæcenati* charus, de quo quæ *Dio* narrat,
Hylæ tribuuntur a *Macrobio II, 7, Sat.* ut unius hominis duæ
videantur appellationes fuiſſe. Ludos, *Honori* & *Virtuti* tri-
butos, memorat *Dio* occaſione adoptionis *Caji* & *Lucii*, *Cæſa-*
rum. Atqui hos ludos vetus Calendarium memorat IV Cal.
Jun unde, hunc fuiſſe diem adoptionis *Cæſarum*, rectius colli-
git *Noriſius pag. 34 ad Cenotaph. Piſ.* quam diem natalem *Ric-*
ciolus in *Chron. pag. 29*, niſi quod calami errore III Cal. Maji
160. pro 29 Maji *Noriſius* expreſſit. Quam *Dio Terentiam*, *Mæ-*
cenatis uxorem, appellat, non diverſa fuit a *Terentilla*, ut *Lo-*
meiero viſum *Tom. I Dier. gen. Diſſert. VI*; eſt enim ὑποκορι-
στικὸν, ut a *Ruſa Ruſilla*, a *Tertia Tertulla*. Eſt quidam
180. Λούκιος Γάϊος apud *Dionem pag. 534 fin.* contra Sauromatas
miſſus, quem *Fabricius* ſuſpicatur Ἰούνιον Γάϊον ſcriptum fuiſſe,
ut *Silanus* intelligatur, quia nulla gens *Lucia* apud Romanos
nota, ſed *Lucius* atque *Cajus* prænomina ambo, licet apud
alios non Romanos multi *Lucii* celebres, ut *Lucius*, Poeta
Hiſpanus, apud *Martial. IV, 55*, *Lucius Pythagoricus* apud *Plu-*
tarch. VIII. 7, Sympoſ. *Lucius*, vir ſapiens, apud *Philoſtratum*,
198. ubi de *Herode Attico*, *Lucius*, Britannorum Rex, &c. Nota-
tur *Meurſius*, qui, *Papho Auguſtæ* cognomen tributum, ait, *per*
edictum, quod *Dio* κατὰ δόγμα ſcripſit *pag. 537*, hoc eſt, *ex*
Senatusconſulto: nam, ut mox *Dio*, ἡ γερουσία τὰς ἐπωνυ-
213. μίας ἐν μέρει τιμῆς ἔνειμε. *Vinicii* & *Agrippæ* exemplis
docetur, multos triumphos decretos eſſe, qui ducti non ſunt,

ut

ut mirum non ſit, cum, ſuper XXX juſtos triumphos *Auguſtum* decerni curaſſe, ſcribat *Suetonius Cap. 38*, longe pauciores in Faſtis reperiri. Obſervatur ex *Dionis* loco *pag. 540, A, B,* § 233 ſeq. moris antea fuiſſe, ut Senatorum liberi ante Quæſturam, vel majores magiſtratus, Vigintiviratum capeſſerent, ſub *Auguſto* demum in Senatoriorum defectu hos permiſſum quoque equitibus fuiſſe: neque tamen Vigintiviratum primum ab *Auguſto* inſtitutum, ſed ex XXVI viris relictos eſſe ſolos XX, nempe III rerum capitalium, III ſignandæ pecuniæ, V viarum urbanarum, & X ad judicium centumvirale: verum VI reliquos, II viis extra urbem, & IV in Campaniam, mittendos, tunc eſſe abrogatos. Quatuorviros illos Campaniæ, non dubium, eos eſſe, quibus *Cicero C. Valgii* cauſam commendat *Epiſt. XIII, 76*, quia cum Decurionibus conjunguntur. Mirum eſt, quod *Dio pag. 540, D,* ad Senatoriam dignitatem adactos plures dicit χωρὶς ἢ εἴ τις ἀνάπηρος ἦν, cum tamen locus 244 in Senatu fuerit *Horatio Cocliti*, *Appio Cæco*, aliiſque. Contra *Dionem* oſtenditur, non aliam cauſam fuiſſe, cur *Agrippæ* 258. cadaver obtento velo ab adſpectu *Auguſti*, publice eum laudantis, ſejunctum fuerit, quam quod Imperator, Augur, & Pontifex Maximus, fuerit, qui ſinguli contactu & adſpectu funeris polluebantur.

GERARDI HORREI, P. F. ANIMADVERSIONES ſacræ, profanæ, ad ſelecta Novi Fœderis Scriptorumque exterorum loca.

Harlingæ, 1749, 8.

Plag. 17.

Criticum ſtadium uno pæne eodemque tempore tres Friſones juvenes velut de condicto ingreſſi, diſſimile ſuarum virtutum ſpecimen dederunt. *Adrianus Heringa*, cujus elegantiſſimas, multaque refertas ac rara eruditione, obſervationes propediem noſtro Lectori commendabimus, hos inter procul dubio metam attigit, & palmam tulit. Non longe ſequitur

Jo. Daniel van Lennep, cujus de *Colutho* ſuperiore anno ſignificavimus. At hic, cujus libellum nunc perluſtrare animus eſt, *Gerardus Horreus*, illorum e longinquo veſtigia premit. Non putamus, ignotum *Petri Horrei* nomen eſſe, illius, qui *Æſchinem Socraticum* & grandem de minuta voce, de φάτνη, diſſertationem edidit. Huic patri ſimilem eſſe filium, ſi dixerimus, ſufficere id poterit ad æſtimandum hujus opellæ pretium; in qua præter bonam voluntatem & conatum non multum laudes. Nova & exquiſita qui ab ea deſideret, fallitur. Quæ profert prava, facile incurrunt in oculos, ut levi brachio poſſint refutari. Quæ bona, ea neque nunc primum reperta, neque maximi momenti, ſunt, neque tam ſubtiliter excogitata, ut alter aliquis idem ex ingenio ſuo extundere nequeat. Omnia complectemur brevi, crudum & triviale hoc opuſculum appellantes, neque veremur ab æquis & intelligentibus harum rerum judicibus iniquius dictæ ſententiæ rei unquam agi.

Documentis fidem judicio noſtro faciemus, non futuri adeo longi, ubi opus non eſt; neque per ſingula ituri, in quibus ordo nexusque nullus, niſi ille ſatis mechanicus, ut a *Matthæo* incipiendo (nam Novi Fœderis hic habetur potiſſima ratio,) procedatur ad ceteros Evangeliſtas, Acta Apoſtolorum Epiſtolas *Pauli*, reliqua, ſingulisque capitibus ſacris ſingula capita profanarum obſervationum in Scriptores extraneos intercalentur, quorum præcipui, & qui frequentiſſime ad examen vocantur, ſunt *Ælianus*, Hiſtoriæ animalium ſcriptor, *Ariſtophanes*, & *Jamblichus*, *Pythagoræ* laudator. Nos, quando quidem credibile eſt, hanc telam per omnia ſibi ſimilem & ejusdem fili eſſe, particulam illam, quæ circa *Ariſtophanem* occupatur, excerptam brevi in conſpectu exhibebimus, id eſt, *Capitis XVIII* de *ſecundo Libro* argumentum. *Tres* enim in *Libros* diſpeſcere opellam ſuam voluit Autor, quo ſuum *Valckenaerium*, moris hujus autorem, ſi in ceteris æquare non poſſet, hac ſaltem in re imitaretur. Dicti ergo *Capitis* initium his conceptum eſt verbis, e quibus, quam *Horreus* noſter in ſcribendo exercitatus ſit, protinus conjectura fiat.

Cum

Cum inter Græca, quæ verſamuſ, veterum Autorum ſcripta omnino quoque annumerandus ſit Ariſtophanes, non poſſum, quin nonnulla ex meis ad lepidiſſimum Comicum annotatis orbi literario apponam. Ita inſtruxit orationem ſuam Noſter, ut putes, litem ipſi aliquando cum hominibus rerum omnium imperitis fuiſſe, qui *Ariſtophanem* pro Philoſopho Arabe, *Saladini*, aut *Tamerlanis*, æquali reputant. Et præterea, ſi, quia Græcus & vetus Autor quis eſt, ideo tractari debuit ab *Horreo*, malo profecto conſilio *Heſiodum*, *Theocritum*, *Platonem*, *Apollonium Rhodium*, alios multos primi ordinis & antiquiſſimos Scriptores, non attigit. Prima vero ad *Ariſtophanem* animadverſio hæc eſt. Taxat illud in *Equit. ib. verſ. 478:*

Πῶς ἂν ὁ τυρὸς ἐν Βοιωτοῖς ὤνιος.

Quanti venditur apud Bœotos caſeus? Sic recte ſeſe habet verſio: (ipſa damus ejus verba) *Adjectiva autem vendendi, mercandi, ſimiliave, ſolent gaudere caſu genitivo, uti apud Latinos, ita & apud Græcos. Hinc ſuſpectus mihi fuit hic verſus, qui, prouti vulgatur, ſic Latine ſonat: quomodo caſeus eſt venalis? quod nos Belgæ diceremus:* Hoe is de Kees koopbaar? *vel* hoe kooept men de Kees by de Boeotiers, *quod expreſſit Interpres. Ut autem elegantior videatur lectio, ſcribo potius πόσου δ' ὁ τυρὸς &c. quanti caſeus venit Bœotis? Eadem locutio eſt apud Lucian. in Icaromen. Quanti emitur in Græcia triticum?* Potuerat hujus dictionis exempla & alia iſtis facetiis ſimilia integris modiis admetiri. At, quibus ad hæc trivialia deſcendere, & emendatiunculas, ſi Diis placet, ex Latina verſione ſublegere, opus eſt, illi ſatis produnt arculas ſibi araneis & inaniis plenas, difficileſque & dignos vindice nodos prorſus ignotos eſſe. Secunda obſervatio circa locum *verſ. 566* verſatur:

Κ' οὐδεὶς οὐδεπώ ποτ' αὐτῶν τοὺς ἐναντίους ἰδὼν
Ἠρίθμησεν.

Ad hæc adſcripta leguntur iſta: *Explicat Scholiaſtes verbum ἠρίθμησεν per ἀπεδειλίασεν, μεθ' ἡσυχίας ἦγεν. Conten-*

tendit autem Clariſſ. Kuſterus, *potiorem ſibi videri lectionem ex veteri MSto Pariſienſi, ubi legebatur* ἠρέμησεν. *Quemadmodum etiam legiſſe putat Comici enarratorem. Verum dubito nonnihil, an recte* ἠρέμησεν *per* ἀπεδειλίασεν *exponi poſſit. Si quid renovandum foret in Comici loco, conjectavi jam olim, forſitan opportune reſtitui poſſe* ῥαθύμησεν, *ſine augmento, poetice, pro* ἐῤῥαθύμησεν. Hæc ille. Id *Homericum* eſt; ab *Ariſtophanis* indole abhorret. Ipſi Autori paulo poſt diſplicet hæc conjectura. Conſervandam ſuadet vulgatam lectionem, & ita exponit, ut, ſi eam Logicam & Hermenevticam ad Autores veteres applicare velimus, jam porro nihil in illis ſuperſit, quod, quamvis maxime perſpicuum, confundi, &, quamvis omni humano ſenſu caſſum, tamen explicari &, incruſtari, nequeat. Pergit enim: *Sed parum, me judice, neceſſe erit, ut ab emendatione remedium huic loco arceſſamus, dum lectio recepta haud moleſtam poſtulat explicationem, ſi memineris, numerare hoſtes apud veteres haberi pro timore; qui vero numerum illorum inſtituere non curabant, fortiores audiebant, ut eſt in proverbio*:

Numerum ovium non curat lupus.

Abludit non procul illa loquendi formula a noſtra Belgica: ik tel hem niet, *id eſt, eum non timeo & parum curo.* Aoriſtus *autem primus per verbum* ſoleo *vertendus erit, qualem vim aoriſtis temporibus ſæpius ineſſe, jam dudum obſervarunt viri docti.* Abuteremur otio noſtro, ſi refutare & exagitare dignis modis illa inſtitueremus. Tantummodo ſuademus Autori, ut tantiſper a ſcribendis & edendis novis libris abſtineat, quoad, quæ veteribus hic imputavit, luculentis exemplis demonſtraverit. *Acharn. verſ. 671* vexat vocem λιπαράμπυκα. Sed nihil aliud affert, quam quod *Lennepius* jam dederat ad *Coluthum pag. 9 ſeq.* Ut tamen diverſa videatur ab eo & ſubtiliora excogitaſſe, loco πυκνὰ, quod ille conjecerat, proponit πύκα. Scilicet, quod *Homerum* & alios Poetas id ipſum quoque decet *Ariſtophanem.* Deinde retinet verbum corruptum ἀνακυκλᾷν, ea ratione: *Si quis quærat,*

rat, ait, *utrum horum ſit Ariſtophanicum, reſpondeo, verbum ἀνακυκᾷν ad rem, cui inſervit hic loci, deſignandam ſatis aptum videri: ſi vero uſum* (adde, *& Grammaticam*) *conſulas, Lexicographi* (*Suidæ* ſcilicet) *ἀνακυκᾷν videtur antepo-nendum. Solet autem id verbi venuſte adhiberi de coquis, qui varios liquores & variarum partium carnes conciſas commi-ſcent. Verſiculus eſt antiquus:*

Ut cum multa joura commiſcet coquus.

Quid hic verſus faciat ad demonſtrandam probitatem verbi non Græci ἀνακυκλᾷν, noſtra Logica eo non ſufficit, ut nos doceat. Ad *Veſp. verſ. 1109* notat, ἐπανδρακίδων legendum eſſe pro ἐπ' ἀνδρακίδων, quæ facilis & legitima eſt emenda-tio. Ex hoc brevi ſpecimine judicium de toto libello fiat. Laudanda quidem optimi Viri voluntas literas Græcas pro vi-rili ſua promovendi; & incitandi præconiis ſunt alii ad idem faciendum; melius tamen & exiſtimationi ſuæ & publicæ rei conſuluiſſet, ſi magis cocta & lectu atque emtu digniora dediſſet.

JO. DAN. VON HOVEN HISTORIÆ EC-cleſiaſticæ Pragmaticæ Novi Teſt. Specimen, exhibens Ca-put primum de origine & conſtitutione Eccleſiæ Apoſto-licæ; præmiſſa proluſione de Scriptoribus, qui literariam ſupellectilem ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam compo-ſuerunt, in uſum Auditorii.

Lingæ, 1747, 8.
Plag. 5.

Paucæ ſunt plagulæ, ſed quæ duobus ſummis capitibus inclu-dunt multum. Proluſio Theologos, Jureconſultos, Hiſtori-cos, nominat, qui de narrationibus, ad rem ſacram pertinenti-bus, meruere, atque utilitatem earum inprimis commendarunt. Inter Theologos eſt *Frid. Spanhemius*, filius, qui partim in ſer-mone Academico, *Hiſtoriæ Eccleſ. Tom. I. Operum* præmiſſo,

Digitized by Google

partim in *Orat. VII Tom. II Lib. X Miſcell.* de ſacrarum antiquitatum & hiſtoriarum præſtantia egit. Æque laudabiliter in iſthoc argumento verſati ſunt *Jo. Alph. Turretinus*, cuius Orationem, Genevæ A. 1697 *de multiplici ſacrarum antiquitatum uſu & præſtantia* recitatam, Collectioni ſuæ inſeruit Celleb. noſter *Jo. Erh. Kappius*; *Jo. van den Honert*, cujus Oratio *de Hiſtoria Eccleſiaſtica Theologis maxime neceſſaria*, Ultrajecti A. 1732 habita, ſæpeque publici juris facta eſt; & *F. A. Lampius* tum in Oratione *de memoria ſanctorum*, tum
Pag. 2. etiam in *Fœd. gratiæ Tom. II Cap. 1.* Inter JCtos eminent *Juſt. Henn. Bœhmerus* in Diſſ. *de neceſſitate & utilitate Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ in prudentia Juris Eccleſ.* quæ præmiſſa eſt illius Obſervationibus ad *Petri de Marca* Tract. *de Concordia ſacerdotii & imperii*, *Jo. Sal. Brunquell* in Diſſ. *prælim.* ad *Innoc. Cironii Obſervationes Juris Canonici*, & *Jo. Ern. Flœrkius* in Germanica lingua editis Cogitationibus *de neceſſitate & uſu diſcendæ Hiſt. Eccleſ.* quæ prodierunt Jenæ A. 1726. Ipſos inter Hiſtoricos ſunt *Dav. Blondellus* in Orat. qua ad ſtudium Hiſtoriæ, præſertim ſacræ, juventutem Amſtelodamenſem A. 1651 invitavit, *Jo. Andr. Boſius* in Orat. *de Hiſtoria Eccleſiaſtica noſtro præſertim tempore diligentius excolenda*, quæ addita eſt *Introductioni* ejus *in notit. Scriptor. Eccleſ.* a Cel. *Walchio* A. 1723 editæ, *Jo. Clericus* in Orat. *de præſtantia & utilitate Hiſt. Eccleſ.* A. 1712 Amſtelodami habita, atque itidem a Cel. *Kappio Parti I Orationum* inſerta. Eodem pertinet, quam *A. 1747 pag. 676 ſeq.* in his *Actis* memoravimus, Oratio *Leoni de Hiſtoria Eccleſiaſticæ ac Theologiæ conjunctione*. Inter eos, qui ſcriptores no-
8. minarunt, excitatur *J. A. Fabricius*, cujus tamen *Bibliographia antiquaria*, male conſuta & tumultuaria opera, prouti adverſaria ipſius copiam fecerint, conflatum ſyrma exhibere dicitur; unde fieri non potuerit, quin unus idemque liber toties & laudaretur, & generales hujus, vel illius, libri materiæ cum ſpecialibus, veteres cum junioribus, Proteſtantes cum Pontificiis, docti cum indoctis, ubique fere miſcerentur, accurata vero librorum notitia vix ac ne vix quidem in eo reperiretur. Idem de Bibliotheca Græca contendit, alia quidem via hic inceſſiſſe

viſum

Digitized by Google

virum beatum, ſed diligentiam & copiam magis, quam ordi-
nem & ἀκρίβειαν, laudandam cenſet. Quæ quidem judicia
nos autori ſuo relinquimus, qui tamen benignior poſtea ſta- Pag. 8.
tim ejusdem *Delectum argumentorum & Syllabum Scripto-
rum, qui veritatem religionis Chriſtianæ aſſeruerunt, Lucem
ſalutarem Evangelii*, ac *Bibliothecam Eccleſiaſticam*, commen-
dans, eum non male de juventute, immo & de aliis, meriturum
arbitratur, qui ex his eruditiſſimi Viri laboribus ſcitam & ſele-
ctam antiquitatum & hiſtoriarum ſacrarum Bibliothecam col-
ligeret. Sed monita Noſtri generalia potius ſpectemus. Ante 12.
omnia Hiſtoriæ ſacræ ſtudioſo veritatem ac ſanctitatem Chri-
ſtianam, hinc veram ac diſtinctam notitiam de vera Eccleſiæ
natura, circa Patrum autoritatem curam, majorem adhuc in
relegendis martyrologiis ac hæreſiologiis cautionem, neque
Conciliorum minus, & ſingularum ſectarum, cognitionem,
atque artem denique criticam, commendat. Ad ipſius tra-
ctationis Caput præliminare quod attinet, cœtum Chriſtiano- 20.
rum conſiderat tanquam naſcentem, ad mortem usque poſtre-
mi O. M. Servatoris legatorum, S. *Joannis*, tanquam preſſum
a ſecundi Seculi principio ad *Conſtantinum* usque *Magnum*, tan-
quam liberatum atque ornatum usque ad *Phocam* Tyrannum
& *Bonifacium* III, P. R. tanquam ſub utroque ἀντιχρίστῳ ge-
mentem usque ad *Bonifacium VIII* atque initium Seculi
XIV, tanquam turbulentum ac reparationis præparationes
ſignificantem ad *Leonem X*, tanquam reformatum ad con-
gregationem Dordracenam atque initium Bohemici belli, de-
nique tanquam in varias familias diſtractum usque ad no-
ſtram ætatem. Ita vero in unoquoque temporis ambitu pri-
mo ſocietatis formam & fata externa, tum ſecunda, tum adver-
ſa, exponet; dein religionis ac profeſſionis viciſſitudines at-
que incrementa edifferet; porro mores ac vitam perluſtrabit;
tandem, poſt aliarum quoque religionum in orbe celebrium,
reique literariæ, memorabilia, judicium πραγματικὸν adjun-
get. Sed toti inſtituto paucis Jeſu Chriſti, ſacrorum Chriſtia- 21.
norum autoris ac præſidis, hiſtoriam præmiſit. Ad *Joſephi* 23.
de Chriſto teſtimonium *Ant. XVIII, 4*, conferre jubemur Epi-

Digitized by Google

ſtolas, quas *Chriſtoph. Arnoldus* Norimbergæ A. 1661 collegit, ac
Pag. 27. novæ ſuæ editioni addidit *Sig. Havercampius*. Conf. *Fabricii*
Bibl. Gr. Lib. IV. Cap. 6 §. 5 in notis. Status autem Chriſto
vivente Judæorum tanquam miſerrimus depingitur. Tem-
plum quidem *Herodes M.* ampliarat, ac ſplendide exornarat,
multa tamen deerant, quo minus *Salomonæum* decore æquaret.
28. Aliud quoque in Ægypto ab *Onia*, permittente *Ptolomæo Phi-*
lometore, fuit exſtructum, quod Judæi in Palæſtina ægerrime
tulerunt, quamvis in Ægypto Judæi, miſſis eo donis, Hiero-
ſolymitanum venerari haud deſinerent. Ut taceamus diſſi-
dium, a Samaritanis etiam poſt eorum ſacra purgata, inque
monte Garizim deſtructum templum, odio graviſſimo con-
tinuatum. Pontifices hac tempeſtate a regibus pro lubitu
conſtituti, atque rurſus remoti, nulla ſucceſſionis legalis,
dignitatis, ætatis, aut dotium, habita ratione. Sub Romanis
ſæpe non niſi annua fuit dignitas, quam a Præſidibus, vel
Procuratoribus, per ambitum obtinuerunt. Conf. *Joſephi Ant.*
XIII, 18, XV, 11. Concilium magnum, in diverſas hæreſes
diſtributum, multum autoritatis amiſerat, poſtquam e con-
clavi Gazith, tempore Chriſti, migravit, neque certam am-
plius ſedem habuit, neque capitalem ferre potuit ſententiam,
Jo. XVIII, 31. Eadem obſervatur occaſione, qui, ſyne-
drii præſides, e tribu Juda fuiſſe, putent, eos hypotheſi magis
indulgere, quam veritati. Arx denique tractationis origi-
33 ſeq. nem & conſtitutionem primi Chriſtianorum cultus contem-
platur, atque hic præcipue, quos duodecim tribuum ac
36. *Φυλάρχων* Iſraelis numero Chriſtus elegit שלוחים, ſive le-
gatos. Eminuerunt hic *Petrus*, *Jacobus*, *Joannes*. Non
valde repugnat Autor, ſi quis velit *Petrum* ordine, haud pote-
ſtate, principem inter ceteros appellare, ſed ille primatus morte
fuit exſtinctus, atque is procul dubio primus erat, qui ſuper-
ſtes, nempe *Joannes*. Conſanguineos autem ad eam fami-
liaritatem Chriſtus non admiſit, ne caro & ſanguis haberent,
quo ſe jactarent, licet, eos ceteris legatis in magno pretio
fuiſſe, largiatur. Adhæc de *Paulo* poſt *Bullengerum*, *Maſſu-*
tium, *Pearſonium*, *Spanhemium*, *Witſium*, *Hottingerum*, accu-
ratiſſime

ſatiſſime, ait, egiſſe *H. van Alphen* quamplurimis Diſſertationibus, quæ ſollicitam mererentur in unum volumen collectionem. Reliqua præterimus, ac ſaltem, omnium Seculorum quæ characteres deſignat, ſub finem additam Tabulam commendamus, repetendæ autem illius laborem tanto æquius omiſimus, quoniam jam in Novis literariis, quæ Hamburgo ad nos afferuntur, legere eam meminimus.

JOANNIS HEUMANNI, JUR. PROF. in Academia Altorfina, Exercitationes Juris univerſi, præcipue Germanici, ex genuinis fontibus reſtituti.

Altorfii, ex officina Joannis Adami Heſſelii, 1749, 4. Alph. 2.

Pergit igitur Clariſſ. *Heumannus*, Academiæ Altorfinæ decus præcipuum, & præclaris, quæ edidit, ingenii monumentis inſignem nominis famam jam aſſecutus, Jurisprudentiam ſolidiorem eruditis ſcriptis illuſtrare. Et, quamvis, Juris Romani non perfunctoria ſe tinctum eſſe notitia, Vir doctus in hiſce Juris univerſi Exercitationibus affatim doceat, patriæ tamen Themidos amori plurimum tribuens, Germanici Juris enucleationi operam ſuam inprimis addixit. Hinc, Præfationis ſtatim loco, *de Juris Germanici ſtudio utiliter tractando* Diſſertationem libro huic præmiſit, qua diſquiſitio, ut via & ratione procederet, in *tria Capita* diviſa eſt, cujus *primum* vera Jurisprudentiæ Germanicæ principia detegit, *alterum* rationem Juris Germanici commode tractandi monſtrat, *tertium* denique de difficultatibus iſtius Juris vel removendis, vel ſuperandis, præcipit. Principia Juris Germanici in propria & adminiculantia Clariſſ. Autor diſpeſcit, ſub illis leges Germanicas, ſub his autem Jus naturæ, Romanum, & Canonicum, intelligens. Cumque de Jure Germanorum privato ipſi duntaxat ſermo ſit, Statutis locorum ſingularibus primas merito in dirimendis controverſiis partes tribuit, earumque

Digitized by Google

Pag. 6. varia genera proponit. Si civitas Statutis careat, juri provin-
ciali obtemperandum eſſe, inculcat. Tacente autem jure pro-
vinciali, Receſſus Imperii in auxilium vocandos eſſe, conten-
dit, quos cauſarum privatarum juri, a terrarum dominis, vel
moribus, jam introducto, nihil derogare poſſe, obſervat. In-
ter jura non ſcripta conſuetudines locorum potiſſimum atten-
di debere, monet. Theotiſcam vocem *Gebræuche* jura ſcri-
7. pta nonnunquam denotare, obſervat. Sin conſuetudo cum ju-
re ſcripto pugnet, probandum eſſe ei, cujus res agitur, quid-
nam præponderet, docet, cum lex ſcripta tam diu vigere
exiſtimetur, donec vel immutatio, vel abrogatio, ejus poſſit
doceri. Deſtitutis jure ſcripto & non ſcripto domeſtico, cir-
cumſpiciendum eſſe, an non conſuetudines provinciæ ſuppe-
tant, hisque itidem deficientibus, mores, per cunctam Ger-
maniam receptos, conſiderandos eſſe, monet, quamvis, nul-
lam fere conſuetudinem generalem exempli cauſa adduci
poſſe, quæ non juris ſcripti habitum induerit, non diffitea-
8. tur. Legibus Germanorum antiquis uſum quidem dogmati-
cum, neutiquam vero forenſem, Clariſſ. Autor tribuit. Inter
fontes Juris Germanici communes ea locorum ſtatuta, ex qui-
bus multa alia manarunt, quo in genere jus Lubecenſe eſt, po-
9. nit. De recto Juris Romani in Germania uſu ſuccincte
diſputat. Varia tandem adminicula, quæ ad intelligenda
Germanorum Statuta faciunt, lectoribus ponit ante oculos,
11. ſub quo nomine libros, qui Statuta & leges Germanorum
explicant, eos itidem Commentarios, qui conſilia, reſponſa,
conſultationes, & deciſiones, continent, rei diplomaticæ the-
ſauros, nec non ſcripta Juris Germanici dogmatica, compre-
hendit. Rationem juris patrii commode addiſcendi, rejectis,
17. quos alii quidam ſequuntur, modis, ad quinque regulas revo-
cat, quæ omnes eo tendunt, ex ipſis fontibus hauriendam eſſe
juris hujus notitiam. Ut difficultates, in Jure Germanico ob-
viæ, tollantur, codicem omnium omnino legum atque ſtatu-
19. torum Germaniæ evulgari optat, opus profecto ex noſtra ſen-
tentia mole ſua laboraturum, & vix unquam exſpectandum.
Tale interim ἄχθος καμήλων πολλῶν a ſocietatibus literariis,
idea

ideo congregandis, in ordinem digerendum, &, quid de unaquaque juris materia diſponant diverſorum locorum ſtatuta, indicandum eſſe, ſuadet. Abſoluta hac Diſſertatione præliminari, disquiſitio *de pubertate teſtamentaria* compareat. Quando liceat ob pubertatem conſecutam Germanis teſtamenta condere, in variis locorum ſtatutis diverſimode cautum eſt, id quod Clariſſ. Autor operoſe indicat, ſi nihil hac de re diſpoſitum eſſe deprehendatur, tunc Juri Romano inhærendum eſſe, ſignificans. Plurimarum Germaniæ urbium ſanctiones, Jure Romano reprobato, plenam pubertatem, annos minimum XVIII, in teſtatore requirere, nos docet. Sexum ſequiorem ſecundum plurima Germanorum placita citius ad effectum teſtamentifactionis pubeſcere, quam mares, declarat, idque merito pro ſingulari reputat. Nonnullos legiſlatores aliam pubertatem connubialem, aliam tutelarem, aliam teſtamentariam, ſtatuiſſe, obſervat. Si quando ante pubertatem plenam matrimonium quis contrahat, tunc illi cum libera rerum ſuarum adminiſtratione facultatem quoque teſtamenti faciendi multis in locis competere, monſtrat. Conſenſu tutorum in teſtamentifactione minoris non opus eſſe, imo id inſcio tutore de Jure Germanico poſſe fieri, declarat. Plures ejusmodi obſervationes, materiam de pubertate reſpicientes, quas adducere ſingulas hic non libet, Clariſſ. Autor affert, multisque Statutorum autoritatibus confirmat. Eadem diligentia materiam de jure teſtamenta apud Acta condendi is pertractavit, ubi, Germanis antiquis teſtamenta omnino fuiſſe ignota, negat. Varia locorum Statuta faciliorem modum teſtandi, quam is de Jure Romano eſt, introduxiſſe, narrat. Nonnullas de teſtamentorum ſolennitatibus ex Statutis locorum affert diſpoſitiones. Bona immobilia in multis locis non niſi judicis autoritate in alium transferri poſſe, monet, indeque mirum non eſſe, teſtamenta, quibus bona, inprimis immobilia, transferuntur, non privatim, ſed coram Actis, nonnunquam fieri oportere, concludit. *Specimen tertium de magiſtratu, teſtamenta autoritate ſua muniente*, tractat, ubi Clariſſ. Autor, quando varia de magiſtratibus, jurisdictione, &c

Pag. 21. 2. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 12. 16.

& inde exiſtente magiſtratuum in teſtamenta autoritate, diſſe-
ruerat, alienum judicem teſtamenti faciendi ergo adiri poſſe,
negat, quamvis, contrariam ſententiam in foris receptam eſſe,
non diffiteatur. Neque Potentiſſimi Regis noſtri Deciſionem,
Pag. 17. A. 1746 hac de re evulgatam, præterit. Cuinam ex magiſtra-
tibus cura teſtamentorum demandanda ſit, varia Statuta varie
9. diſponunt, quorum ſanctiones operoſe affert Autor. Teſta-
menta, coram parocho & duobus teſtibus adornata, in variis
12. Statutis probari, nos docet. De teſtamento, apud Acta nun-
cupando, in *quarto Specimine* iterum diſputat Autor, perſo-
24. nas judicii, coram quibus hoc fieri debeat, enumerans. Quan-
26. do remotis judicii aſſeſſoribus teſtari liceat, ediſſerit. Actua-
rii præſentia quando neceſſaria ſit, docet. Quid de forma
teſtamenti publici condendi præcipiant jura provincialia &
28. Statuta, ample exponit. Per procuratorem nonnunquam te-
31. ſtamenta publica poſſe fieri, monſtrat, diverſa tamen hic eſſe
Statutorum placita, cum nonnulla, procuratorem tali caſu
33. admitti, vetent, concedit. Quid de modo offerendi teſtamen-
34. tum judici in variis locis præſcriptum ſit, poſtea docet. Quo-
modo teſtamentum publicum domi rite condatur, indicat.
38. Teſtamenta parentum inter liberos plurimis litibus præbent
occaſionem. Illas autem in variis locorum Statutis eſſe compo-
ſitas, certamque formam horum teſtamentorum eſſe introdu-
46. ctam, Clariſſ. Autor oſtendit. Inter privignos & adoptivos libe-
47. ros hunc in modum diſponi poſſe, negat. Nonnulla Statuta te-
ſtamentum paternum, in quo liberorum expreſſa mentio facta
non eſt, neutiquam rejicere, ſed, inſtitutionem adeſſe, fingere,
narrat, alia autem locorum placita ejusmodi teſtamentum tan-
quam codicillos conſiderare, ideoque ratum eſſe jubere, nos
48. docet. Clauſulam codicillarem in multis locis in ejusmodi
teſtamento adeſſe præſumi, etiam ſi expreſſa eadem non ſit,
commemorat. Liberos in tali teſtamento exhæredes ſcribi
49. poſſe, negat. Teſtamentum tale, ſine teſtibus confectum, cer-
52. tis caſibus valere, contendit. Ubi autem teſtium præſentia
requiritur, ibi non ſolum mares, ſed fœminas etiam, leges qua-
dam

Digitized by Google

dam provinciales admittunt. An donatio ſimplex in hæreditatem paternam conferenda ſit, nec ne, legum interpretes disquirunt. Ajentes nituntur *l. 13 C. de Collat.* & *Nov. 18 Cap. 6*, negantes contra *l. pen. §. 7 C. de Collat.* in partes ſuas pertrahunt. Clariſſ. Autor vero, in Germania media incedendum eſſe via, neque ſimpliciter ajentibus, neque negantibus, accedendum, ſuadet, cum certis caſibus ea, quæ liberis ſimpliciter donata ſunt, conferenda, nonnunquam vero etiam non conferenda ſint. Utrumque enim in diverſorum locorum placitis fundatum eſſe, adducta inſigni teſtimoniorum copia, comprobat. Remedium *l. ult. C. de Fdeicommiſſ.* in multis locorum ſtatutis receptum & confirmatum eſſe, monſtrat. Cum de antiquitate vocis *feudi* diſceptatum inter eruditos ſit, plurimique illud vocabulum ante Seculum decimum non fuiſſe auditum, contendant; Clariſſ. Autor in peculiari Diatriba hanc ipſam ſententiam fuſius defendit. Quidam nimirum juris beneficiarii interpretes, autoritati Diplomatis cujusdam *Ludovici Pii*, quod *Schilterus* in *Mantiſſa Diſſertationis de Curiis dominicalibus* exhibuit, nimium tribuentes, vocem feudi ævo Carolingico jam fuiſſe uſurpatam, dicere non dubitarunt. Ut autem hoc argumentum, quo diſſentientes utuntur, Clariſſ. Autor diſcuteret, ipſam chartam, quæ *Ludovico Pio* vulgo adſcribitur, integram appoſuit, & annotationibus, ex noſtra ſententia ſane eruditis, eidem adjunctis, ex ſtili diſſimilitudine, aliisque indiciis, comprobavit, monumentum illud ævo *Ludovici* multo eſſe recentius. Eadem diligentia aliud monumentum, quod itidem *Ludovicum Pium* mentitur autorem, & a *P. Hergotto* in *Codice probationum genealogiæ Habsburgicæ* ad A. 819 exhibitum eſt, in quo vox *infeudare* occurrit, quodque adeo a diſſentientibus adduci poſſet, recenſet, ejusque νοθέιαν detegit. Idem dicendum de aliis ejusmodi chartis, feudi vocem referentibus, quibus larvam antiquitatis egregie detraxit Clariſſ. Autor. Ad illuſtrationem *Art. XXII §. 1 - 6* Capitulationis Auguſtiſſimi Imperatoris *Franciſci I*, de reſervato Cæſaris, dignitates largiendi, diſſerit. Reſervata Imperatoris deſcribit per *jura ſumma poteſtatis*,

Pag. 54. 58. 62. 69. 75. 79. 102.

L

Pag. 103. *tis, quæ ſolus Imperator ſine alterius conſenſu exercet.* Reſervatorum Cæſaris mentionem in legibus imperii fundamentalibus ſæpius injici, nos docet. Vicarios imperii, ſolio vacante,
104. inveſtituram feudorum principalium peragere poſſe, negat. Jus convocandi Concilia juribus hiſce reſervatis merito accen-
105. ſet. De nobilitate generatim deinceps nonnulla diſſerit. Quænam norma in nobilitatis juribus tribuendis a bono Principe
113. obſervanda ſit, ex principiis politicis deducit. Jus concedendi nobilitatem, in Germania, unice ad Imperatorem ſpectare, ex
114. legibus imperii fundamentalibus comprobat. Regiam dignitatem tribui Principibus a Cæſare Romano poſſe, plurima Regum exempla, qui ab Imperatore hoc honoris genere or-
117. nati ſunt, evincunt. Idem de Ducibus Clariſſ. Autor affirmat, quorum munus olim militare fuiſſe, monet, poſtea autem, integris provinciis, belli pacisque tempore, Duces eſſe præfectos,
123. obſervat. Poſt Carolingorum tempora, dignitatem Ducalem hæreditariam evaſiſſe, Regibus tamen ſubjectam, narrat.
124. Archiducalem dignitatem domui Auſtriacæ A. 1453 a *Fride-*
125. *rico III* demum conceſſam fuiſſe, contendit. Quando cœ-
126. perint Ducatus in Germania conſtitui, poſtea exponit. Quanquam autem poteſtas Duces creandi Imperatoribus hodie neutiquam ſit ademta; eos tamen rariſſime illo jure uti, cum Principum dignitas poteſtati Ducum æqualis ſit, Clariſſ. Autor
130. obſervat. Ante *Friderici II* tempora, neminem ſolo *Principis* elogio mactatum eſſe, commemorat. Hodie contra, Principalis dignitatis radios tam liberaliter ſpargere ſolent Imperatores, ut & exteri iisdem coruſcent, prout exempla eorum, quos Cæſares *Joſephus* & *Carolus VI* & VII hac dignitate affecerunt, a Clariſſ. Autore collecta, affatim loquuntur.
131. Theotiſcam vocem *Grav* a *grau*, quod *canum* denotat, derivat Autor, *Comitis* & *Senioris* vocabula idem denotare ſtatuens. Officium Comitum quale antiquis temporibus fuerit, monſtrat. Origines *Landgraviorum, Marchionum,* & *Burg-*
133. *graviorum*, detegit. *Baronum* vocem olim omnes fere nobilium claſſes comprehendiſſe, poſtea autem proximam a Co-
134. mitibus nobilitatem hoc nomine veniſſe, narrat. Varios dein

textus

textus e Cæſarum Capitulationibus adducit, in quibus, quid ſupremo Germaniæ moderatori in conferendis ejusmodi dignitatibus obſervandum ſit, ſtabilitur. Cum autem iſta monita ex ratione ſtatus, & ipſa rei natura, fluant, hoc pacto, reſervatum Cæſaris neutiquam infringi, aut labefactari, urget, Pag. 135.
Ipſa tandem illa monita variis illuſtrat obſervationibus, &, quid in confectione Capitulationum Imperialium noſtro præſertim ævo ab ordinibus Germaniæ circa hanc rem fuerit actum, egregie deſcribit. Diſſertationem *de Lingua occulta*, quæ hic comparet, in hoc opere nunquam quæſiviſſimus, cum præſertim Autor neutiquam præcepta talis linguæ hic tradat, aut ſecreta ejus pandat, uti quidem primo intuitu ſperavimus, ſed potius varia afferat, hoc argumentum minime tangentia, & collectaneorum nomine inſignienda. Ita enim, ad majeſtatem Imperii conſervandam, uſum linguæ vernaculæ plurimum facere, contendit. In Imperio noſtro Romano-Germa- 164.
nico non niſi Latini & Theotiſci idiomatis uſum in curiis tolerari, obſervat, & controverſias, ideo exortas, deſcribit. Lin- 165.
guam deinde Slavonicam vehementer miratur, eamque noſtro tempore a plurimis negligi, dolet. E lingua enim Slavonica radices variarum vocum, quæ in Jure feudali frequentantur, repetendas eſſe, contendit, vocem *Vaſalli* v. c. a Slavonico *Wazati*, quod *vincire*, *ligare*, notat, derivans. Sermone 168.
occulto ſceleris abſcondendi cauſa homines præcipue abuti, monet, & hac occaſione de nequitiis Zygenorum, deque eorum dialecto, *Rotwelſch* dicta, longam ſerit fabulam, idioma 169.
iſtud maximam partem ex Hebræo ſermone derivari, variis exemplis docens. Agmen horum opuſculorum claudit *de* 172.
cura, quam Romani & Germani ad ſecuritatem nocturnam conſervandam adhibuerunt, Commentatio. Triumvirorum ibi capitalium apud Romanos munus & officia ex antiquitate deſcribit, eosque inter alia adverſus quosque graſſatores & 184.
turbatores excubias egiſſe, ac meretrices, quæ nomen apud Ædiles non profeſſæ erant, coercuiſſe, ex *Plauti* Comœdiis docet. Ad Germanos dein converſus Autor, curam, quam 185.
glorioſæ memoriæ Imperator *Carolus VI* per terras Auſtria-

eas ſecuritati nocturnæ conſervandæ impendit, primo loco ex-
Pag. 186. ponit. Quid Statuta Norimbergenſia hanc in rem diſponant, poſtea narrat. In alias etiam ordinationes Germaniæ provinciales excurrit, Statuta earum ſaluberrima, & ad ſecuritatem
190. noctis tempore conſervandam facientia, exponens. Cum telo per urbem ambulare, Romanis quondam nefas erat. Hoc ipſum vero in multis Germaniæ locis itidem prohiberi, Clariſſ. Autor nos docet. Textus plurimorum Germaniæ Statutorum, qui in hoc volumine paſſim citati ſunt, ad calcem ejus appoſiti, univerſo operi coronidem imponunt.

AUGUSTINI SCILLÆ DE CORPORIBUS marinis lapideſcentibus, quæ defoſſa reperiuntur, addita Diſſertatione FABII COLUMNÆ de Gloſſopetris.

Romæ, 1747, 4.
Plag. 11, cum Tabb. æn. 28.

Longis jam abhinc annis uterque horum Tractatuum conſcriptus eſt editusque; nunc vero ob juſtum, quod rerum naturalium indagatores illis ſtatuunt, pretium, ſuamque raritatem, denuo comparent. *Scillæ* quidem Epiſtola Etruſca lingua prodiit Neapoli A. 1670, eoque tempore a Clariſſimo ejus Autore inſcripta eſt: *La vana ſpeculazione diſingannata dal ſenſo;* fidelem autem egit, qui eam in Latinum tranſtulit ſermonem, interpretem. Licet vero negandum non ſit, varia in hac contineri epiſtola, quæ noſtris quidem temporibus, quibus tantum ad culmen evectum eſt hiſtoriæ naturalis ſtudium, luculentius potuiſſent exponi; merentur tamen omnia, ut ſtudioſius hic exponantur, adducta ab erudito ejus Autore argumenta; cum evidens præbeant documentum, unde intelligi poſſit, quanta ipſe cum cura ſuis jam temporibus denſas hiſtoriæ naturalis tenebras diſpellere fuerit annīſus. De corporum lapideſactorum natura diſcrepans eſt Autorum ſententia: alii enim, illa luſus naturæ, vel forte inter ſe coeuntia eſſe concreta, judicant, alii, eadem univer-

univerſalis mundi cataclyſmi veſtigia ac teſtimonia haberi debere, aſſerunt. Priorum opinionem cum illa convenire putat Pag. 3.
Clar.ſſ. Autor, quæ, vegetare mineralia lapideſque, ſtatuit, quorum tamen fortuitus particularum nexus facile probatur. Vera itaque ſunt corpora & animalium partes conchæ, aliaque inventa in terræ viſceribus conchylia, ex mari fontibusque varia ratione adducta, nec obeſt, quod nonnullæ tantum partes animalium, ut dentes, deprehendantur in lapidem converſæ eſſe, cum conſtet, non omnium partium animalis cor- 18.
poris unam eſſe eandemque naturam, aliaque facilius diſſolvi, alia longius reſiſtere corruptioni. Nec immanis, nonnunquam reperta, corporum lapideſcentium magnitudo contrariam tueri poteſt ſententiam, cum & tales raræ ſint particulæ, & inter minoris generis animalia dentur majora. Putant qui- 21.
dam, luſum naturæ comprobari poſſe, quod oculi ſerpentum in inſula Melitenſi deprehendantur lapideſcentes, hos autem non oculos, ſed dentes veros, piſcis Sorgi, Auratæ, aut aliorum, eſſe demonſtrat. Teſtacea, in corporis humani viſceribus in- 25.
venta, pro veris animalium partibus haberi nequeunt, ſed forte in eam concreſcunt ſimilitudinem, inde vero ad ea, quæ in montibus exiſtunt, non valet conſequentia. Dactyli marini 29.
per foramina, accurata inſpectione detegenda, ad ſaxa deveniunt. Gloſſopetrarum quantitas ingens non ex Lamio ſo- 32.
lum piſce, ſed ex aliis quoque, deducenda eſt, ſiquidem & hi innumeram habent dentium copiam, atque diverſas figuras. Dentes hi in altioribus montibus forte non deprehenduntur, 33.
quod pondere ſuo alia facile corpora ſuperant, ita quidem, ut, nova quadam inundatione accedente, potuerint leviora tolli, & ad montium cacumina deferri, hi vero ſubſidere, & ad radices relinqui. Interim tamen hi dentes non radice ſua ſemper ru- 35.
pibus adhærent, ut ex eo argumentum deſumi poſſet, ac ſi nutrimentum ex terra ſugerent. Quodſi autem concedi quid- 40.
quam deberet plaſticæ particularum virtuti, quam eo tempore, dum hæc conſcribebatur epiſtola, talia fingere poſſe corpora, nonnulli hallucinabantur, cur non integra animalia, ſed quædam tantum eorum partes, formentur, demonſtrari in-

Pag. 42 ſeq. telligique non poteſt. Hæc tamen argumenta, firma utique
viſa, ſi dubiam de origine horum corporum mentem convincere nondum poſſent, variis corporum in lapidibus inventis exemplis, quæ in figuris adjectarum tabularum fideliter expreſſa cernuntur, ſuam confirmare ſtudet ſententiam, ſtudioſe probans, in iis deprehendi omnia, quæ in vivis ejusmodi animalibus deteguntur, organa, horumque accuratam ſimilitudinem a fortuito particularum concurſu deduci non poſſe. Magnum tandem accedit pondus ex montium colliumque, in quibus plura invenit lapidefacta corpora Clariſſ. *Scilla*, in-
48. dole. Illæ enim ex diverſis ſtratis arenæ, tum craſſioris, tum ſubtilioris, conſtant, in quibus nullo ordine diſperſa ſunt ejusmodi corpora, ut, variis inundationibus huc deducta fuiſſe, cer-
60. to concludi queat. Per partes igitur eundo, conchylia, echinos, hyſtrices, dentes, ſeu gloſſopetras, vertebras, corallia, poros, cancros, ſpatagos, turbines, aliaque innumera hujus generis corpora, animantia vera, vel eorum partes, fuiſſe, absque omni dubitatione aſſumendum eſſe docet.

Adjecta eſt huic Epiſtolæ ſolertiſſimi & accuratioris naturæ ſcrutatoris, *Fabii Columnæ*, Lyncei, de Gloſſopetris Diſſertatio, in qua itidem probat, Gloſſopetras vera eſſe oſſa & carchariæ, lamiæ, ſive canicularum, & ſimilium, dentes, maris æſtu olim terra tenui & lutoſa obrutos. Idque patere aſſerit, quod dentes igne in carbonem vertantur, cum in lapidibus hoc non eveniat, quod fibroſam habeant interiorem ſtructuram, exteriorem vero ſuperficiem lævigatam, quod dentes, in terra, topho, ſaxove, ſi generentur, nec eam figuram, nec reliquas, nativis convenientes, affectiones, acquirere poſſint. Deinde quoque lapidei fungi, in mari vegetantis, & prout corallia creſcentis, naturam exponit. Figurarum tandem explicatione opuſculo huic imponitur finis.

GODOFREDI HEINSII, MATH. IN ACAD. Lipſ. Prof. Publ. Illuſtratio eorum, quæ nuper de Computo refractionum aſtronomicarum in his Actis *expoſuit.*

Nuper

Digitized by Google

Nuper methodum expoſui, refractiones aſtronomicas, in hypotheſi refractionis rectilineæ, ad calculum revocandi. Nunc promiſſo ſtare, & de præſtantia ac uſu methodi hujus quædam in medium proferre, licebit.

Præſtantiam comparatio ejus cum methodis, quibus ad idem negotium ſub eadem hypotheſi abſolvendum huc usque uſi ſunt Aſtronomi, manifeſtabit. Duplicem autem diſtinguere licet operationem in ſolutione Problematis, ad computum refractionum pertinentis. Altera nititur *Paragrapho 7* memorati ſcripti, (quod ſemper intelligimus, quotiescunque §. §. citamus,) eaque ex repetitis, in majorem certitudinem, obſervationibus, duas refractiones in datis diſtantiis viſis a Zenith cognitas ſupponit, & exinde, fundamenti loco, angulum refractum determinat datæ refractioni in data diſtantia viſa a Zenith reſpondentem. Altera ad ductum § 6 aſſumtæ cuivis diſtantiæ viſæ a Zenith per ea, quæ fundamenti loco ante inventa fuerunt, aſſignat convenientem refractionem. Utramque expendam operationem, & cum aliis huc usque uſitatis componam.

Monendum autem prius eſſe duco, ſtatim dari altitudinem auræ refractivæ *OP* (*Fig. 1.* ſcripti prædicti, quæ in ſequentibus ſemper ſubintelligi debet,) ſimul ac datur angulus refractus *O B C* in data diſtantia viſa a Zenith *P O B*. Datur enim ſemidiameter terræ *O C*, ideoque in triang. *O B C*, ex analogia ſin. *O B C*: *O C* = ſin. *B O C* (ſin. *P O B*): *B C*, dabitur *B C* = *P C*, & inde *O P* = *P C* — *O C*. Sic, ſi vi præcedentium ponatur *O B C* = *88° 16′*, exiſtente *B O P* = *90°*, cum ſecundum *Picardum* ſit ſemidiameter terræ *O C* = *3269297* hexaped. Pariſ. invenietur *O P* = *1497* hexaped. Pariſ. Hoc pacto atmoſphæra ad ſalvandas refractionum conditiones, quas ex obſervationibus deprehendimus, tantum 1497 hexap. alta requiritur, cujuscunque ceterum ſit denſitatis, modo ſit denſitatis uniformis. E contrario, ſi atmoſphæræ ſtrata diverſæ denſitatis, prout ea exiſtunt, mente ita coercere velimus, ut iſta aerem producant uniformis ubique denſitatis, & quidem ejus,

ejus, qua aerem ad terræ ſuperficiem donatum novimus; invenietur ejusmodi atmoſphæræ altitudo circiter 4350 hexap. ſub hac conditione, ut aer iſte vi obſervationum barometricarum ſecundum leges hydroſtaticas æquilibrium tueri poſſit cum aqua, vel mercurio. Ingens hæc diſcrepantia jam dudum effecit, ut diſtinctio introducta fuerit, a nobis §. 2 ſervata, inter atmoſphæram & auram refractivam, utramque ſub denſitate uniformi ſpectatam. Sed ad rhombum. Quemadmodum ſcilicet altitudo auræ refractivæ OP pendet ab angulo refracto OBC pro data diſtantia viſa a Zenith POB, cognita nempe terræ ſemidiametro OC; ita viciſſim ex data altitudine OP pro data diſtantia viſa a Zenith POB dabitur angulus refractus reſpondens OBC, ſiquidem OC, BC $(=OP+OC)$ & BOC ex dato BOP in triang. BOC habentur. Ad idem ergo redibit res in ſequentibus, ſive altitudinem auræ refractivæ datam, ſive angulum refractum pro data diſtantia viſa a Zenith cognitum, accipiamus.

Detur jam altitudo auræ refractivæ OP. Detur per obſervationes refractio nBO pro data diſtantia viſa a Zenith POB. Dico, calculo inveſtigari poſſe refractionem mHO aſſumtæ cuivis diſtantiæ viſæ a Zenith POH convenientem. Per præc. enim ex OP & diſtantiis POB, POH, innoteſcunt anguli refracti reſpondentes OBC, OHC. Inde dabitur nBC $(=OBC+nBO)=NBL$, &, cum, ſecundum leges dioptricas, ſinus angulorum inclinationis inter ſe ſint ut ſinus angulorum refractorum reſpondentium, ex analogia ſin. OBC: ſin. OHC = ſin. NBL: ſin. MHG (§. 3.) dabitur MHG, vel mHC, ideoque refractio quæſita $mHO=mHC-OHC$. Hæc eſt methodus, quæ plerumque adhibita fuit huc usque in computo refractionum, & quæ, ſi operationis aptitudinem ſpectes, vix inferior cenſeri debet methodo noſtra, §. 6 expoſita, ita ut ex hoc capite nimia prærogativa noſtræ non ſit concedenda.

Aſt, ſi de eo, quod fundamenti loco ſupponitur, de altitudine ſcilicet auræ refractivæ, quæſtio ſit evolvenda, diſcrepantia ſe manifeſtabit. Mitto, quæ de inveſtigatione altitudinis

iſtius

iſtius ſecundum varias methodos prolixe differit *Ricciolus Almag. nov. Tom. I Part. poſter. Sect. 6 Probl. 43 ſeq.*; pro ſcopo enim noſtro eam tantum attendere convenit, quæ ex ipſis refractionibus obſervatis in datis diſtantiis viſis a Zenith certiori modo peti ſolet. Hoc autem negotium *Keplerus*, & alii, qui eum ſecuti ſunt, imo recentiores ipſi, methodo indirecta per regulam poſitionum proſecuti ſunt. Cognitis ſcilicet, pro datis diſtantiis viſis a Zenith POB, POH, refractionibus nBO, mHO, per obſervationes, aſſumſerunt ex arbitrio altitudinem auræ refractivæ OP in ejusmodi partibus, in quibus dari ſolet terræ ſemidiameter OC. Inde pro datis POB, POH, angulos refractos reſpondentes OBC, OHC, & denique, ſumta una refractione nBO ex obſervatione, alteram mHO ex calculo, ut ſupra oſtenſum eſt, determinarunt. Hanc mHO computo erutam compararunt cum refractione mHO ex obſervatione acquiſitam. Si inter utramque mHO deprehenderetur conſenſus, altitudinem OP recte aſſumtam fuiſſe, colligebant; ſin minus, aliam aſſumſerunt OP & opus, ut ante, tam diu urſerunt, donec perfectus daretur conſenſus inter refractionem mHO ex calculo, & mHO ex obſervatione definitam. Sic tandem innotuit altitudo quæſita OP. Quis calculi ambages pro indirectæ methodi indole non perſpicit? Interim, præter *Varenium*, nullum novi, qui in hoc negotio methodum directam tentaverit. *Varenius* nempe *Geograph. Gener. Lib. I Cap. 19 Prop. 30*, loco altitudinis OP, angulum aliquem refractum, ut OBC, ex datis duabus refractionibus nBO, mHO, una cum diſtantiis viſis reſpondentibus POB, POH, calculo analytico directe inveſtigavit. Licet autem, compendii cauſa, conditionem introduxerit, angulum POB eſſe debere rectum, & inde nBO refractionem horizontalem; nihilo minus tamen ad æquationem pervenit, quæ, licet iſta ſit biquadratica ſimplex, tot quantitatibus, ſinus denotantibus, & tot ſubſtitutionibus, involuta eſt, ut ad uſum ſine calculo laborioſiſſimo transferri non poſſit. *Varenius* ipſe confiteri id videtur, cum ſtatim methodum indirectam ſubjiciat & exemplo illuſtret, dire-

M ctam

Digitized by Google

ctam autem, omiſſo exemplo, allatam fuiſſe pronuntiet, ut Problema determinatum eſſe oſtenderetur, duasque refractiones ad iſtud ſolvendum ſufficere; qua de cauſa in *Keplerum* animadvertit, in *Epit. Aſtron. pag. 65* tres requirentem refractiones, licet ipſe viam directam non ingreſſus fuerit. An methodus noſtra, §. VII expoſita, tum brevitate calculi, tum, quod directa ſit, ſe commendet, arbitrium ſit penes Lectorem benevolum.

Et hæc quidem de præſtantia ejus præ ceteris dicta ſint; uſum nunc paucis quoque expendere conveniet. Rationes, quæ antea moverunt Aſtronomos, ut pleraſque refractiones calculo ſcrutarentur, adhuc quoque perſiſtunt. Eidem obſervatori, in eodem loco, opportuno licet, refractiones ad ſingulos altitudinis gradus obſervare non licet. Quæ ultra 45° ad Zenith usque uno minuto fiunt minores, ob exiguam ſuam quantitatem obſervatoris operam eludunt. Refractiones in vicinia horizontis inconſtantes, & pro diverſa aeris temperie diverſæ, innoteſcunt ex obſervationibus, ut Aſtronomi cogantur, ex comparatione plurium certiores eligere. Legem progreſſionis refractionum ſecundum altitudines in partibus minimis obſervationes, etiamſi exactiſſimæ ſint, largiri nequeunt, erroribus, exiguis licet, ſe offerentibus, qui obſervando evitari nequeunt. Taceo alia plura. Res igitur ſemper huc redit, ut ex quibusdam refractionibus, quæ ex obſervationibus innotuerunt certiſſimæ, reliquæ calculo inveſtigentur.

Sed dubium removeri debet, quod computum noſtrum premere videtur. Nititur iſte hypotheſi refractionis rectilineæ, & conſtitutionem atmoſphæræ arguit a natura ejus valde abhorrentem. Radius atmoſphæram trajiciens re vera curvam deſcribit. Quis ergo conſiderationem ejus, quippe naturæ rei convenientem, ceteris in hoc negotio præferendam eſſe, non cenſebit? Nihil regererem, modo natura hujus curvæ certo perſpecta eſſet, & iſta ad calculum faciliorem revocata quæſito propius multo ſatisfaceret. Res quidem tentata fuit a Geometris primi ordinis partim infelici, partim feliciori, ſucceſſu; confitentur tamen & ipſi, absque hypotheſibus in hoc nego-

negotio nihil peragi poſſe. Determinatio curvæ iſtius pendet a vi aeris refractiva in ſingulis atmoſphæræ ſtratis, quæ vero itidem ac exacta denſitatum aeris in diverſis ſtratis lex ignoratur. Taceo calculum laborioſiſſimum, & atmoſphæræ alterabilitatem. Sed videamus quoque diſcrepantiam concluſionum, ex conſideratione curvæ, & ex hypotheſi refractionis rectilineæ, reſultantium. Exhibet nempe *Dan. Bernoullius* in *Hydrodynamica pag. 222.* Tabulam, ex ſua curvæ refractionis conſideratione conſtructam, aſſumta cum *Caſſino* refractione in altitudine 10 grad. = 5′ 28″. Hæc comparata cum Tabula *Caſſiniana* ex hyp. refractionis rectilineæ deducta

REFRACTIO

ad altit. appar.	ex conſideratione curvæ.	ex hyp. refract. rectil.	Differ.
°	′ ″	′ ″	′ ″
0	34 53	32 20	2 33 +
5	9 59	10 32	0 33 −
10	5 28	5 28	0 0
15	3 44	3 38	0 6 +
20	2 52	2 39	0 13 +
25	2 12	2 6	6 +
30	1 47	1 42	5 +
35	1 29	1 23	6 +
40	1 15	1 10	5 +
45	1 3	0 59	4 +
50	0 53	0 50	3 +

patefacit, differentiam jam in altitudine 15 grad. inſenſibilem fere & contemnendam eſſe. Refractiones quidem in vicinia horizontis notabiliorem admittunt diſcrepantiam; aſt conſtat quoque, easdem ob inconſtantiam ſuam ab Aſtronomis omni cura evitari ſolere. Igitur utraque theoria quoad uſum æque præſtat; ratione fundamenti æque hypothetica eſt; ob calculi compendium autem hypotheſis refractionis rectilineæ prævalet, & hanc ob cauſam ab Aſtronomis conſervari ſolet.

NOVA LITERARIA.

Novum nuper ſuo prelo *Nicolaus* & *Marcus Palearini*, typographi Romani, exire juſſerunt *Antiquitatum Chriſtianarum* opus, cujus quæ ratio ſit, aliqua ex parte cognoſcent Lectores noſtri ex tabula publica, nuper a *Palearinis* in conſpectu orbis eruditi ſuſpenſa, in qua hæc inſcripta ſunt:

Prodiit e noſtro Typographio his diebus paucis F. Th. M. Mamachi, Ord. Præd. Collegii Caſanatenſis Theologi, *Volumen primum* Originum & Antiquitatum Chriſtianarum, *quod continet Libros duos, quorum prior eſt* de Nominibus veterum Chriſtianorum, deque calumniis, quas Ethnici excogitarant, ut eos in maximorum criminum infamiam vocarent, *alter eſt* de Origine & Propagatione Chriſtianæ Religionis. *Quid autem Opus univerſum, quod duodecim Voluminibus continebitur, complecti debeat, quotque in Libros diſtributum ſit, Autoris verbis, quam noſtris, referre malumus. Scribit autem ille in Præfatione hoc modo:* Cum diu multumque mecum cogitaſſem, acceſſi ad eam opinionem, ut, quamvis ſecus nonnulli ſtatuerent, ad omnia tamen, quæ propria veterum Chriſtianorum fuiſſent, colligenda plus viginti Libris opus non eſſe, arbitrarer. Nam, ejus generis univerſa cum partim nominibus, partim rebus, continerentur, eſſetque jam vetere ſcriptorum illuſtrium more conſtitutum, ut a vocibus ſcribendi initium duceretur, explicatus eſt is locus priore Libro, ut, quibus ipſi ſe appellare, quibusque ab ethnicis vocari nominibus Chriſtiani conſueſſent, perſpiceretur. Cumque appellationes, quas inimici noſtris hominibus tribuebant, niſi cognitis calumniis, ex quibus eſſent profectæ, intelligi vix poſſe viderentur, adjuncta eſt de calumniis, earumque cauſis, diſputatio, tertioque ejusdem Libri Capite demonſtratum, quibus eas rationum momentis Patres depuliſſent. Quibus rebus perfectis, ſecutus eſt de Origine & Propagatione Chriſtianæ religionis liber. Non enim probare illorum ſententiam poteram, qui, miſſis originibus progreſſibusque religionis negle-

neglectaque illa, quæ eſt de majorum noſtrorum moribus, quæſtione, poſt abſolutum de nominibus librum, de forma Chriſtianæ civitatis agendum ſibi eſſe, judicarent. Sed, quia, latius genus hoc argumenti patere, animadverteram, dividendus is Liber fuit in Partes duas, quarum prima generatim, quibus modis orta ac propagata; altera, ut introducta in varias provincias, in iisque diſſeminata, religio fuerit, explicarem. His autem perfectis, tertius addetur Liber de Moribus, quibus Chriſtiani veteres vivebant. Niſi enim, propoſitis eorum virtutibus, informari in animis noſtris notio ſanctiſſimæ illius, qua conjuncti fuiſſent, ſocietatis vix poteſt. Atque, ubi conſtiterit, quorumnam hominum labore, qua vitæ inſtitutione, quibus præſidiis, doctrina ac diſciplina noſtra in univerſum terrarum orbem manaverit, quartus Liber ſequetur de Ratione Chriſtianæ Reipublicæ, quam vocare Hierarchiam Eccleſiaſticam poſſumus. Magnus namque locus, atque a viris doctiſſimis tractatus uberrime, a me quidem certe, qui origines antiquitatesque Chriſtianas inveſtigarem, omittendus non erat. Arbitrabar enim noſtris hominibus inutile minime futurum, ſi mea quoque opera intelligerent, quis in Eccleſia univerſa primas jam uſque ab initio partes teneret, qui Patriarchæ, qui Primates regionum quarundam, qui Metropolitæ, qui Hexarchi, qui Epiſcopi, qui Archipresbyteri, Presbyteri, Archidiaconi, Diaconi, &c. a quo inſtituti eſſent, qua auctoritate, quibusque opibus, valerent, quamque late eorum ditiones extenderentur. Nam de Clericis ceteris, de Monachis, de populo denique, quid dicam, quorum quidem graduum, inſtitutorumque, cognitio, ſatis conſtat, quanti ad eorum commoda interſit, qui ſe præſertim huic ſtudiorum generi dediderunt? Poteſtatem autem celebrandorum Conciliorum, ferendarumque legum, quæ ineſt Eccleſiæ, ſexcentaque alia, quorum eſt inſignis cum iis rebus conjunctio, & quæ continentur eodem Libro, ſi perſpecta atque explorata ſint, quis neſciat, conferre plurimum ad utilitatem poſſe? Quintus erit Liber de Lo-

cis ſacris. Cum enim in quaque ſocietate id ſit praecipuum, quod pertinet ad religionem; loca vero ſacra eo conſilio inſtituta ſint, ut in iis ſummo rerum omnium autori Deo ſacrificium, cultus, honores, preces, adhibeantur; abſoluto eo, qui eſt de ſocietatis reipublicaeque Chriſtianae ratione, Libro, de Templis, de eorum partibus, deque iis rebus, agatur, neceſſe eſt, quarum magnam eſſe intelligimus cum Aedibus ſacris affinitatem. Itaque ſubſequentur Libri ſextus de Vaſis, ſeptimus de Veſtibus, octavus de Imaginibus, ac reliquis ornamentis ſacris eccleſiarum, quibus accedet nonus, qui erit de Organis, de aliis Inſtrumentis muſicis, deque Campanis: quarum rerum omnium neque tam eſt recens, ut quidam putant, neque negligendus, uſus; quod fecerunt hi, qui, cum novitati ſtuderent, a noſtris ſacris, inſtitutisque, conflato ſchiſmate, deſciverunt. Et, quoniam in locis ſacris congregari Chriſtiani, in iisque orare, hymnos, pſalmosque, canere, ſtationes habere, remque divinam facere, conſuerant, tractabitur locus de ſacris Conventibus Libro decimo adeo diligenter, ut eorum, quae ad Agapas, Synaxes, Stationes, &c. veterum Chriſtianorum ſpectant, nihil, quod grave utileque ſit, praetermiſſum eſſe videatur. Cumque majores noſtri, dum ſtatis temporibus convenirent, aut jejuniis darent operam, aut feſtos dies agere ſolerent, poſt abſolutam de conventibus ſacris diſputationem, odatur undecimus Liber oportet, qui eſt de Sacris Temporibus. Quoniam vero ſacris omnibus intereſſe nemini, niſi qui noſtris myſteriis initiatus eſſet, licebat; eſtque in myſteriis primum Baptiſma, quod ſane qui ſuſcepturi ſunt, ii Catechumeni vocantur, duodecimus erit Liber de Inſtitutione & Gradibus Catechumenorum. Quo quidem in Libro de Symbolis, inprimisque de illo, quod dicitur Apoſtolorum, agam, ut ratio poſtulaverit, accurate. Nam, quae de ritibus diſciplinaque Eccleſiae in adminiſtrando Baptismate ſunt, ea tertius decimus Liber omnia complectetur. Deſcendam mox ad decimum quartum, quo ritus, cerimonias, rationesque conferendi

di Sacramenti Confirmationis, explicantur. Quintus deinde ac decimus de ratione, ritibus, diſciplinaque, celebrandæ atque adminiſtrandæ Euchariſtiæ ſuccedit Liber, quo omnis illius loci quæſtio continebitur. Quæ ut fuerit plene cumulateque perfecta, veniam ad Sacramenti Pœnitentiæ adminiſtrationem, ac, numeratis explicatisque iis, quæ ad varios pœnitentium ordines, pœnasque, iis inflictas, attinent, cetera, quæ propria ejus Sacramenti ſunt, copioſiſſime perſequar, eisque rebus aperiendis decimus ac ſextus impendetur Liber. Septimus autem ac decimus, quia veterem Eccleſiæ in Sacramentis diſponendis numerandisque rationem confector, modum, quo effici adminiſtrarique extremæ Unctionis Sacramentum debet, illuſtrabit, quem octavus & decimus ſequetur, qui erit de ſacris ordinationibus, in iisque dandis Eccleſiæ diſciplina. Quo ſane Libro tota, quanta eſt, de beneficiis, deque privilegiis, quibus gaudere Clerici conſueverant, diſputatio expedietur. Nam decimus nonus erit de Matrimonio, ejusque Miniſtro, atque iis omnibus, quæ aut impediunt, ne perfici poſſit, aut in eodem perficiendo adhiberi debent. Extremus earum rerum tractationem complectetur, quæ de Cœmeteriis, ſepulcris, rituque ſepeliendi, ſunt, itaque omnia illuſtrabuntur, quæ ſunt propria Originum & Antiquitatum Chriſtianarum. Nulla enim res vetus in Eccleſia eſt, quæ ad ea, quæ numeravi, capita referri commode non poſſit. *Jam vero magnitudo Voluminum eſt in 4, nec ullum erit, quod minus 60 foliis conſtet. Erunt autem omnia permultis figuris, æri lignove eleganter inciſis, ornata. Charta ejus generis eſt, quam vulgo* real fioretto *vocamus. Forma characterum, quibus uſi ſumus, eædem, atque illæ, ſunt, quibus Hiſtoriam Reverendiſſimi P.* Joſephi Auguſtini Orſii, *S. P. A. M. excudimus. Qui ſibi Volumen primum parare voluerint, hi ſolvent pro primo quidem Julios XI, eodemque tempore totidem Julios pro ſecundo; ut ſumma ſit XXII Juliorum pro primo & ſecundo. Hoc ſecundum Aprili*

prili menſe anni 1750 publicabitur. Qui hanc nobiſcum inire noluerint ſocietatem, hi ſciant, ſe pro quolibet Volumine quindecim Julios ſoluturos, ſi poſt ſtatuerint emere.

Ex mandato Illuſtriſſimi Acad. Scient. Imp. Petropol. Præſidis, Comitis *Raſumowski*, Imperatoriæ Majeſtatis Cubiculo Præfecti, Legionis Prætorianæ Ismailovicæ Pro-Tribuni, Ordinumque Equeſtrium Aquilæ Albæ Divi *Alexandri* & Divæ *Annæ* Equitis, Academia Imperialis Scientiarum Petropolitana, ad promovenda bonarum artium & ſcientiarum ſtudia plurimum conferre, judicavit, ſi quotannis quæſtio quædam inſignis, & cujus enodatio maximam ſit allatura utilitatem, cum annexo præmio publice proponatur, quo magis omnium gentium viri eruditi excitentur ad vires ſuas in propoſita quæſtione exercendas, ambitumque humanæ cognitionis amplificandum. Viſum igitur eſt, ſequens Problema eruditis ſolvendum proponere, eique, qui Academiæ judicio ſolidiſſimam maximeque adæquatam ſolutionem ſuppeditaverit, præmium, quod centum nummis conſtabit aureis, quos vulgo Ducatos appellant, vel ejusdem valoris numismate, decernere. Quæritur igitur: *An omnes inæqualitates, quæ in motu lunæ obſervantur, theoriæ Newtonianæ ſint conſentaneæ, nec ne; et quænam ſit vera theoria omnium harum inæqualitatum, unde locus lunæ ad quodvis tempus quam exactiſſime poſſit definiri.* Quicunque igitur ubique locorum in Aſtronomia colenda operam ſuam collocant, ſolis exceptis Academiæ ſociis, qui judicum vices gerent, ad hanc quæſtionem evolvendam humaniter invitantur, iique, qui meditationes ſuas Academiæ judicio ſubmittere voluerint, benevole admonentur, ut eas diſtincte, & lingua vel Ruſſica, vel Germanica, vel Gallica, vel Latina, conſcriptas, ante diem 1 Januar. Anni 1751 ad Illuſtriſſimum Academiæ Imp. Scient. Præſidem, Comitem *Raſumowski*, transmittant; quæ enim ſcripta poſt hoc tempus advenerint, ad præmii dijudicationem non recipientur. Caveant quoque Autores, ne nomina ſua in Diſſertationibus, quas ſunt miſſuri, patefaciant: ſed quisque potius opus ſuum ſententia quadam inſigniat, cujus conſignatione a Secretario Academiæ ſyngrapham, cum numeri, quo fuerit repoſitum, ſignificatione, accipiet, dummodo locum, ad quem ea dirigenda ſit, indicaverit. Interim tamen quisque Diſſertationi ſuæ ſchedulam obſignatam, in qua nomen ſuum ſit expreſſum, adjungat, quæ non aperietur, niſi Diſſertatio, cui eſt annexa, præmio fuerit condecorata: tum enim Autori, cum ſyngrapham, quam acceperit, remiſerit, pecunia ex ærario Academico perſolvetur. Judicium Academiæ, quo præmii adjudicatio erit facta, ſuo tempore in Conventu publico promulgabitur.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCL.

Pars I.

BENEDICTI XIV, PONT OPT. MAX. OLIM PROSPERI Card. DE LAMBERTINIS, primum Anconitanæ Eccleſiæ Epiſcopi, deinde Bononienſis Archiepiſcopi, de Synodo Diœceſana Libri octo, nunc primum editi ad uſum Academiæ Liturgicæ Conimbricenſis.

Romæ, typis Nicolai & Marci Palearinorum, 1748, 4 maj. Alph. 3 plag. 15.

Conſilium ſuſceperat Pontifex Maximus, quem Muſæ Apollinem ſuum venerantur, conſcribendi hujus Operis, ac ejus rei gratia adumbraverat tractationis initia, cum Archiepiſcopatui Bononienſi præſideret. Ex quo purpuram regnumque nactus eſt, illud plane dedit effectui. Editionem Operis adornavit *Emmanuel de Azevedo*, ſodalis Societatis Jeſu, ac Autori Summo Præfatione præmiſſa Opus reddidit, dicavit, conſecravit, Jurisprudentia eccleſiaſtica refertiſſimum. Canonici regulares reformati Congregationis S. Crucis Conimbricenſis, quæ floret Romæ, facile impetrarunt ab Autore Maximo, ut hi libri ad Academiæ Liturgicæ uſum ederentur. Editori cura ſodalitii ſanctiſſimæ Dei Parentis ab Angelo ſalutatæ, *primam primariam* illi vocant, eſt demandata. Id præſentia ſua dignatus erat *Benedictus XIV*. Prædicat Editor eam gratiam, & in numero incomparabilium deputat beneficiorum. Auxit illud Pontifex poſtea privilegiis

 am-

ampliſſimis. Idem *Collegii Romani* reditus annuos, quibus Bibliotheca ejus creſcat, auxit, & præterea ſanxit, ut ex Societate Jeſu in *ſacrorum rituum Congregatione* aliquis ad Conſultoris munus obeundum adſciſcatur. Monumenta hæc laudum inſeruit *Emmanuel de Azevedo* formulæ ſuæ, quam attigimus, dedicatoriæ. Altera ejus opera convertit ſeſe ad liturgicæ Academiæ Conimbricenſis auditores, laudans argumenta operis, quaquaverſus ob cognationem literarum ſeſe diffundentis, ac promittens, ſeſe opuſcula alia, quæcunque ad idem argumentum ſpectantia reperiri potuerint, *Appendicis* loco eſſe editurum. Hæc in limine erant prænuntianda. Nunc vero ædes ipſas ingrediamur oportet, conclavia & eorum ornamenta commonſtraturi. Recenſebimus primum Libri cujusque ſummam. Tum vero per partes ibimus, ſpeciminis loco paſſim nonnihil decerpturi, unde Lectori poſſit de integro Opere conſtare judicium. *Libro primo* notiones, quarum uſus tractationi eſt proprius, exponuntur. *Secundo* de iis, qui Synodum diœceſanam cogere poſſunt ex jure, diſſeritur. *Tertio* agitur de vocandis ad Synodum, de ordine ſedendi, & de ſacris veſtibus, pro dignitate cujusque adhibendis. *Quartus* inſcribitur de Officialibus, ſeu Miniſtris, Synodi, ſuam nimirum operam Synodo præſtantibus, aliisque, qui pro futuris eventibus in Synodo eliguntur. *Liber quintus* gerenda in Synodo complectitur. *Libro ſexto* de Conſtitutionibus, in diœceſana Synodo edendis, earumque conſcribendarum methodo, exponitur. *Septimo* de Conſtitutionibus ſynodalibus quam copioſiſſime diſſeritur. *Octavo* adjiciuntur ea, quæ ad Synodum pertinent diœceſanam. In hiſce argumentis vertitur tractationis univerſæ cardo. *Libri* in *Capita* ſunt accurate diviſi. Index Librorum & Capitum Operi præmittitur. Quid ſingulis Libris contineatur, Capitum deſignatio reddet planum. *Libro primo* tractatur de Synodi nomine, & Synodorum diviſione; de Synodi diœceſanæ exponitur utilitate; quæritur ac definitur, quonam titulo cohoneſtanda ſit Synodus diœceſana, & quomodo inſcribenda ſint ejusdem decreta; quæritur, an Synodus diœceſana pertineat ad

ad poteſtatem ordinis, vel jurisdictionis; an ad legem diœceſanam, an ad legem jurisdictionis; agitur de loco, quo convocanda & habenda ſit Synodus diœceſana. Facile intellectu eſt, ex monarchica-eccleſiæ notione omnem inſtitui & conformari tractationem. *Libri ſecundi* hæc ſunt capita: 1) an Romanus Pontifex cogere poſſit Synodum diœceſanam; 2) Jus Romani Pontificis congregandi Synodum, tam provincialem, quam diœceſanam, explicatur & confirmatur; 3) de Cardinali urbis Vicario exponitur; 4) de Archiepiſcopo differitur; 5) generalia de ſimplici Epiſcopo ſuppeditantur momenta; 6) de Epiſcopo habente privilegium geſtandi pallium, & crucem ante ſe deferendi, exponitur, nec non 7) de Epiſcopo titulari. Porro 8) de Vicario generali Epiſcopi; 9) de Vicario capitulari, & de Vicario Apoſtolico, itemque 10) de *Prælato* inferiore, ea in medium afferuntur, quibus in hac tractatione locus fieri ſolet. *Libro ſecundo* copioſe exponitur 1) de *Prælatis* regularibus & ſecularibus; 2) de Abbatibus, *Prioribus*, Guardianis conventuum, ſubjectorum jurisdictioni Epiſcopi, tanquam Sedis Apoſtolicæ delegati; 3) de iis, qui nacti ſunt dignitates, perſonatus, officia, ac de Vicariis, tum generali, tum de foraneis; 4) de Canonicis eccleſiæ cathedralis & collegiatarum; 5) de Parochis; 6) de nactis beneficia ſimplicia, ceterisque Presbyteris & Clericis diœceſeos; 7) de Fratribus Cappellanis ſacræ religionis Hieroſolymitanæ, curam animarum habentibus, aliisque, eidem religioni ſervientibus; 8) de Beneficiariis, Cappellanis, aliisque, qui ſunt aggregati eccleſiæ, in ſolo Lateranenſi fundatæ, nec non de Protonotariis & ſubcollectoribus ſpoliorum; 9) de Laicis; 10) de ordine ſedendi in Synodo; 11) de indumentis Epiſcopi, aliorumque, qui Synodo Diœceſanæ interſunt; 12) de pœnis, quibus fiunt obnoxii non accedentes ad Synodum, niſi legitimo detineantur impedimento. *Libro quarto* differitur 1) de *officialibus* primi generis; 2) de judicibus querelarum & excuſationum; 3) de teſtibus ſynodalibus; 4) de *Punctatoribus*; 5) de Judicibus ſynodalibus; 6) de Judicibus conſervatoribus; 7) de ſynodalibus examinatoribus; 8) de

 mo-

momentis aliis, ad ſynodalium examinatorum munia & officium ſpectantibus. Quæ in Synodo geruntur, ſunt omnino varia. Quam ob cauſam *Libro quinto* agitur 1) de publicis ſupplicationibus, Miſſis, allocutionibus, ſermonibus, & acclamationibus; 2) de iis, quæ legenda ſunt in Synodo, & de fidei profeſſione, quam contra eam emittere decet; 3) de *ſcrutinio*; 4) de autoritate reſervandi caſus, eorumque reſervatione intra Synodum facienda; 5) de acrioribus & gravioribus criminibus reſervandis, & præſertim, quantum attinet ad *Regulares*; 6) de jure exigendi cathedraticum, plerumque in Synodo ſolvendum; 7) de nonnullis quæſtionibus, ad cathedraticum referendis; 8) de eleemoſyna Miſſarum, & ejus æſtimatione, intra Synodum plerumque peragenda; 9) de advertendis ab Epiſcopo in ſtatuenda Miſſæ eleemoſyna, evellendisque abuſibus, adverſus eam gliſcentibus; 10) de oneribus Miſſarum minuendis; 11) de ratione redituum ſeminarii, intra Synodum a *Deputatis* reddenda, & de nonnullis momentis, ad eosdem Deputatos pertinentibus; 12) de nonnullis monitionibus, in Synodo faciendis. Ad Conſtitutiones edendas ſpectat *Liber ſextus*, ubi exponitur 1) ſumma ſtatuendorum in Synodis Diœceſanis; 2) de methodo & ſtilo ſermonis, quibus conſcribendæ ſunt ſynodales conſtitutiones; 3) de capitibus, quæ utiliter in una, inutiliter in alia, Synodo decernuntur. Simul ibi ediſſeruntur nonnulla momenta de *Oblatis*, Eremitis, & Græcis, degentibus intra diœceſes Epiſcoporum Latinorum; 4) demonſtratur aliis exemplis, conſtitutiones non omnes ſingulis congruere Synodis. Additur nonnihil de Judæis, inter Chriſtianos degentibus. 5) Confirmantur ea, quæ præcedenti *Capite* dicta ſunt, novo exemplo, præcipue communionis Catholicorum cum hæreticis in rebus divinis. Quorſum hæc tendant, & quænam conſilia inſtent exequenda, hinc nemo non ſuo ingenio aſſequetur. 6) Docetur, abuſum, recens ſubortum in diœceſi, interdum neceſſariam reddere conſtitutionem, quæ in alia fortaſſis Synodo eſſet ſupervacua. *Libro ſeptimo* exponitur 1) de iis, quæ cavenda ſunt ratione quæſtionum nondum definitarum, ubi agitur ſimul

mul

Digitized by Google

mul de quæſtioné, an ſit *de jure divino reſidentia*, quantum ad eos attinet, quibus cura animarum fuit demandata. 2) Continuatur argumentum, ſimulque extricatur quæſtio, an Clerici beneficiarii ſint domini, an ſint adminiſtratores fructuum, qui ex beneficiis ad eos redundant; 3) regula, ſuperius tradita, arctioribus includitur limitibus. Docetur 4), præcipue abſtinendum eſſe a definiendis quæſtionibus, reſpicientibus Sacramenta. Additur nonnihil de *intentione* miniſtri, ad *validitatem*, ſeu efficaciam, Sacramenti requiſita. Nonnullæ 5) recenſentur quæſtiones, ad Sacramentum Baptiſmi ſpectantes, a quibus, in Synodo definiendis, ſit abſtinendum. Adjungitur hiſce nonnihil de Baptiſmo, qui collatus eſt infanti, intra uterum matris latenti, nec non infanti, qui nonnullam ſui partem ex utero matris emiſit. Agitur 6) de forma Baptiſmi, ad legem, ſeu conditionem, adſtricta, alteriusve Sacramenti, characterem imprimentis. Differitur 7) de Sacramento confirmationis reſpectu Presbyterorum Græcorum, qui illud pueris poſt baptiſmum adminiſtrant, ac primum quidem de Miniſtro hujus Sacramenti. Exponitur 8) de adhibendo Chriſmate ab Epiſcopo benedicto, ſi Presbyter, qua miniſter extraordinarius, Sacramentum confirmationis adminiſtret. Quæritur ſimul, an ad ſolum ſummum Pontificem, excluſo Epiſcopo, ſpectet jus delegandi adminiſtrationem Sacramenti hujus Sacerdoti, ſimpliciter tali. Imponitur 9) finis propoſitæ quæſtioni de pueris, qui poſt baptiſmum a Presbytero, eum baptizante, confirmantur. Differitur rurſus 10) de Sacramento confirmationis, de quo in quadam Conſtitutione ſynodali cautum fuit, ut illud pueris mox deceſſuris adminiſtretur. Tractatur 11) de evitandis in Synodo theologicis quæſtionibus, quæ a Theologis moventur, ad Euchariſtiæ Sacramentum referendæ. Differitur ibi præterea de *Viatico* exhibendo, vel non exhibendo, ei, qui poſt perceptam mane ſanctiſſimam Euchariſtiam eodem die non videtur eſſe moriturus. Agitur 12) de *Viatico* pueris exhibendo, nec non iis, qui, perſtante eodem morbi periculo, admodum cupiunt ſibi *Viaticum* exhiberi. Additur nonnihil

de frequenti, aut quotidiano, Euchariſtiæ uſu. Exponitur 13) de momentis, quæ ad Sacramentum Pœnitentiæ attinent, & præcipue de quæſtione, ejusque uſu in ſynodalibus conſtitutionibus, tum ratione neceſſitatis, quæ jubet, ut quædam Dei dilectio inſit attritioni, ex inferorum metu exortæ, tum citra illam neceſſitatem. Diſſeritur 14) de Confeſſione, quam nonnullæ Synodi vetuerunt a *Confeſſariis* excipi, qui ſint in opere carnali criminis rei, quod cum ipſa *Pœnitente* fuit peractum. Diſſeritur 15) de reprobationis doctrina, quæ in nonnullis legitur Synodis, & in eo conſiſtit, quod *Confeſſio* fuerit facta in ipſo mortis articulo in gratiam laici, aut mulieris, deficiente Sacerdote, aut Diacono, aut Subdiacono. Diſſeritur 16) de Sacramento extremæ unctionis, ubi præterea agitur de materia hujus Sacramenti, de olei benedictione ab Epiſcopo peragenda. Monetur, nullis Synodis prohibitam eſſe Presbyteris Græcis illius olei confectionem & benedictionem, Pontificiis Græci ritus adhibendi, ſi in Latinorum diœceſibus Græci commorentur. Exponitur 17) de forma Sacramenti extremæ unctionis. Adjunguntur varia 18) de corporis partibus inungendis. Agitur 19) de Sacramenti extremæ unctionis miniſtro tum in Græca, tum in Latina, eccleſia, & inquiritur, quid Epiſcopi Latini, in quorum diœceſibus Græci habitant, de eorum ritu in hac re ſtatuere valeant. Diſſeritur 20) de *ſubjecto* hujus Sacramenti, & præſertim de more Græcorum, quo ſani oleo inunguntur, addita disquiſitione, quid de eo Epiſcopi Latini, in quorum diœceſibus Græci habitant, in Synodo diſſerere poſſint. Exponitur 21) de eo, qui extremam recipit unctionem, ac de ætate, qua pueris ipſa adhiberi poteſt, de amentibus ac furioſis, ac de Synodis paululum, quibus de eo argumento diſſeritur. Diſſeritur 22) de tempore, quo infirmis extrema unctio eſt exhibenda, ac de eo, quod in Synodis & inſtructionibus Epiſcopi de dicto tempore ſtatuere debeant. Agitur 23) de ordine, quo extrema unctio infirmis adminiſtranda ſit, ac de repetitione adminiſtrationis ejusdem Sacramenti. Exponitur 24) de *cautela*, in conſtitutionibus ſynodalibus adhibenda, cum in eis agitur de

Ordi-

Digitized by Google

Ordinationis Sacramento. Tractatur 25) de eo, quod in Synodo nihil decernandum ſit de trium hierarchicorum Ordinum materia & forma. Exponitur 26) de *proteſtatione*, aliquot Synodis inſerta, ac per Archidiaconum nomine Epiſcopi ante Ordinationem repetita, per quam Epiſcopus, Ordines collaturus, proteſtatur, ſibi haud eſſe animum ordinandi irregulares, aut canonico impedimento irretitos. Agitur adhæc de Ordinatis ad majores Ordines, ab Epiſcopo in Miſſa, non ab ipſo celebrata, ſed a Sacerdote peracta. Demonſtratur 27), quam circumſpecte loquendum ſit in Synodo de miniſtro Sacramenti Matrimonii, & quod Concilio Tridentino irrita ſint declarata matrimonia clandeſtina. Indicatur 28), præſentiam Parochi ad vires connubiis Chriſtianorum tribuendas nunc neceſſariam eſſe ex quorundam opinione, quæ adhuc verſetur in controverſia, de qua in Synodo judicium haud ſit ferendum. Monetur 29), ut falſa corrigatur doctrina, quæ de matrimonii Sacramento in Synodos irrepſerit quasdam. Docetur 30), nihil in Synodo eſſe decernendum, quo detrimentum capiat autoritas & jus Apoſtolicæ Sedis, & id falſum eſſe, quod nonnulli Epiſcopo poteſtatem ſtatuendi in ſua tribuant diœceſi, iis cauſis duntaxat exceptis, quæ totius eccleſiæ ſtatum reſpiciant, vel Papa ſibi ſpeciatim reſervarit. Decernitur 31) ex iis, quæ dicta ſunt, quibus in caſibus fas ſit, aut nefas, Epiſcopo, relaxare impedimenta, quæ matrimonia dirimunt. Additur nonnihil de conſuetudine Epiſcoporum Galliæ, quantum ad hanc rem attinet. Affertur 32) exemplum ſynodalis conſtitutionis, adſcribentis Epiſcopo facultatem abſolvendi homines ab hæreſi, turbantis jura Apoſtolicæ Sedis, niſi conſtitutio commode explicetur. Alia 33) evertuntur argumenta, quibus ſpeciatim nonnulli Autores Galli ſeſe ſuſtentarunt, deponentes Clericos gradu miniſterii. Jubetur 35) nulla intra Synodum decidi controverſia, quæ vertatur in jurisdictionis materia inter poteſtatem eccleſiaſticam & ſecularem. Monentur 36) aſſeſſores Synodorum, ut leges civiles cum moderatione & delectu allegent. Afferuntur 37) exempla legum ſecundi generis, quæ ſcilicet

ſint

ſint per Jus Canonicum correctæ & improbatæ. Diſſeritur ſimul de matrimoniis filiorumfamilias ſine conſenſu parentum, & ſervorum, ceſſante dominorum conſenſu. Promuntur 38) exempla alia legum civilium, per Jus Canonicum correctarum, præcipue de adulteriis & concubinatu. Memoratur 39) gravis dubitatio, olim de eo exorta, an quædam lex civilis eſſet a Jure Canonico recepta, an potius abrogata; atque eapropter, an legitime contrahi poſſit matrimonium vitricum inter & uxorem privigni. Agitur 40) de legibus civilibus, a Jure Canonico neque correctis, neque nominatim approbatis, & proinde in Synodo nonnunquam memorandis opportune. Docetur 41), nihil in Synodo eſſe conſtituendum, quo *Regularium* privilegia violentur. Modus 42) traditur, qui in conſtitutionibus, ad Regulares attinentibus, ſit adhibendus. Aliæ 43) exponuntur earundem querelarum cauſæ. Tum vero 44), cenſuras, præſertim latas ſententias, transgreſſoribus conſtitutionum ſynodalium non niſi ſobrie & circumſpecte infligendas eſſe, traditur. Adjicitur nonnihil de poteſtate ſtatuendi illas cenſuras. Improbatur 45) uſus cenſurarum latæ ſententiæ immoderatus autoritate & exemplis. Docetur 46), interdum damnari poſſe cenſuram latæ ſententiæ ad cohibendam culpam, quæ, per ſe ſpectata, eſt levis; ſi ob adjuncta momenta circumſtantia fiat gravis. Traditur 47), quid de uſuris & contractibus in Synodo decerni poſſit, ac ſpeciatim de mutuo. Definitur 48), an, & ubi, & quando, uſuræ ſuſpicione vacent quidem ſpecialis contractus, de quibus interdum in Synodo ſit agendum; ſimul diſſeritur de lucro, quod ultra ſortem recipitur in Montibus Pietatis, de cenſibus, & de collybo. Agitur 49) de eo, quod a *cambiis localibus activis*, omnique alia quæſtuoſa negotiatione, quamvis per ſeſe non illicita, laicisque permiſſa, per Synodorum ſanctionem Clerici ſint cohibendi. Exponitur 50), quid ſit ſentiendum de contractu, quem vocant *trium contractuum*, an ille a Synodo permitti, an potius proſcribi, debeat. Monetur 51), ut contractus cuilibet diœceſi proprii ac peculiares in Synodo examinentur. Agitur 52) de mulctis, ſeu pœnis pecuniariis.

Digitized by Google

riis. Diſſeritur 53) de mulctarum applicatione, ſeu deſtinatione, ac obiter de procuratione, viſitanti Epiſcopo debita. Agitur 54) de falſa novitatis nota, quæ Synodalibus conſtitutionibus nonnunquam nonnemini inuritur, ac de conſtitutionibus S. *Caroli Borromæi* pro eccleſia ſua Mediolanenſi. Ab eadem novitatis nota 55) aliæ vindicantur ſynodales conſtitutiones, Alatrinæ videlicet & Herbipolenſes. Oſtenditur 56), quænam ſit novitas in diœceſin non inducenda, ubi præter alia agitur de jejunio ſabbati, & more, in nonnullas regiones invecto, veſcendi die ſabbati partibus animalium interioribus ac exterioribus. Traditur 57), novitatis nota non vacare ſynodalem conſtitutionem, quæ renovare tentet antiquos canones, interventu aliorum poſteriorum mitigatos. Additur nonnihil de cohabitatione Clericorum & mulierum in Synodo utique inhibenda. Adjiciuntur 58) alia ſynodalium conſtitutionum, inviſam novitatem inducentium, exempla. Agitur præterea de ſolutione dotis, a ſanctimonialibus facienda monaſterio, in quo edunt profeſſionem, nec non de propoſita inſtitutione nutriendi infantes ſpurios ac expoſitos lacte caprino, aut vaccino. Exponitur 59) de cenſoria nota nimiæ ſeveritatis, ſynodalibus conſtitutionibus falſo interdum inuſta, & de præſcribenda veſte oblonga nigrique coloris Clericis, qui ſunt in ſacris conſtituti, aut beneficium poſſident eccleſiaſticum. Vindicatur 60) a ſeveritatis nota ſynodalis conſtitutio, qua Clericis interdicitur uſu comæ ſuppoſititiæ, geſtaminis capitum, quod *Parruca* appellatur. Afferuntur 61) aliæ ejusdem cenſuræ, ſynodalibus conſtitutionibus immerito inuſtæ, earumque exempla, ſimulque agitur de ludis & venationibus, choreis ſpectaculisque, quibus eſt Clericis interdictum. Oſtenditur 62), conſtitutionem inſimulari immerito ſeveritatis nimiæ, qua præſcribitur ſacerdotibus aſſidua lectio antiquorum canonum pœnitentialium. Exemplis 63) docetur, quænam ſit ſeveritas in ſynodalibus conſtitutionibus evitanda. Diſſeritur nominatim de conſtitutione, qua prohibetur uſus tabaci ante euchariſticam communionem. Expenditur alia conſtitutio, qua interdicitur Clericis, ne fa-

vore & patrocinio virorum & hominum *ſecularium* eccleſiaſtica aſſequi ſtudeant beneficia. Indicatur 64), non poſſe a nimia ſeveritate excuſari ſynodalem conſtitutionem, ſeculares ad Miſſam Deique verbum audiendum in templo parochiali adigentem omnibus dominicis, aliisque feſtis diebus. Docetur 65), firmitatem deeſſe ſynodalibus conſtitutionibus, juri communi & Apoſtolicæ cuique ſanctioni adverſantibus. Indice Capite 66), ad tuendam ſynodalem conſtitutionem, juri communi contrariam, fruſtra adducitur ſtudium ſervandi eccleſiaſticam diſciplinam. Examinantur ſigillatim conſtitutiones, quæ Clericos poſſeſſione omnium jurium clericalium deturbant, eo quod ipſi conditiones, a Concilio Tridentino præſcriptas, haud implevere. Definitur 67), an & quando liceat Clerico iterum induere Clericales veſtes, quas antea dimiſerit; an liceat Epiſcopo ordines minores, una cum Subdiaconatu, uni eidemque perſonæ eadem die conferre; an *irregularitate* afficiatur, qui, nulla impetrata abſolutione a cenſura, qua eſt irretitus, adſpirare aggreditur ad altioris dignitatis gradum. Significatur 68), in Synodo aliquid contra jus commune poſſe conſtitui, non obtentu quidem removendi varios abuſus a rebus ſacris, ideoque viribus caruiſſe quasdam ſynodales conſtitutiones, attinentes ad ſponſalia & matrimonia clandeſtina, etſi juſtæ fuerint viſæ, immo ſanctæ, & gravibus eliminandis abuſibus quodammodo neceſſariæ & accommodatæ. Multis docetur 69) exemplis, firmitate ſynodales conſtitutiones, quibus aliquid fuit præter jus commune decretum, non caruiſſe. Aliæ 70) proferuntur ſynodales conſtitutiones, quæ non vacillarint eo, quod ſtatuerint aliquid præter jus commune. Nonnullæ 71) recenſentur momentorum circumſtantium rationes, de quibus dubitari poſſit, an permittatur Epiſcopo facultas aliquid conſtituendi contra jus commune, aut contra Apoſtolicas ſanctiones. Agitur præcipue de Epiſcopi facultate ſuſpendendi Clericum ab Ordinis exercitio ob occultum crimen, foro externo non probatum, nec evictum; nec non de alienatione rerum eccleſiaſticarum, ob nonnullam rationem permittenda citra Apoſtolicæ ſedis aſſen-

aſſenſum. Diſſeritur 72) de dubitatione aliquando exorta ſuper eo, an & quomodo liceat Epiſcopo, in ſua præſertim Synodo, præfinire modum & menſuram redituum patrimonii, aut beneficii, ad cujus titulum quis poſſit ſacris ordinibus admoveri, ſeu ad eos promoveri. Copioſa profecto materies *Libro ſeptimo* fuit pertractata. At conciſiora ſunt *Libri octavi* argumenta. In hoc enim *quinque Capitibus* diſſeritur de verbo *Placet*, quo ſynodales conſtitutiones ſolent paſſim ab adſtantibus approbari, de Synodi ſubſcriptione, de ſynodalium decretorum reviſione & approbatione, de ſynodalium decretorum promulgatione, & ea, quam diœceſi inducunt, obligatione, nec non de modis, quibus ceſſare poſſit obligatio, a ſynodali Statuto inducta. Hæc ſunt univerſi Operis argumenta, & hæc ejus eſt ſumma.

Liceat nunc inde delibare, quod rarioris eſt generis, ac eruditione, quam ubique Pontifex Maximus diffudit liberaliſſima manu, ſeſe inprimis commendat. *Concilia & conciliabula* Seculo IV & V dicta fuerunt Chriſtianorum templa. *Concilia* Pag. 2.
Martyrum dicebantur loca eccleſiæque, ſuper Martyrum ſepulcra conditæ. *Synodi regiæ* conſtabant non ex Epiſcopis ſolum, ſed etiam ex optimatibus Comitibusque regni, ut omnium ſuffragiis leges conderentur & eccleſiaſticæ & politicæ. Conſtantinopoli & in Galliis eæ fuerunt frequentes. Concilia nonnulla ex provincialibus & diœceſanis fuerunt mixta. *Matthiæ Ugonii*, Epiſcopi Fainauguſtani, Tractatus *de Conciliis* in paucis Bibliothecis reperitur. Ex eo Autor 4.
Maximus pauca decerpſit, monens, a primis Chriſtianis Synodum diœceſanam fuiſſe appellatam *Presbyterium*. *Hadrianus II* hanc vocavit *Concilium civile*. *Wilhelmus Lindewode* appellavit *congregationem ſenum & Presbyterorum*. Autori Summo viſum, Synodum Apoſtolicam, *Act. XV* memoratam, fuiſſe non Synodum diœceſanam, ſed ejus ſaltem imaginem. Vera 6.
& propria Synodus diœceſana, ac fortaſſe omnium prima diœceſana, quæ legitur, eſt, quam deſcripſit *Siricius Ep. 2 not. 3* in *Collect. Harduini Tom. I col. 852*. Diœceſanarum 8.
Synodorum utilitatem prædicavit *Attó II*, Epiſcopus Vercellenſis,

Digitized by Google

lenſis, Seculo X, *Tom. VIII Spicilegii Lucæ Dacherii pag. 12*, & Concilium Tridentinum *Seſſ. 24 de Reform. Cap. 2*, nec non
Pag. 12. *Alexander VII.* Aſſeſſores Synodorum diœceſanarum olim uſi ſunt formula, *ſancta Synodus præcipit, ſtatuit*, quæ nunc tribuitur Conciliis generalibus, monente *Paulo V* in literis ad *Ferdinandum de Loaſes*, Archiepiſcopum Valentinum, A. 1565 datis. Synodi diœceſanæ decreta Romam ſunt transmittenda, & per ſacram Congregationem Concilii ſedulo examinentur. Tunc Congregatio tollendam decrevit vocem *Sancta*, licet *Dionyſius Paulus Lopis*, Presbyter *Valentinus*, & Doctor Academiæ Bononienſis, omnem moverit lapidem, ut oſtenderet, titulum *ſanctæ Synodi* non ſolis Conciliis univerſalibus, ſed ceteris etiam Synodis, competere poſſe. Diſputatum fuit, an ſcita Synodorum provincialium ac diœceſanarum, ſeu conſtitu-
13. tiones, jure dici poſſint *canones*. Fuit ita uſu receptum, ut *canones* denotent conſtitutiones Conciliorum generalium. Papa olim dictus fuit quilibet Epiſcopus. *Seculo VI* jam *Ennodius* & *Caſſiodorus* id nominis impertierunt ſoli Romano, Seculo XI id *Gregorius VII*, id ſibi & ſuis ſucceſſoribus proprium eſſe, conſtituit A. 1077 Synodo Romana, adverſus Schiſmaticos coacta. *Carolus Paſchalis* conjectavit, eam or-
16. tam eſſe appellationem ex P. P. id eſt, *Patre Patriæ*. An Epiſcopi poteſtatem juriſdictionis *immediate* a Chriſto, an a Romano Epiſcopo, habeant, diſputatum fuit inter Patres Concilii Tridentini. Validis fulcitur argumentis ſententia prior. Autor tamen Maximus, poſteriorem, putat, veritati
17. conformiorem eſſe. Quæſtio itidem exorta eſt, an Congregatio Synodi ſit ad legem juriſdictionis, an potius ad legem diœceſanam, referenda. *Huguccio*, Autor Gloſſæ communis, Decreto *Gratiani* appoſitæ, eam excogitavit diſtinctionem Seculo XII, & ea, quorum reſpectu Monachi ſunt Epiſcopis ſubtracti, adſcripſit legi diœceſanæ, reliqua autem, in quibus Monachi adhuc manebant ſubjecti juri Epiſcopali, retulit ad legem juriſdictionis. Id colligitur ex Gloſſa ad *Can. I, 10, Quæſt. 1.* Diſtinctioni huic adhæſit *Honorius III.* Ipſa vero fructuoſa haud eſt in doctrina de Synodo diœceſana. Nam Mo-

Digitized by Google

Monachi ratione talis Synodi partim ei ſunt ſubjecti, partim
ab illa eximuntur. Loco diœceſeos ſuæ, non exemto huic,
ordinariæque juriſdictionis, Epiſcopum decet convocare Sy-
nodum pro arbitratu. Erat olim Presbyterorum & Diacono-
rum, immo Abbatum, quotannis ad eam convenire. Si
Epiſcopus ex loco ſuo fuerit expulſus vel ab hoſtibus, vel a
peſte, vel alia juſta cauſa, extra ſuam diœceſin ei licet eum
habere conventum, ſi de loco conſenſerit Epiſcopus, in cujus Pag. 19.
diœceſi locus Synodo eſt deſtinatus. Satius eſt, ut Epiſco-
pus Synodum cogat in urbe, quæ baſilicam ejus habet. Si
duæ baſilicæ ſint junctæ ſub uno Epiſcopo, Epiſcopo inte-
grum eſt, alterutrum deligere locum pro arbitratu, niſi ob-
ſtent pacta & leges. Suadet Autor, ſi momenta ſint paria ba-
ſilicæ ejusmodi utriusque, ut alternis vicibus agat Epiſcopus
Synodum in alterutro loco. In templo ipſo ea ut peraga-
tur, ſuadent doctorum nonnulli. Ita olim factum eſſe, do- 21.
cet *Mendoza* ad *Concil. Illiberitan. Cap. 9 Tom. I Collectionis*
Conc. Labbei Col. 1043. Romæ ad XI usque Seculum celebra-
ta ſunt Concilia in templo S. *Petri*. Olim bis quotannis Con-
cilia provincialia fuerunt celebranda, teſtibus *Can. Apoſtol.*
Can. 38 & Synodo *Nicæna Can. 5.* Provincialia pepererunt 23.
diœceſana; nam edita in illis decreta a ſingulis Epiſcopis in
ſua diœceſi ſunt promulgata, docente Concilio Toletano XVI
ad A. 693 *Cap. 7.* Ideo Synodi quoque quotannis duæ diœ-
ceſanæ fuerunt coactæ, plerumque certo tempore. Synodo
VII ſtatutum, ut ſemel in anno Concilia provincialia fierent,
idque confirmavit *Innocentius III* in Concilio Lateranenſi. In-
de plerisque Epiſcopis viſum fuit, Synodum diœceſanam
unam ſufficere anno uni, licet *Innocentius* non vetuerit, ne
ſæpius coiretur. Poſtea Synodorum harum celebratio fuit
intermiſſa, & diſciplina relaxata. Idcirco plerique Epiſcopi
Tridentinos Patres urſere precibus, ut morem veterem in-
ſtaurarent. Indulſit precibus Concilium, jubens, ut a ſingu-
lis Metropolitanis ſingulis trienniis Synodus provincialis, & a
ſingulis Epiſcopis ſemel quotannis Synodus diœceſana, cele-
bretur, *Seſſ. 24 Cap. 2 de Reform.* Hæc poteſt per Vicarium 25.

generalem expediri. Nihilo minus aliquot Juriſperiti ſtatuerunt, ſufficere id ſcopo & juri, ſi diœceſanam ſingulis trienniis celebrent Epiſcopi. Hæc ſententia minus placet Pontifici Maximo, qui coarguit torporem Epiſcoporum, & ſignifi-
Pag. 27. cat, eccleſiaſticam diſciplinam in dies conſeneſcere. Suffragatur idem verbis *Theodori Studitæ*, ad *Leonem III* perſcriptis *Epiſt. 34 Lib. I*, qui Romanum Pontificem vocavit *omnium capitum caput, atque univerſæ, quæ ſub cœlo eſt, Chriſti eccleſiæ principem, moderatorem, & paſtorem.* Fatetur, *Petrum* Apoſtolum nullius eccleſiæ particularis regimen ſuſcepiſſe primis aliquot annis a Chriſti in cœlos adſcenſione, addens, eum ſuam ſedem Romanam per annos quinque & viginti firmiter retinuiſſe. Repudiat illorum paucorum opinionem, qui putant, Epiſcopatum Romanum eſſe Pontificatui maximo de jure humano junctum, & ab hoc ſeparari poſſe, laudans ſententiam *Melchioris Cani* & *Gregorii de Valentia*, ſecus ſentientium. Dicitur Romanus Pontifex ſimul eſſe Patriarcha Occidentis, Primas Italiæ, Archiepiſcopus & Metropolitanus Romanæ provinciæ, atque Epiſcopus urbis Romæ, immo præterea totius Eccleſiæ præſes, docente *Leone Allatio de perpetua conſenſione Eccleſiæ occidentalis atque orientalis I, 8.* Poteſt itaque idem Synodum diœceſanam jure ſuo celebrare, qua Epi-
29. ſcopus diœceſeos. Deſcendit Autor Maximus ad eam tractationem, quæ in definiendis *ſuburbicariis regionibus* diœceſis urbis Romæ verſatur. *Jac. Gothofredus* A. 1618 contendit, diœceſin Papæ ut Metropolitæ & Epiſcopi, quam utramque dignitatem *Gothofredus* in unam minus recte junxit, non extendi ultra centeſimum ab Urbe lapidem. Acceſſit huic opinioni *Claudius Salmaſius.* Argumentum idem ex eo tempore ex-
30. cuſſerunt *Hieronymus Alcander*, junior, *Marcus Antonius Capellus, Jacobus Gutherus, Joannes Dartis, Joannes Morinus, Petrus de Marca, Henricus Valeſius, Chriſtianus Lupus, Leo Allatius, Schelſtratenius, Ant. Pagius ad A. 325*, Cardinalis *Perronius. Gothofredo* & *Salmaſio* ſe oppoſuit *Jacobus Sirmondus* in *Cenſura conjecturæ Anonymi Scriptoris de ſuburbicariis regionibus & eccleſiis*, & *Adventoria cauſidico Divionen-*

ſi

Digitized by Google

ſi adverſus amici ad amicum Epiſtolam Epiſtola, de ſuburbicariis regionibus & eccleſiis, cum cenſura vindiciarum conjecturæ alterius Anonymi, nec non in libello, quem inſcripſit *Propempticum*. *Sirmondus* contendit, ſuburbicarias regiones & eccleſias ſic dictas eſſe, quod urbico magiſtratui, ſeu Urbis Vicario, non Præfecto, ſubfuerint. Cardo rei vertitur in ſenſu Canonis VI *Nicæni*, & potiſſimum in explicatione *Rufini* ad eum. *Emmanuel a Schelſtrate*, *Ant Pagius*, & *Carolus a S. Paulo*, putant, nomine ſuburbicariarum eccleſiarum, quarum ſpecialem ſollicitudinem habet Romanus Pontifex, non ſolum deſignari provinciam Romanam, ſed omnes comprehendi Occidentis regiones, quæ Romano Pontifici qua Patriarchæ pareant, ſiquidem in Synodo *Nicæna* ibi non de metropolitico, ſed de patriarchico, jure ſit ſermo. *Joannes Launojus*, Canonem de metropolitico jure eſſe ſcriptum, cenſet. *Henricus Valeſius* cum Differt. ſingulari, ad calcem *Socratis* & *Sozomeni*, refellere ingreſſus eſt. Rem denuo ſub incudem vocavit *L. E. du Pin* in *Diſſert. hiſtoricis de antiqua Eccleſiæ diſciplina Diſſ. I §. 14 pag. 83*, verens, ne acris iſta diſputatio de ſenſu illius Canonis VI mera ſit logomachia. Ipſe provincias per ſuburbicarias extendit eccleſias, id eſt, per regiones Romæ adjacentes, quæ opponantur Africæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, teſte una lege Codicis *Theodoſiani Lib. VIII Tit. 5 l. 34*, ac urbis Romæ Vicario ſubfuerint, ne Sicilia quidem excepta. Metropolitana regio, eaque Romæ circumfuſa, ſenſim arctioribus limitibus fuit incluſa, ex quo Aquilejenſis, Ravennenſis, *Mediolanenſis*, & Piſana, eccleſia ad metropoliticam dignitatem fuit evecta, immo poſtmodum Florentina, Senenſis, Urbinatenſis, Firmana, Bononienſis. Epiſcoporum, qui nulli Archiepiſcopo ſubſunt, eſt, aliquem vicinum Metropolitanum ſemel eligere, cujus Synodo provinciali cum aliis intereſſe debeant, judice Conc. Trid. *Seſſ. 24 Cap. 2 de Reform.* Congregatio, ejusdem Concilii interpres, A. 1585 declaravit, id haud pertinere ad Epiſcopos provinciæ Romanæ, quippe citra interventum ſubjectos Papæ. Idem fuit repetitum A. 1725. Quæritur, an Epiſcopus Romanus unquam Synodum nude **Pag. 32.**

pro-

provincialem celebraverit, ſi expendantur Concilia Romana 109, præter Lateranenſia Concilia quinque. Videtur provinciale fuiſſe illud *Bonifacii IV* ad annum 610, & *Gregorii II* ad 721. Certe provinciale fuit illud *Benedicti XIII*, in baſilica Lateranenſi A. 1725 habitum, licet adfuerint Cardinales
Pag. 34. veluti *Capitulum Papæ*. An Epiſcopus Romanus olim Synodum diœceſanam celebraverit, non ſatis expeditum eſt. Id certum, poſtremis hiſce temporibus eam coram ſe haud coegiſſe. Quæſtio poteſt agitari, an ea opera defunctus fuerit Cardinalis, Urbis Vicarius, isque ad eccleſiaſtica negotia modo delegatus, & in Urbe Ordinarius, Epiſcopi Romani, non Papæ, perſonam repræſentans, plenaque jurisdictione epiſco-
36. pali indutus. Hæc protenditur usque ad quadrageſimum ab Urbe lapidem, nec tamen complectitur loca ejusdem circuitus, alii Epiſcopo ſubjecta, puta Tuſculano, vel Nepeſino. Inveniuntur duæ Synodi diœceſanæ, a Vicariis ejusmodi habitæ, ad A. 1384 & 1461. Archiepiſcopus, qua Epiſcopus civitatis ſuæ, Synodos diœceſanas celebrare poteſt. Sunt Archiepiſcopi, ſuffraganeis carentes, e. g. Roſſanenſis, Lancianenſis,
38. Lucenſis, & Ferrarienſis. Si hi Synodos cogunt, eæ ex ſententia nonnullorum dicendæ ſunt Synodi provinciales. Affirmando id confirmavit Congregatio Concilii A. 1693. Quæſtione vero iterum inſtaurata, *Benedictus XIII* in Concilio Romano A. 1725 ſecus pronuntiavit, ac Synodos ejusmodi vocandas eſſe diœceſanas juſſit. Archiepiſcopi aliquot decorati fuerunt titulo Patriarchæ, licet idcirco jura patriarchalia haud ſint aſſecuti. Illuſtratur id ipſum uno & altero exemplo. Decerpſimus hæc ex *Libro primo* & *ſecundo*.

69. Addimus hiſce nonnihil, quantum rationes inſtituti noſtri patiuntur, ex libris reliquis. Ii, qui vocantur *Prælati regulares & ſeculares*, olim intereſſe coacti ſunt Synodo diœceſanæ. Diſtincte id præcipitur Concilio Aurelianenſi I ad annum 511. Epiſcopus Andegavenſis, *Guilelmus Major*, *pag. 1298* & *1300* juſſit Abbates, Archidiaconos, Archipresbyteros, & Decanos, intereſſe Synodo Epiſcopali. Synodo Epiſcopali quotannis Abbates ceterique Prælati regulares plerumque

que plena gaudent exemtione ab Epiſcopi jurisdictione. Quid vero ſtatuendum de ſecularibus? Exemti ſunt ſoli ab obligatione, ad Synodos diœceſanas accedendi, qui Capitulis generalibus ſubditi ſunt, judice Concil. Trid. *Seſſ. 24 Cap. 2 de reform.* Eſt ipſorum, Epiſcopali Synodo intereſſe, quemadmodum ſtatuitur in *Cap. Quod ſuper his, de majorit. & obed.* Excipienda eſt tamen eccleſia collegiata S. *Agathæ* intra urbem Cremonam. Ipſa enim, cum olim eſſet Regularium, a ſummis Pontificibus, *Calixto II* & *Eugenio III*. ampliſſima obtinuit privilegia exemtionis a jurisdictione Ordinarii, & ab obligatione accedendi ad Synodum. Præpoſitura hujus eccleſiæ autoritate *Pii II* poſtea fuit a ſtatu regulari & electivo commutata in dignitatem ſecularem & collativam, ejusque Præbendæ canonicales Clericis ſecularibus addictæ ſunt, reſervatis tamen tam eccleſiæ, quam Præpoſito & Canonicis, omnibus & ſingulis privilegiis, quibus antea fruebantur Regulares. Alii Abbates ſeculares conſimilia privilegia jactarunt. At, quia in eis haud fuit lectum, ipſos ab obligatione accedendi ad Synodos Epiſcopales eſſe liberos, cauſa ipſi, quam moverunt, cecidere. Abbatum regularium plerumque alia eſt ratio. Olim uni primario monaſterio ſuberant plura inferiora, perinde ac membra capiti ſuo. Nonnunquam plene fuit illud Epiſcopali ab jurisdictione exemtum, hæc minus. Hæc igitur debebant Synodo diœceſanæ præſto eſſe. Ita pronuntiavit *Innocentius III* in *Cap. Ex ore, de Privilegiis.* Licet vero Abbates una cum monaſteriis, quæ regunt, ſint omnino liberi & exemti ab Epiſcopi jurisdictione; non ideo tamen ſtatim liberi pronuntiantur ab obligatione accedendi ad Synodum Epiſcopalem. Si monaſteria cum aliis ſui ordinis manaſteriis coaleſcunt in unum corpus, cujus ſingula membra ſubdita ſunt Capitulo generali ejusdem ordinis, tunc exemtio ab Epiſcopi jurisdictione involvit exemtionem accedendi ad Synodum Epiſcopalem. Sin aliqua monaſteria nullum ſuperiorem generalem agnoſcunt, cujus Capitulo ſubjiciantur, ipſa debent eo accedere invitata. Secus vero pronuntiandum eſt de Regularibus, qui curam gerunt

Pag. 71.

 anima-

animarum. Hos enim omnes ex univerſo ad Synodum Epi-
ſcopalem accedere debere, dubium non eſt. Congregatio
Concilii ita edixit congruenter Tridentino A. 1604, 19 Nov.
Pag. 73. A. 1661, 1 Oct. At quid, ſi Prælatus regularis, alioquin exemtus,
curam animarum gerit? Accedere ad Synodum Epiſcopalem
debet, qua *Curatus*. Quid vero faciendum eſt Vicario ſecu-
lari Abbatis, in perpetuum deputato? Eſt ejus, Synodo illi
intereſſe. Regulares aliquando, privilegium ſibi eſſe excu-
ſandi ſeſe, & emanendi a Synodo, crediderunt. Ciſtercien-
ſes A. 1270 inter Statuta in Capitulo generali *Cap. XII* vetue-
runt Abbates Lemovienſes, ne accederent ad Synodos
Epiſcopales. Fratribus Prædicatoribus & Minoribus fuit ejus-
modi privilegium conceſſum a *Gregorio IX* in *Cap. Nimis*
prava, de exceſſ. Prælat. Ferunt, Monachos quoque Caſſi-
nenſes & quosdam alios Regulares, ipſos, quibus animarum
cura eſt demandata, idem obtinuiſſe privilegium ab *Eugenio*
IV. At ejusmodi privilegia, ante Tridentinum impetrata,
ſunt per hoc revocata. Si quod vero poſt Synodum Triden-
75. tinam fuit obtentum, id pro rato habetur. Conſuetudini, an-
te eam corroboratæ, nullus eſt locus; at illa valet, quæ poſt
eam invaluit. De Abbatibus, territorio ſuo gaudentibus, in
quo jura exercent quaſi epiſcopalia, non eſt pronuntiandum,
ipſos accedendo ad Synodos epiſcopales eſſe adſtrictos, inpri-
mis ſi ipſi gaudent facultate celebrandi Synodos ſuas. Qui
hac facultate carent, eligere ſibi debent aliquem Metropoli-
tanum, ad cujus provinciale Concilium eos ſemper deinceps
accedere oportet, ſi ſint Epiſcopi, nulli Archiepiſcopo ſubje-
cti. Sic docuit Concilium Tridentinum. At quid de Abba-
tibus conſimilibus eſt cenſendum? Onus accedendi ad Syno-
dum epiſcopalem eis tribuit Congregatio peculiaris, Romæ
76. A. 1725 8 Maji, habita. Secus pronuntiat *Benedictus XIV*.
Dignitates, perſonatus, & officia, non excuſant ab acceſſu ad
Synodum Epiſcopalem, niſi poſt Concilium Tridentinum fue-
80. rit impetratum eo fine privilegium. *Perſonatus* vacat juris-
dictione in foro externo, qua prædita eſt *dignitas*. *Vica-
rius generalis* Epiſcopi ea exercet, quæ ſunt jurisdictionis vo-
lun-

luntariæ; *Officialis* vero ea, quæ ſunt juriſdictionis contentioſæ. Apud Italos Vicarius generalis exercet utramque. Vicarius, abſente Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, in Synodo locum, cujus vices ſuſtinet, occupat. Epiſcopo præſente, ipſi locus eſt de jure communi nullus. Sic *Sixtus V* decrevit. *Gregorius XIV* moderationem attulit decreto, & Vicario, præſente Epiſcopo, aſſignavit locum Epiſcopo proximum ante Capitulum cathedrale, ſi illius præſentia in Synodis diœceſanis ad controverſias & lites dirimendas, querelasque cognoſcendas, & decreta ſtatuenda, eſt neceſſaria. Videntur illi Vicarii eſſe originis antiquiſſimæ, ad Chorepiſcopos referendæ. *Rhabanus* in *Opuſc. de Chorepiſcopis*, *Beveregius*, *Binghamus*, aliique, *Caveus*, *Blondellus*, *Tournely*, exiſtimant, Chorepiſcopos fuiſſe ordinatione & charactere Epiſcopos. Fuiſſe eos tantummodo Presbyteros, contendunt *Turrianus*, *Eſtius*, *Anton. Auguſtinus*, *Morinus*, *Thomaſſinus*, *Natalis Alexander*, licet dandum ſit, fuiſſe Chorepiſcopos nonnunquam factos, qui antea fuerant Epiſcopi, at a ſede ſua ob perſecutionum æſtus dejecti, aut ejusdem adminiſtratione in alicujus criminis pœnam privati. Hoc enim intelligitur ex *Conc. Nicæn. Cap. 8*, & *Socrate l. 9*. *Ferrandus* Diaconus *Breviar. Cap. 79* vocavit Chorepiſcopos *Vicarios Epiſcoporum*. Chorepiſcopi autem ſupprimi cœperunt Seculo VIII & IX, & medio Seculo X fuerunt exſtincti ob inſolentiam, in Epiſcopos tentatam. Aſſumti ſunt loco eorum Archipresbyteri, Archidiaconi, & Decani rurales. Unde *Sigibertus Gemblacenſis* in *Chron.* ad A. 1048 Archidiaconos cum Chorepiſcopis confudit. Vicarios ejusmodi ante *Carolum Borromæum* ignoravit Italia, qui eos primus invexit. Si ipſi ſunt parochi, ii interſint Synodo Epiſcopali oportet. Electio ad Epiſcopatus in ſola Germania locum ſibi vindicat. Reliqui Epiſcopatus conferuntur a Papa in Conſiſtorio aut omnino libere, aut antegreſſa nominatione, a Regibus & Principibus profecta, quibus jus eſt denominandi idoneos viros. Collatio Papæ vim habet ſimul & electionis & confirmationis, teſte *Innocentio*. Electi in Epiſcopos intra tres menſes

Pag. 84.

40

 debent

debent ſuſcipere conſecrationem. *Conc. Trid. Seſſ. 23 Cap. 2 de reform.* Niſi ipſe obtinuerit Epiſcopus recens literas Apoſtolicas, quibus, ſe legitima autoritate præpoſitum eſſe eccleſiæ regendæ, comprobaverit, non poteſt Synodum diœceſanam cogere, niſi obtinuerit Breve Apoſtolicum de poſſeſſione capienda nomine Cameræ Apoſtolicæ cum clauſula, ut intra definitos menſes & Bullæ expediantur, & conſecrationis munus ſuſcipiatur. Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ab Archiepiſcopis haud pendentium, eſt præterea, antea pallium
Pag. 44. ſuſcipere. Epiſcopus ſæpe ſolus eum honorem fuit nactus, e. g. *Hercurbertus Mindenſis*, Epiſcopus Halberſtadenſis, teſte *Chronico Halberſtad. pag. 126 Tom. II Leibn.*, Quinqueeccleſienſis, de quo in *Cap. Cum in juventute, de præſumt.*, Lucenſis ante conditum Lucis Archiepiſcopatum, *Aretinus*, Maſſilienſis. Epiſcopis hiſce acceſſit ex conceſſo pallii geſtamine prærogativa ſedendi ſupra reliquos provinciæ ſuæ Epiſcopos ſtatim poſt Metropolitanum, teſte *S. Gregorii Epiſt. 108*
46. *Lib. IX col. 1013.* Jus prægeſtandi crucem eſt Archiepiſcopis proprium. Nonnullis tamen Epiſcopis ex Papali benignitate permiſſum eſt, ut inſtar Archiepiſcoporum totam ſuam diœceſin, cruce ſibi prælata, perluſtrare, & loca etiam exemta, intra diœceſis ambitum ſita, ingredi, eis liceat. Epiſcopo Lucenſi ea poteſtas facta a *Lucio III*, *Cæleſtino III*, *Innocentio III*.
48. Epiſcopo Papienſi idem jus indultum. *Benedictus XIV* id privilegii permiſit Epiſcopo Aichſtatenſi in ſua civitate & diœceſi, ſi Archiepiſcopus abſit, aut præſens conſenſerit. Epiſcopo, qui ſolet pallio inſtrui, licet Synodum diœceſanam, antequam id recepit, celebrare, dummodo electus, confirmatus, & literis Apoſtolicis præmunitus ſit. At Archiepiſcopus ante pallii receptionem non poteſt exercere Pontificalia. Plura huc referenda attulit *Marcus Paulus Leo de autoritate & uſu pallii.* *Benedictus XIV* ſignificat, *Joannem Georgium Pertſchium aut deceptum, aut certe alios decipere voluiſſe, cum Parte I Elementor. Juris Canonici Lib. I Tit. 27 ſcripſit, a Pontificiis titulares Epiſcopos per jocum appellari portatiles, conductitios, adventitios, fictitios, commentitios, ſiquidem probi*

bi Catholici eos ſummopere venerentur, cum propter Epiſcopalem, quem habeant impreſſum, characterem, tum propter cauſas, quarum ratione ad eximiam illam dignitatem, qua nulla ſit præſtantior, a ſummo Pontifice promoveantur; tum denique eo, quod prævio examine ſuper vita, moribus, ceteriſque qualitatibus ac meritis perſonæ, proponantur a Papa in Conſiſtorio, eo plane modo, qui ſervatur cum aliis Epiſcopis non titularibus, quibus Eccleſiarum cura & rectio re ipſa committitur. Archiepiſcopus Nazarenus eſt partim titularis, partim eccleſiarum rector. Intra oppidum enim Apuliæ, Barulum, regit eccleſiam S. *Bartholomæi*, eique ſubſunt duæ cathedrales, Cannarum ſcilicet & Montis Viridis. Epiſcopus Bethlehemiticus, circa A. 1190 expulſus, ſectatus fuit *Guidonem*, Comitem Nivernenſem, in Gallias redeuntem, qui ipſi in Ducatu ſuo Nivernenſi nonnullas attribuit terras. Epiſcopus hic ex eo tempore jurisdictionem tantum exercet in templum & eccleſiam B. *Mariæ in Bethlehem* dictam prope Clameciacum intra Ducales terras Nivernenſes diœceſis Autiſſiodorenſis. Nonnullas Siciliæ diœceſes incolunt Græci ritus Chriſtiani, Epiſcopis Latinis ſubjecti, in quorum diœceſi degunt. Quæritur itaque, an Epiſcopi Latini cogere valeant ſpecialem Synodum ex ſolis Presbyteris, Clericiſque Græci ritus. Ait Summus Pontifex, nil, quo minus id fieri poſſit, impedire. A Vicario generali Epiſcopi non provocatur ad tribunal Epiſcopi ſacrum, ſiquidem unum idemque eſt tribunal, ſed ad Metropolitanum, cui Epiſcopus ſubeſt. Sunt tamen plurima, quæ Vicarius peragere non valet ſine ſpeciali Epiſcopi mandato, e. g. ea, quæ ad poteſtatem ordinis ſpectant, puta, chriſma conficere, Sacramentum confirmationis conferre, eccleſias & altaria conſecrare, pollutis ſanctitatem reſtituere priſtinam, quia jurisdictionis modo vicariam ſuſtinet poteſtatem. Non licet ei concedere literas dimiſſorias ad ordines, niſi Epiſcopo in remotis regionibus verſante. Recenſentur ejusmodi alia, quæ interpretes Juris Canonici exponunt ad titulum *de Officio Vicarii*. Synodum diœceſanam celebrare ei licet, ſi mandato Epiſcopi ſpeciali ad id fuerit inſtructus. Vacante Epiſcopatu,

Pag. 50. 51. 52.

 tranſit

tranſit tota Epiſcopi jurisdictio ad Capitulum eccleſiæ cathe-
Pag. 54. dralis. Hoc intra octo dies ab obtenta ſedis epiſcopalis vacantis notitia conſtituere Vicarium, per quem jurisdictionem eccleſiaſticam ad ſe devolutam exerceat, neceſſe eſt. At quem? Pro varietate conditionum conſtitutio Vicarii variat. Caſus enumerat Autor Summus. Vicarius generalis poteſt ab Epiſcopo pro arbitrio & ſine ulla cauſa removeri; Vicarius vero capitularis, ſemel electus, non poteſt a Capitulo revocari, niſi cauſa approbata per ſacram Congregationem, negotiis Epi-
56. ſcoporum & regularium præpoſitam. Licet Vicario Capitulari Synodum celebrare diœceſanam ſine ſpeciali mandato, dummodo effluxerit annus a die ultimæ Synodi, habitæ ab Epiſcopo. Ita & valet eccleſiam viſitare, poſtremæ a viſitationis negotio anno jam elapſo. Id vero in quæſtionem deductum fuit, an Vicario Capitulari liceat indulgentias elargiri. Doctores in diverſa hic abeunt. Sacra Congregatio, A. 1688 interrogata, voluit, eum ab eis impertiendis abſtinere. Cum paſtoribus eccleſiarum dicitur Pontifex Romanus partem juris, in conferendis indulgentiis poſiti, communicare, quarum theſaurus illius creditur in Romana eccleſia peculiari adminiſtrationi conceſſus, in ſolo Romano Pontifice reſidens, & ex infinitis Chriſti Domini meritis Sanctorumque ſatisfactioni-
58. bus conflatus. Mos olim erat, ut Eccleſiæ, paſtore ſuo viduatæ, cura demandaretur vicina Epiſcopo. *Sixtus V* conſtituit, ut, urgente cauſa, ei præficiatur Vicarius Apoſtolicus, cui æque eſt poteſtas indicendi Synodum diœceſanam. Jus vero hoc non eſt ad Synodi provincialis celebrationem dilatandum, quippe quæ a Vicario vacantis eccleſiæ metropolitanæ abeſt. Prælati inferiores generis haud ſunt unius. Alii præſunt generi certo perſonarum, quæ ſunt intra ſepta alicujus monaſterii, ſeu eccleſiæ, cum *paſſiva* exemtione ab Epiſcopi jurisdictione. Alii gaudent jurisdictione in Clerum *activa*,
60. & populum certi loci, qui eſt intra Epiſcopi diœceſin. Hi late dicuntur eſſe *Nullius*. Alii, eadem poteſtate gaudentes, plane avulſi ſunt ab Epiſcopi diœceſi. Hi proprie dicuntur eſſe *Nullius*. Ad avertendas dubitationes jura harum trium

claſſium,

claſſium, quas deſcripſit, Conſtitutionem edidit *Benedictus XIV*, quæ eſt ſui *Bullarii 76 Tom. I.* Abbates, ne ſint in poſſeſſione, vel quaſi poſſeſſione, juris indicendi Synodum diœceſanam, ad illud jus haud admittuntur per *Conc. Trid. Seſſ. 24 Cap. 18 de reform.* Subcollectores ſpoliorum, ad Cameram Apoſtolicam pertinentium, a juriſdictione ordinarii ſunt exemti, exemtio tamen ea A. 1677 ab *Innocentio XI* certis limitibus eſt circumſcripta. Protonotarii Apoſtoli, non participantes, non ſunt annumerandi Officialibus Sedis Apoſtolicis, nec a Synodo diœceſana ſe excuſare queunt. Similis generis ſunt illi Subcollectores. Laici, licet Imperatores & Reges, in Conciliis de fidei dogmatibus rebusque eccleſiaſticis ſententias haud ferunt. Solis ſanctiſſimis Epiſcopis curam eam eſſe relictam, *Theodoſius II* ſignificavit Epiſtola, ad Synodum Epheſinam data. Eis, qui imperia exercent, relictum eſt munus decreta Concilii exequendi, licet in Concilio Chalcedonenſi præfecti Cæſaris vocentur *glorioſiſſimi judices*, ſeu Comites, & *Vigorius* affirmaverit, Concilium Tridentinum haud fuiſſe legitimum, eo quod ab eo, nondum finito, receſſerint legati Regis Galliarum. Synodis provincialibus non intervenire licet Laicis cujuscunque dignitatis, teſtante *Nicolao I* & octava Synodo, ſeu Conſtantinopolitana IV, licet *Dionyſius* Exconſularis, a *Conſtantino M.* delegatus, interfuerit Synodo Tyriæ A. 335; nam hunc morem *Athanaſius* damnavit *Apol. 2 Tom. I P. I Oper. pag. 13*.. & *Epiſt. ad ſolitarios pag. 365 Tom. I P. I.* Subſcripſerunt tamen Laici Synodis aliquot, e. g. Toletanæ VIII A. 635, ſiquidem Toletana IV A. 633 *Cap. 4* id fieri permiſit. *Viventiolus*, Epiſcopus Lugdunenſis, ad Synodum Epaonenſem A. 517 Laicos etiam invitavit. *Carolus M.* & *Ludovicus Pius* pluribus Synodis interfuerunt. Laicos admitti ad provinciales Synodos, autor eſt *Guillelmus Durandus*, Epiſcopus Mimatenſis, in Tr. *de modo generalis Concilii celebrandi Part. 2 Tit. 11.* Scripſit hunc librum juſſu *Clementis V.* Fas eſt itaque, eos invitare, ſi cauſa, vel conſuetudo, ſic ferat. At hæc fiunt non de jure. Nam *Pius IV* & *V* vetuerunt, ne quis ad Synodum Toletanam provincialem nomine Regis admit-

Pag. 98. 100. 102.

admitteretur. Et ſacra Congregatio Concilii noluit decreta
Synodi, Toleti A. 1582 celebratæ, approbare, niſi nomen le-
gati prius ex Concilii actis expungeretur. Acceſſit A. 1585 *Gre-
gorii XIII* expunctionis approbatio. Ad diœceſanas Syno-
dos olim filii eccleſiæ ſeculares invitati ſunt, teſte Synodo
Pag. 104. Tarraconenſi 516. At mos ille in deſuetudinem abiit, nec
Laici ad eam invitandi, niſi ita ſit conſuetudine receptum,
dummodo hi haud ferant ſuffragia. Conciliis univerſalibus
ac nationalibus interſunt Cardinales, primum locum tenen-
tes, Archiepiſcopi, Epiſcopi. In Lugdunenſi I ſub *Innocen-
tio IV* ad dextram ac in eminentioribus locis ſederunt Epiſco-
pi Cardinales, ex altera Presbyteri Cardinales, tum poſt eos
Archiepiſcopi & Epiſcopi. Primas Angliæ & Poloniæ Car-
dinalis, ille Archiepiſcopo Eboracenſi, hic Epiſcopo Craco-
106. vienſi, ea de prærogativa litem movit. At *Eugenius IV* A. 1439
& *Nicolaus V* A. 1449 Cardinalium principatum approbarunt.
Poſt Epiſcopum ante ceteros aſſidet Vicarius generalis, ſiqui-
dem ratione juriſdictionis, quam in omnes exercet diœceſa-
nos, omnibus dignitate antecellit. Ideo præcedit ipſos eccle-
ſiæ cathedralis Capitulares, licet *Jacobus Menochius* duo Con-
ſilia in contrarium ediderit. Abbas S. *Nicæ*, gaudens jure mi-
træ & baculi, ac juriſdictione intra ſuam eccleſiam, & in ſuos
Canonicos, litem movit Vicario generali Patavino. At cau-
ſa cecidit. Poſt Vicarium hunc ſedent Canonici cathedralis
eccleſiæ, ordine, quem in choro ſervant, retento. Tum lo-
cus eſt Abbatibus, ſenii jure utentibus, ab obtenta dignitate
numerandis, ſi Canonici, conſtituentes unum corpus, acce-
108. dunt. Si ſigillatim hi adſint, eis præcedunt Abbates, qui ju-
re gaudent mitræ & baculi, ac præterea Titulares & Com-
mendatarii, tam ſeculares, quam regulares. Ita præſcribitur
Cerimoniali Epiſcoporum I, 31. Quartum occupant locum
Eccleſiæ collegiatæ, quæ ſunt intra civitatem. Quintum te-
nent Canonici collegiatarum eccleſiarum, intra diœceſin ob-
viarum. Antiquitatis & dignitatis ratio hic habetur. Poſt
hos omnes parantur ſubſellia pro nactis ſimplicia beneficia,
pro ceteris e Clero, pro religioſis & monachis, poſtremo pro
Laicis,

Laicis, ſi forte ad Synodum admittantur. Inter æquales ratio habetur temporis, quo ſunt ordinati. De ornamentis, Pag. 110.
quibus ſinguli Synodo intereſſe debent induti, variæ exſtant Conſtitutiones. Autor Maximus ea deſcribit ex *Cerimoniali Epiſcoporum I, 31*, & *Gavanto*. Pallium extra eccleſiam & 112.
Miſſam geſtare non licet, ex decreto *Gregorii Magni* ad *Joannem*, Epiſcopum Ravennæ, *Ep. 56 Lib. III.* Solus Romanus Pontifex in Miſſarum ſolennitatibus pallio ſemper utitur & ubique, edicente *Innocentio III* in *Cap. Ad honorem, de autoritate & uſu Pallii.* At in Synodo diœceſana Miſſæ, quam Epiſcopus, vel Archiepiſcopus, celebrat, non viget uſus pallii, ſed habitus Pontificalis colore rubro. Officiales Sy- 121.
nodi recenſuerunt *Cerimoniale Epiſcoporum I, 3*, & *Gavantus* in *Praxi diœceſ. Synodi Cap. 18 ſeq.* & poſt eos Autor Maximus *Libro IV*. Si inſtitutum noſtrum ferret copioſiorem enarrationem, e reliquis *Capitibus* potiora porro delibaremus. At ſatis jam prata biberunt. Noſtrum eſt, Lectores, ſitum reſtincturos, ad Opus ipſum ablegare, peritia Juris Canonici, Hiſtoriæ eccleſiaſticæ copia, lectionis multijugæ ubertate, ac rebus, ad propoſitum pertinentibus, & ſcopo accommodatis, adeo affluens, ut nihil ſupra fingi poſſit, vel excogitari.

COMMENTARII DE RE DIPLOMATICA Imperatricum Auguſtarum, ac Reginarum Germaniæ, ex probis literarum monumentis ad temporum ſeriem adornati, a JO. HEUMANNO, Jur. in Academia Altorfina Profeſſ. Publ. Ord. Accedunt Appendices II, in quibus de Diplomatibus nonnullis cum Auguſtarum & Reginarum Italiæ, tum Imperatricum Conſtantinopolitanarum, diſſeritur.

Norimbergæ, ſumtibus Joannis Georgii Lochneri, 1749, 4.
Alph. 2 plag. 19, cum Tabb. æn. 2.

Cum hiſce temporibus omnes, quibus patriæ noſtræ ſalus curæ eſt, in decantandis *Maria Thereſia*, Imperatricis

 Augu-

Auguſtiſſimæ, laudibus occupati ſint, Ejusque, quam in bello feliciter geſto oſtendit, conſtantiam, &, quam in pace, Aquisgrani tandem concluſa, demonſtravit, animi magnitudinem, merito mirentur & prædicent; opportune profecto accidit, ut *Jo. Heumanni*, Viri in re diplomatica egregie verſati, liber, qui Auguſtarum, quæ olim vixerunt, gloriam, in tabulis publicis conſervatam, lectorum animis inſinuat, in manus noſtras perveniret. *Mariæ* enim *Thereſiæ* honori inprimis hunc laborem eſſe ſacrum voluiſſe Clariſſ. Autorem, nummus loquitur, in Ejus honorem cuſus, & in fronte Operis comparens, cujus adverſa pars effigiem Imperatricis ſiſtit, cum Epigraphe: *Maria Thereſia D. G. Romanorum Imperatrix Semper Auguſta, Mater Regnorum.* In averſa autem tropæum, cui aquila inſidet, viſitur, cum titulo: *Sola Domum Et Tantas Servabat Filia Sedes.* In baſi legitur: *Pax Aquenſis.* Ut igitur, qua ratione hoc in libro memoriam Auguſtarum, in antiquis Chartis conſervatam, in lucem protraxerit Clariſſ. Autor, appareat, notatu digniora, quæ nobis in lectione horum Commentariorum occurrerunt, more noſtro nunc exponemus. Nimirum generatim *primo Capite* de Auguſtarum Diplomatibus Autor diſputans, per *Auguſtam* ſe Imperatoris Romani conjugem intelligere, monet. In claſſem vero ejusmodi Diplomatum teſtamenta etiam, epiſtolas, & alia literarum monumenta, collocat. Quamvis autem vetuſti imperii Romani Auguſtarum tabulas neutiquam hic ſcrutetur, cum ad res Germanorum eædem non ſpectent; nihilo tamen ſecius, quia Auguſtarum jura nonnunquam ex Jure Juſtinianeo repetuntur, idcirco plurima, quæ in iſto legum Romanarum Codice de dignitate harum Principum præcipiunt, hic appoſuit Clariſſ. Autor. Tabulas interim Auguſtarum, de quibus ipſi ſermo eſt, quod ad formam externam, cum Diplomatibus Imperatorum maximam partem congruere, pro certo habet. Latina enim lingua eſſe has conſcriptas, & ſermonem patrium ante *Alberti I* tempora non fuiſſe adhibitum, obſervat. Sigilla rariſſime in illis tabulis deprehenduntur; nonnulla tamen eorum exempla, quæ quidem adhuc exſtant,

Pag. 3.

ſtant, & ab eruditis deſcripta ſunt, Clariſſ. Autor affert. De Pag. 4.
formulis, quibus uti ſolebant in conficiendis ejusmodi tabulis
Auguſtæ, elegantes addit Cl. Autor obſervationes. Tempo- 6.
re Carolingorum jamjam Imperatrices *Auguſtarum* encomio
inſigniri ſueviſſe, variis exemplis docet. Auguſtas a nemine, 7.
niſi a Pontifice Romano, *electas Imperatrices* vocari, cum is
ipſum Imperatorem *electum*, nunquam vero *coronatum*, dice-
re ſoleat, monet. Apud veteres Romanos nomen *Auguſtæ* 8.
non jure connubii, ſed peculiari Imperatoris, aut Senatus, fa-
vore, Principibus fœminis fuiſſe conceſſum, nos docet. Ho- 9.
die nomen *Imperatricis* in locum *Auguſtæ* ſubſtitui ſolere,
commemorat. Multa deinceps de forma tabularum, ab ejuſ-
modi Principibus fœminis evulgatarum, affert. Auguſtas in
partem adminiſtrationis imperii veniſſe, ideoque *coimperatri-*
ces nonnunquam vocari, obſervat. Hodie contra majeſtatis 13.
elogium, ipſis tributum, honoris duntaxat cauſa uſurpari, neu-
tiquam vero jus aliquod complecti, urget. Jam, de contentis 14.
Chartarum, de quibus ipſi ſermo eſt, diſputans, pactis connu-
bialibus primum tribuit locum, deque connubiis Imperato-
rum varias hac occaſione affert obſervationes. Donationes 15.
inter conjuges Auguſtas moribus Germanicis ſemper ratas
fuiſſe, easque argumentum plurimorum Diplomatum conſti-
tuere, monet. Donationibus vero piis, & teſtamentis, nullum 18.
harum tabularum frequentius eſſe argumentum, contendit.
De coronatione Imperatricum nonnulla diſputat, cerimo-
niam illam majeſtati Auguſtarum nihil addere, ex vero judi-
cans. Jus primariarum precum ab Imperatricibus hodie au- 19.
toritate propria exerceri, negat. Nunquam magis exſplen- 21.
duit Imperatricum poteſtas, quam cum ipſis tutela Regis & re-
gni eſſet demandata. Quamvis autem hodie Imperatoris
tutelam Vicariis imperii leges tribuant; interdum tamen
evenire, ut Imperatrices viduæ negotia publica tractent, ex-
emplo *Eleonoræ Thereſiæ, Leopoldi* viduæ, Cl. Autor docet.
Auguſtas nunquam nomen ſuum per monogramma expreſſiſ-
ſe, obſervat. In Chartis Imperatricum, intra curiam conſcri- 22.
ptis, teſtium ſubſcriptionem nunquam eſſe adhibitam, comme-

morat. Nonnullas Imperatrices annos imperii in tabulis
Pag. 24. ſuis indicare conſueviſſe, tandem obſervat. His præmiſſis,
præcipuas, quæ exſtant, Imperatricum tabulas Cl. Autor in
medium producit. *Secundo* enim *Capite* de Diplomatibus
Auguſtarum periodi *Carolingicæ* diſputat. *Tertium Caput*
Diplomata Auguſtarum periodi Saxonicæ exhibet. *Capite*
quarto Diplomata Auguſtarum periodi Francicæ ediſſeruntur,
Quintum Caput Diplomata Auguſtarum periodi Suevicæ,
ſextum periodi Auſtriaco-Luxenburgicæ, *ſeptimum* denique
periodi Auſtriacæ, complectitur. Variis obſervationibus
ex hiſtoria & arte critica petitis, Opus ſuum illu-
ſtrat Cl. Autor. Ita enim Pontificis *Stephani* facinus, qui
nuptias *Caroli M.*, cum Regis Longobardorum filia ini-
tas, pro irritis declaravit, deſcribit. *Hildegardem*, alteram *Ca-*
roli M. conjugem, Cœnobium Campidunenſe fundaſſe, vulgo,
quamvis, ex ſententia Cl. Autoris, falſo, creditur. Ex recepta
tamen illa ſententia factum eſſe, ut Abbas Campidunenſis Ar-
chimareſchallus Auguſtæ creari ſoleat, conjicit. Negandum
31. interea non eſt, multa, ad inſtitutum non pertinentia, Cl. Auto-
rem afferre, quando non ſolum Diplomata Cæſarum, in gra-
tiam conjugum data, in eundem cenſum refert, verum etiam
omnia, quæ de illuſtribus hiſce fœminis apud hiſtoriarum
iſtius temporis ſcriptores leguntur, operoſe adducit, id quod
unicuique legentium facile apparebit. Sed pergimus. *An-*
gilbergam Ludovici Germanici filiam fuiſſe, conſtanter affir-
57. mat, & aliter ſentientium dubia diſcutit. Ipſam illam *An-*
gilbergam imperii conſortem, & conſiliorum omnium par-
ticipem, fuiſſe, ex inſigni tabularum *Ludovici II* copia confir-
66. mat. Imo, ipſum Pontificem *Joannem VIII* fidem & inter-
67. ceſſionem ejus imploraſſe, comprobat. Eandem Principem,
marito, *Ludovico* nempe *ſecundo*, mortuo, procerum Italiæ
conventui, in quo de novo Imperatore eligendo agebatur,
interfuiſſe, deinceps vero in Cœnobium Placentinum S. *Sixti*
70. ſemet recepiſſe, commemorat. Monaſterium illud circa A.
877 fuiſſe fundatum, ex Diplomate iſtius Principis, quod in-
71. tegrum apponit, declarat. Diploma, quod *Richildis*, *Caroli*
Calvi

Digitized by Google

Calvi relicta vidua, in favorem Abbatiæ *Gorcienſis* dedit, Cl. Pag. 81.
Autor integrum apponit, eruditisque obſervationibus illuſtrat, de ejus tamen αὐθεντίᾳ varias ob cauſas judicium ferre non audet. Negotia regni ſumma cum ſolertia eandem tractaſſe 83.
Richildidem, Autor monet. *Hemmam*, *Ludovici Germanici* 86.
uxorem, monaſterium ſuperius Ratisbonæ ordinaſſe, conſtans fama eſt. Cl. Autor vero, *Hemmam* Cœnobium illud permutationis titulo acquiſiviſſe, ex Charta, quam e *Pezii Theſauro Anecdotorum* hauſit, & integram hic apponit, declarat, ideoque non ſatis conſtare, quemadmodum id fundaſſe illa dici poſſit, obſervat. Liberalitatem *Adelheididis*, quæ *Ottonis I* 87.
uxor fuit, erga monaſteria ex monumentis iſtius ævi mon- 113.
ſtrat, ejusque donationis inſtrumentum, quod in favorem monaſterii S. *Fructuoſi* in Comitatu Januenſi confecit, ex *Ughelli Italia ſacra* affert. *Adelheididem* illam imperii con- 113.
ſortem fuiſſe, inſignique gravitate muneri iſti præfuiſſe, ex tabulis *Ottonum*, aliisque monumentis, Cl. Autor declarat. *Ottonis II* pacta dotalia, quæ cum *Theophania* iniit, ex *Leuck-* 123.
feldi Antiquit. Paldenſ. integra apponit, earumque αὐθεν- 139.
τίαν adverſus nonnullorum objectiones egregie vindicat. Ex 141.
inſtrumento donationis, quod *Otto II* confecit, & ex Celeb. *Harenbergii Hiſtoria Gandersheimenſi* huc affertur integrum, 143.
diſcimus, *Coimperatricis* elogio mactatam eſſe *Theophaniam*. Alia, præter hoc, documenta, in quibus *Coimperatrix* & *imperii conſors* dicitur iſta Princeps, Cl. Autor affert plu- 144.
rima. Eandem *Theophaniam* Epiſcopos noviter creaſſe, fœdera itidem concluſiſſe, aliis etiam conditiones pacis præſcripſiſſe, literæ, ad illam datæ, quas Cl. Autor affert, loquuntur. *Cunigundam*, *Henrici II* conjugem, ſtante matrimonio, virgi- 149.
nitatem coluiſſe, uti quidem vulgo creditur, Cl. Autor dubitat, cum in quibusdam Chartis *Henrici II*, ab eodem allatis, *prolis regiæ* mentio injiciatur. Unde *Leibnitius* in *Commentario ad Scriptores Brunſuicenſes* appoſite conjecit, *Henricum Sanctum* prolem aut habuiſſe, quam rurſus amiſerit, aut ſaltem ſperaſſe, quod utrumque cum virginitatis pugnat conſilio. Liberalitas *Cunigundæ* erga monaſteria ex plurimis 150.

 dona-

Digitized by Google

donationum inſtrumentis, quæ in gratiam eorum confecit, &
Pag. 153. quæ Cl. Autor appoſuit, elucet. Epiſcopatum Bambergen-
ſem *Cunigundæ* potiſſimum interventu & conſilio fundatum
156. eſſe, nos docet. *Cunigundam regnorum conſortem* ſæpiſſime
vocari, monumenta, a Cl. Autore adducta, affatim compro-
157. bant. Eandem Principem varios imperii Electores nexu feu-
dali Epiſcopo Bambergenſi adſtrinxiſſe, ex *Hoffmanni Annal.*
159. *Bamberg.* Autor docet. Documenta etiam, quæ ἀποθέωσιν *Cu-
nigundæ*, ab *Innocentio III* peractam, reſpiciunt, diligenter col-
160. lecta, Autor addidit. *Giſelam, Conradi II* conjugem, regni
negotiis frequenter ſe immiſcuiſſe, documenta adducta decla-
165. rant. *Agnes, Henrici III* conjux, in Diplomatibus citatis *con-*
184. *ſors regni* ſæpius dicitur. Res geſtas iſtius *Agnetis, Baronium*
189. ſecutus ducem, Cl. Autor deſcribit. *Bertha, Henrici IV*
208. conjux, *conſortis regni* ſæpius ornatur encomio. *Mathildi-
dem, Henrici V* thori ſociam, curas mariti in adminiſtranda
republica multum levaſſe, judiciis præfuiſſe, ſententias tuliſſe,
inveſtituram beneficiorum aliis conceſſiſſe, banno etiam faci-
noroſos mulctaſſe, documenta, ex *Ughelli Italia ſacra* hic
210. edita, comprobant. Honor, Principi huic a civibus exhiberi
ſolitus, ex literis, e *Martenii Theſauro Anecdotorum* hic evul-
213. gatis, elucet. *Mathildis*, marito mortuo, in Angliam, pa-
triam quippe ſuam, reverſa, & *Godofredo Plantageneto, Ful-
conis*, Comitis Andegavenſis & Hieroſolymæ Regis, filio, nu-
pta, *Imperatricis* tamen compellationem retinuit, uti varia
215. documenta, ex *Rymeri* Opere deſumta, monſtrant. *Richenza*
dein, *Lotharii I* conjux, in ſcenam prodit, de cujus nominis
etymologia ubi varias Autor in medium protulerat ſenten-
tias, nomen ejus, *Leibnitium* ſecutus, a vocabulo *Reginæ* non
diverſum eſſe, contendit. Summa illam autoritate in cauſis
217. imperii tractandis conſpicuam fuiſſe, & jus frequenter dixiſſe,
218. quamplurimis documentis monſtrat. E multis etiam *Lotha-
rii* Diplomatibus apparet, plurima negotia, *rogatu & auxilio*
223. *Richenzæ*, iſtum Imperatorem tractaſſe. *Beatrix, Friderici I*
uxor, una cum marito & filio, ſacramentum fidelitatis a
Dertonenſibus civibus recepit, prout formula jurisjurandi, e
Mura-

Muratorii Antiquitatibus Italicis hic transſcripta, oſtendit. Pag. 233.
Conſtantia, Siciliæ Regina, *Henrico VI* nupta, in regno hæreditario imperium conſtanter ſola retinuit. Varia Cl. Autor iſtius Principis Diplomata exhibet, ad regnum Siciliæ tamen ſpectantia. De inſequentium Imperatorum conjugibus mul- 235.
ta dein diſputat, earumque Diplomata non pauca profert in medium. *Gertrudem*, quæ *Rudolphum Habsburgicum* maritum habuiſſe fertur, nihil differre ab *Annâ*, *Rudolphi* iſtius conjuge, demonſtrat, Principem illam *Gertrudis* nomen altero *Annæ* per- 281.
mutaſſe, conjiciens. Cumque generatim de conjugibus *Rudolphi* 284.
nemo curatius diſſeruerit, quam P. *Hergottus*, ejus quidem obſervationes integras hic Cl. Autor exhibet. E Diplomati- 289.
bus *Eliſabethæ*, quæ *Alberto I* nupſerat, a Cl. Autore hic editis, evidenter liquet, Imperatricibus aliquod jus advocatiæ in Cœnobia fuiſſe relictum, unde jus primariarum precum dubio procul initia ſua repetit. Tabulas inveſtituræ, quibus 295.
Margarethæ, *Ludovici Bavari* tertiæ conjugi, Comitatus Hollandiæ, Zelandiæ, ac Friſiæ, ſub fidelitatis feudalis lege ab Imperatore conceſſus eſt, Autor ex *Matthiæ Analectis* affert integras. An *Fridericus Auſtriacus Ludovici Bavari* in impe- 304.
rio ſocius permanſerit, non definit. Eum interim, etiam poſt pactum Ulmenſe, Regis Romanorum nomen retinuiſſe, pro certo habet. Conjugem ejus, *Eliſabetham*, Reginam ſe circa eadem tempora adhuc appellaſſe, ex literis, e *Pezii Theſauro Anecdotorum* depromtis, docet. Teſtamentum 310.
iſtius *Eliſabethæ* ex eodem *Pezii* opere exhibet. *Annam*, 311.
Caroli IV conjugem, jus primariarum precum primam exercuiſſe, narrat, tabulamque, eo pertinentem, ex *Menckenii Script. Rer. Germ.* apponit. Eadem Princeps, una cum *Ca-* 320.
rolo IV conjuge, in uno eodemque inſtrumento, Ducatus Siléſiæ incolis ſpopondit, ſe terras illas nunquam in alios eſſe translaturam, aut aliis ceſſuram. Ipſas literas, eo ſpectantes, e *Lunigii Archivo Imperii* Autor hic exhibet. Varia privile- 325.
gia, diœceſanis S. *Joannis*, Pragæ conſtitutis, ab iſta Imperatrice conceſſa, in inſtrumento, ab Illuſtriſſ. *Senckenbergio* in *Select. Jur. ac Hiſtor.* edito, & huc transſcripto, continentur. Lo- 329.
cum

cum aureæ Bullæ, qui de coronatione Auguſtarum præcipit,
Pag. 337. Cl. Autor integrum apponit. Quamvis Abbates Fuldenſes antiquiſſimis jam temporibus munere Archicancellariatus Auguſtarum perfuncti ſint; ante *Caroli IV* tamen ætatem nulla exſtant Diplomata, quæ illis eam dignitatem tribuant. Primus enim iſte Princeps, literis eapropter editis, hanc Fuldenſis Abbatis dignitatem priſtino ſplendori reddidit, & novo robore communivit. Ipſas illas *Caroli IV* tabulas Cl.
ib. Autor evulgat, &, tempore inſequenti Abbates Fuldenſes illam compellationem conſtanter uſurpaſſe, ex multis, quæ ad-
341. didit, documentis declarat. *Eleonora*, *Friderici III* conjux, *Lanckmanno de Valckenſtein* Capellani dignitatem in aula ſua impertivit. Diploma, ideo evulgatum, Cl. Autor integrum
352. apponit. Literas primariarum precum, ab *Eleonora* iſta ad Cœnobium Buchavienſe directas, itidem exhibet, earumque αὐθεντίαν contra aliorum objectiones vindicat, Imperatrices, reſpectu ad imperium habito, jure proprio, intuitu Imperatorum vero ex delegata & conceſſa poteſtate, ejusmodi preces
356. inſtituere, contendens. Abſente Cæſare, conjuges eorum literas commeatus ſalvique conductus Miſſis Imperia-
362. libus dediſſe, docet. Cum in inſequentibus nihil adeo notatu dignum nobis occurrerit, ad *Leopoldi* tempora properamus. Ubi quidem decretum iſtius Cæſaris, quo Abbati Campidunenſi Archimareſchalli Imperatricis officium confirmatur, ex
413. *Lunigii Archivo Imperii* depromtum, comparet. Alia etiam documenta, quæ *Eleonoram*, *Leopoldi* conjugem, &, poſt fata *Joſephi*, regionum Auſtriacarum adminiſtram, reſpiciunt, ex Actis publicis hic transſcripta ſunt. Monumenta denique varia, & nummi, qui memoriam recentiſſimarum Imperatricum ad poſteritatem transmittunt, huic Operi imponunt finem. Appendices interim binas eidem Cl. Autor adjecit, quarum altera Chartas Imperatricum & Reginarum quarundam Italiæ, Imperatricum vero Græcarum altera, continet. Quod ad priorem attinet, ea quidem maximam partem Diplomata Regum Italiæ, in gratiam uxorem facta, complectitur. Ita enim decretum *Guidonis*, Ducis Spoletani,
qui

qui poſt *Caroli Craſſi* fata Imperatoriam dignitatem uſurpavit, quo *Ageltrudidis*, conjugis ſuæ, poſſeſſionem omnium bonorum, quæ acquiſiverat, confirmat, e *Muratorii Ant. Ital.* deſumtum, primo loco ibi comparet. Imo donationem iſtius Pag. 441.
Guidonis, in gratiam *Leonis*, Abbatis S. *Vincentii*, peractam, in hunc cenſum referre Cl. Autor non dubitavit, cum propter felicem *Ageltrudidis* partum hoc acciderit. *Ageltrudidem* illam inſigni gratia apud maritum floruiſſe, in partem adminiſtrationis regni veniſſe, & judiciis interfuiſſe, documenta, quæ Cl. Autor affert, evincunt. *Berengarius*, Italiæ Rex, 445.
amicitiam *Ageltrudidis* viduæ anquirens, & duo monaſteria eidem donavit, & dominium bonorum, quæ maritus illi tradiderat, ſingulari præcepto confirmavit, quod præceptum ex *Muratorii Ant. Ital.* Cl. Autor hic apponit. Donationes etiam 448.
pias iſtius *Ageltrudidis* ex eodem *Muratorii* opere recenſet. *Berthilla*, *Berengarii* conjux, *regni conſors* in variis monu- 453.
mentis dicitur. Idem vero de *Anna*, *Berengarii* altera conju- 456.
ge, dicendum eſſe, documentum, ex *Ughelli Italia ſacra* deſumtum, & hic appoſitum, declarat. In altera hujus libri 458.
appendice, quæ Diplomata quædam Imperatricum Græcarum ſiſtit, brevitati Cl. Autor ſtuduit, cum, ejusmodi laborem non multum ad res Germanorum illuſtrandas facere, intelligeret. *Theodoræ* adeo, *Juſtiniani* conjugis, in imperio adminiſtrando autoritatem deſcribit. Quæ inter *Irenen* & *Carolum M.* acta 462.
fuerint notatu digniora, allatis eam in rem documentis, nos docet. *Mariam*, *Michaelis Ducæ*, ac poſtea *Botoniatæ*, Imperatorum, 463.
conjugem, *Alexium Comnenum* adoptaſſe, eoque poſtea ad imperium admoto, & abſente, ejus loco rempublicam adminiſtraſſe, ex *Annæ Comnenæ Alexiados Libro II*, cujus verba integra hic leguntur, declarat. *Jolanda*, *Andronici Palæologi* altera 469.
conjux, *Wilhelmi*, Marchionis Montis feracis, filia, Marchionatum illum, jure hæreditario acquiſitum, filio, *Theodoro Palæologo*, tradidit, cujus inveſtituræ tabulas ex *Lunigii Codice Italiæ diplomatico* Cl. Autor integras hic exhibet. Ritum coronatio- 485.
nis Auguſtarum imperii Græci ex *Codini Curopolatæ* libro *de Officiis Conſtantinopolitanis* deſcribit. Qua forma denique Pa- 486.

Digitized by Google

triarcha Conſtantinopolitanus ad Imperatricem literas dederit,
Pag. 489. ex ejusdem *Codini* libro docet, & *Caroli du Freſne* obſervationes, ad eam rem facientes, adſtruit, de quibus ne plura dicamus, inſtituti ratio nos prohibet.

THEOPHRASTUS'S HISTORY OF Stones, &c.

id eſt,

THEOPHRASTI LIBER DE LAPIDIBUS, Græce, cum Anglicana interpretatione, & Notis, tam criticis, quam phyſicis; Autore JOANNE HILL.

Londini, 1746, 8.
Plag. 15.

Qui de rebus naturalibus, & præcipue foſſilibus, tradunt, ſæpe citant *Theophraſti* Ereſii hunc librum, non tam quod eum legerint, qui legi & intelligi ob librariorum frequentiſſimos errores vix poteſt, quam potius e *Plinio*, qui non ubique cum cura & judicio & perfecta intelligentia ſuos Autores citat. Corruptum vero a librariis & lacunoſum, ſi quisquam alius, hunc parvum librum eſſe, ideo non eſt mirandum, quod de rebus tradat vulgo ignoratis, quæ librariorum pauciſſimis familiares erant, & præterea concisa dictione utatur; de qua ipſa βραχυλογία cum deceſſerint multa vocabula, duplex hodie labor eſt, eam intelligere. Adminiculum hac in re præſtitit optimum *Plinius*, qui, ſæpe verbo tenus ipſum interpretans, oſtendit, ſibi Codices præſto fuiſſe, etiamſi non ubique puros, attamen noſtris hodiernis minus inquinatos. Præterea ſuccurrit corporum, quæ vetuſtus Autor ille memorat & deſcribit, cum hodie ſuperſtitibus comparatio. Gemino hoc adminiculo uſus fuit Editor noſter; cui occaſionem curandæ hujus editionis dedit opus, quod iam a multis annis meditatur, de terris medicis, vel medicatis. Quorum cum ſpeciminibus aliorum quoque foſſilium ſpecimina

ex

Digitized by Google

ex variis orbis partibus, & ex illis ipſis perſæpe fundis, collegit, unde *Theophraſtus* ait ſua, quæ deſcribit, depromta fuiſſe. Inter Criticos, fatetur *Hillius*, ſe plurimum *De Latio* debere, ſed multo plus *Salmaſio*, cujus doctrinam magnopere laudat. Græcum textum mutavit & auxit, ut neceſſe viſum fuit eſſe. Indicavit tamen in Notis identidem veterem lectionem, quo integrum cuique ſit, eam exigente neceſſitate reducere. Interpretatus eſt conciſum ſcriptorem non ſtricte, ſed liberius; olim confuſa, in ſe tamen diverſa, in ſuas diviſit ſectiones. In Notis ratio redditur invectarum in textum mutationum, ſive comparando verba Græca cum vetuſtorum Autorum traditis, ſive cum ipſis corporibus, quatenus cognita nobis ſunt, ſive denique recentium Criticorum opiniones recenſendo. Tandem, quæ recentiores Hiſtoriæ naturalis Autores de unaquaque gemmarum, lapidum, terrarum, *Theophraſto* memoratarum, docuerunt, horumque, quotquot ſolertes & fidi ſunt, cum illo vetere admirabilem conſenſum, exponit. Promittit quidem titulus Græci operis de ſolis lapidibus tractationem; verum, quæ de terris quoque differit, non exiguam eius partem conſtituunt, ut patebit ex ſuccincto argumentorum indiculo, quæ in Notis ad Græci textus ductum exponuntur.

Et *pag. 1* protinus de lapidum agitur generatione atque principiis, quæ Noſter conſtituit aquam & terram præcipua, quibus illud accedat, quod Chymici acidum, Metaphyſici ignem, appellant. *Pag.* 7 inquiritur, unde ſtrata lapidum & terrarum; *pag. 14* diſputatur de lapide Aſſio, vel ſarcophago; *pag. 16* vindicatur *Theophraſtus* a credulitatis & ſimplicitatis nota, tanquam, lapides fœturire, & parere alios, tradiderit: qui error illis debetur, qui non pervidebant, pro verbis corruptis, ut vel grammatica conſtructio docet, ἢ τῶν τίκτων, legendum eſſe ἢ τῶν αἰήτων, lapidemque aëtiten deſignari; *pag. 21* recenſentur varia marmorum genera; *pag. 26* de lapidibus, quorum ſubſtantiam particulæ metallicæ ingrediuntur, & de colorum in lapidibus diverſitate, inde naſcente; *pag. 28* de lapidibus, ad ignem liquentibus;

Digitized by Google

pag. 33 de lapide Thracio; *pag.* 35 de bituminibus, ut aſphalto, piſſaſphalto, gagate, lithanthrace, terra pharmacitide, &c. *pag.* 42 de carbunculis: quo nomine veteres comprehendebant omnes rubri coloris lapides; *pag.* 54 exponitur, quare color in gemmis variet; *pag.* 46 de variis generibus rubinorum & granatorum ſermo eſt; *pag.* 49 de pumicibus; *pag.* 50 de Halcyonio; *pag.* 51 de Arabo, vel Arabico lapide; *pag.* 53 de pumice Niſyri; *pag.* 55 de Meli; *pag.* 56 de Carneolo, vel Sardo; *pag.* 58 de Jaſpide; *pag.* 59 de Sapphiro; *pag.* 61 de Smaragdo, ejusque variis generibus antiquis, recentibus, & præcipue *pag.* 65 de Smaragdo Bactriano; *pag.* 70 de Chryſocolla vetere & hodierna; *pag.* 73 de Lyncurio: quem putat eam gemmam eſſe, quam nos hodie Hyacinthum appellamus; veterum enim Hyacinthum a noſtrate diverſam eſſe. *Pag.* 78 defenditur *Theophraſti* opinio, ἤλεκτρον, ambarum, ad foſſile regnum, non ad animale, neque ad vegetabile, pertinere, ſed lapidem eſſe; *pag.* 79 de Magnete verba fiunt, lapide, qui a noſtro magnete diverſus eſt. Nam, quem ſic appellamus hodie, illum veteres *Heraclium*, *Herculeum*, dicebant. Sequitur *pag.* 80 Hyalodes; *pag.* 81 Cryſtallus; *pag.* 82 Amethyſtus; *pag.* 84 Cyanus; *pag* 85 Onyx; *pag.* 86 Achate. Progreſſus inde fit ad Uniones *pag.* 92, & *pag.* 94 ad ebur foſſile, & ad illam ſubſtantiam, vulgo, ſed perperam, inter lapides relatam, cum animale os, aut dens, ſit, puta *Turquois*, ut appellant; *pag.* 96 in cenſum venit Praſius; *pag.* 97 Hæmatites & Corallia; *pag.* 101 lapis Armenus, aut Laxuli; *pag.* 103 Ochræ, Sandaracha, auri pigmentum; *pag.* 109 Cos, coticulæ; & *pag.* 110 tandem lapis Lydius. Inde orditur Anglus cum Græco tractationem de terris, quas inter primo loco *pag.* 114 generatim indoles & varia genera terrarum perluſtrantur; *pag.* 117 de vitrificatione terrarum monetur; *pag.* 119 de aquis & terris petrificantibus; *pag.* 122 de ochra flava, & rubrica; *pag.* 123 caſtigantur, qui miltum, & cinnabarin, res maxime diverſas, permutant; *pag.* 126 narratur de terra Lemnia; *pag.* 127 de rubrica Sinopica; *pag.* 133 modi declarantur, quibus ceruſſa conficitur; *pag.* 134 modi, quibus viride aeris; *pag.* 135, qua con-

Digitized by Google

conveniat cinnabaris veterum, tam nativa, quam factitia, cum noſtrate, & qua differat, demonſtratur: nativum utrique ævo idem eſſe, factitium recens a vetuſto multum diſtare; *pag. 138* traduntur encheireſes, quibus Mercurius a Cinnabari ſeparatur; indicatur quoque, quid veteres de Mercurio cenſuerint, & cur inter venena eum numerarint, & qui tandem error ille exoleverit. Poſthæc memorantur terra Melina, cum colore cognomine, *pag. 143; pag. 144* terra Cimolia; *pag. 145* Samia; *pag. 147* Collyria; & *pag. 148* tandem Gypſum.

Theophraſto ſubjecti ſunt Indices duo, Græcus alter, alter Latinus. His ſuccedunt Epiſtolæ duæ: prima ad *Jacobum Parſons*, Societatis Regiæ Britannicæ membrum, de colore Sapphirorum & Turqueſiorum; ſecunda ad *Martinum Folkes*, Equitem, Doct. Jur. & Societatis ejusdem Præſidem, de effectibus diverſorum cupri menſtruorum. Ambo iſthæc opuſcula tendunt eo, ut demonſtrent, colorem gemmarum ab alia nulla re, quam ab admiſtione particularum metallicarum, provenire & repeti debere. Scilicet fuerant, qui, Sapphiros & Turqueſios non a ſolutione cupri, ſed *nativo* quodam *zaffar*, tinctos eſſe, ſibi perſuaderent. Ea ipſorum dictio eſt, deſignans cœruleum, vel cyaneum. Noſter vero talis *zaffar* exiſtentiam negat, monſtratque, propria ſua experientia colorem illum demi & reddi corporibus poſſe. Nimirum, ſe, ait, Turqueſium, quod corpus regni animalis putat, ſolutione cupri tinctum, colore per ignem fortiorem privaſſe, reddidiſſe tamen eundem a ſolutione cupri in alcali volatili. Occaſionem hinc arripit, poſteriore Epiſtola declarandi, quos colores producat ſolutio cupri, diverſis menſtruis facta. Non tantum enim ab alcali, ſed etiam ab acido, & a quovis acido, ſolvitur. Crediderunt quidam, cupri ſolutionem ex acido tantum viridem colorem, ex alcali tantum cœruleum, producere. Alii cautiores & ſubtiliores, viridem ex acido, & ex alcali fixo, cœruleum vero ex alcali volatili, provenire, pronuntiarunt. Quæ omnia certa & conſtantia non eſſe, evincit exploratio per experientias. Noſtro conſtitit e variis periculis, quæ cum liquoribus omnis generis

neris & ſæpius dicto metallo inſtituebat, regulas de colore ſic producendo certas dari non poſſe. Aliter colorat cuprum in oleo olivarum ſolutum, aliter in cera. Blanda hæc corpora cuprum arrodere & diſſolvere, ne cui mirum videatur, demonſtrare elaborat Anglus, qui id fiat. Porro diverſis ſolutum acidis ſpiritibus cuprum aliter & aliter, remiſſius intentiusve, colorat. Confici quidem viridem colorem a ſolutione cupri in aqua regia, ſpiritu nitri, ſpiritu ſalis; at inde non conſequitur, omnes in acido ſolutiones eundem præſtare. Nam ſolutio in oleo vitrioli, in oleo ſulphuris, in aqua regia, dat colorem cœruleum. Quid inde? Hoc nempe, naturam in formando cupri ope colore ſapphirino uni ſoli menſtruo adſtrictam neutiquam eſſe, ſed variis eum in finem uti poſſe; catholico illo acido vitriolico, vel, quod idem eſt, ſulphuris atque aluminis; & ipſo quoque nitri acido. Quamvis enim nitri ſpiritus, certa menſura ſolutum cuprum gerens viridis apparet; aucta tamen cupri doſi, ad ſaturationis punctum fit cœruleus; & ipſa vegetabilium acida, acetum deſtillatum, ſuccus citri, ſpiritus chalcanthi, quamvis cupri ſolutionem exhibeant viridem, ita tamen ſinceram non exhibent, quin aliqua cœrulei macula admiſſa compareat. Solutum ab alcali fixo cuprum ſemper eundem monſtrat colorem cœruleum; quia ſcilicet alcali non ex viribus plantæ ſuæ, e qua productum quodque fuit, utpote de quibus nihil retinuit, ſed mere ut alcali, agit. Pariter alcalia volatilia, cupro juncta, gratum illum & admirabilem cyaneum colorem afficiunt, quæcunque tandem illa fuerint, ſeu ſpiritus ſalis ammoniaci, ſeu ſpiritus urinæ, ſeu Sp. Corn. Cervi. Alcali enim idem eſt, & gradus coloris differunt pro ratione quantitatis cupri. Finis Epiſtolæ tandem tradit de colore ſolutionum cupri in ſalibus neutris, ſale ammoniaco, borace, & id genus aliis.

EXCERPTA EPISTOLÆ G. F. BÆRMANNI, Mathem. in Acad. Witteb. Prof. Publici, ad F. O. M.

Exci-

Excitatus literis tuis quam humaniſſimis, per quas mihi nuper data occaſione ſignificaſti deſiderium tuum, videndi ſolutionem Problematis algebraici, proxime elapſo *Menſe Octobri* in *Novis Actis Eruditorum* propoſiti, Problema hoc, cumprimum per alia negotia licuit, conſiderare cœpi, ejusque inveni ſolutionem. Equidem vereor, ut ea talis ſit, qualem ignotus mihi Problematis Autor exſpectaverit. Nam, cum Problema ipſum in ſe parum difficultatis habere mihi videatur, ſuſpicor, Autori ejus novam eſſe methodum, æquationes biquadratas reſolvendi, ad quam forſan aliqua illius Problematis ſolutio viam ſternat; aut ſaltem ejusmodi ipſi obtigiſſe Problematis ſolutionem, ex qua aliquid novi in artis incrementum redundet. De mea autem ſolutione, fateor, nihil tale, quantum quidem adhuc video, poſſe prædicari. Utcunque erit, mittendam tibi tamen eſſe duxi hanc meam illius Problematis ſolutionem, ut ne hanc prætermitterem occaſionem, ſummum erga te meum ſtudium atque obſervantiam tibi demonſtrandi. Problema hoc erat: *Æquationum A, B, altera A data, determinare coefficientes f, g, h,*

$$A \; . \; . \; . \; . \; x^4 = \; * \; px^2 + qx + r$$
$$B \; . \; . \; . \; . \; x^4 = fx^3 + gx^2 + hx + r$$

alterius æquationis B ita, ut x in utraque æquatione eundem habeat valorem.

Solutio.

Accipiatur f, ut lubet, e autem ita, ut ſit $e^3 = 2pe^2 - (pp + 4r)\, e + qq$; & deinde fiat $g = p + f\sqrt{e}$, atque $h = q + \frac{1}{2} f\,(e - p + \frac{q}{\sqrt{e}})$. Dico, duos valores incognitæ x utrique æquationi A, B, fore communes.

JO. NIC. FUNCCII DISSERTATIONES ACADEMICÆ, conjunctim nunc primum editæ.

Lemgoviæ, literis & ſumtibus Jo. Henr. Meyeri, aulæ Lippiacæ typographi, 1746, 8 maj.

Alph. 1 plag. 15.

Exhi-

Digitized by Google

Exhibet iſthæc elegantiſſima Collectio LXXXVI Cel. Auctoris Commentationes, ad annorum ſeriem diſpoſitas, cum propter nimiam argumenti varietatem, quod forſitan maluiſſet *Funccius*, ad argumentorum diſtinctionem accommo-
Pag. 1. dari vix potuerint. Agunt autem 1) de Annulis ſignisque veterum, ad quam Commentationem conferri merentur, quæ
10. Cl. *Ungerus* de ſigillis Chriſti Evangelicis diſputavit; 2) in D. *Jo. Kahleri* memoriam de pietate, mortuis exhibita, atque
16. exhibenda; 3) de corporis Academici capite conſtituendo;
20. 4) de ſalute ac lætitia populi in *Caroli*, Haſſiæ Comitis provin-
24. cialis, natali, ad locum *Suet.* in *Aug. Cap. 98;* de concordia, in publicatione novæ legis Academicæ adverſus tumultuantes;
26. 6) de *Caroli*, Haſſiæ Comitis provincialis, obitu, ad *Valer.*
29. *Max. Lib. IV Cap. 1 num. 12;* 7) de luctu in *Caroli* funere ſi-
33. gnificando, ad illud *Plutarchi* ὁ μέγας πᾶν τέθνηκε; 8) de Cattorum poſt funera *Caroli* a *Friderico*, provinciali Comite,
38. recuperanda ſalute; 9) de transferendo magiſtratu Academi-
41. co; 10) de Bibliotheca publicum ad uſum ordinanda; 11) de
46. vita & obitu *Ph. H. Kleinſchmidii*, J. U. D. & Prof. Publ.;
50. 12) de memoria D. *Bern. H. Schræteri*, V. D. M. & Paſtoris
54. Senioris; 13) in *Friderici*, Suedorum Regis, natali 56, de rei
57. publicæ ſalute cum ſalute Principis conjuncta; 14) de juſtitia,
60. cujus laudes commemorantur; 15) de Suedici Regis Auguſtiſſi-
62. mi in Germaniam itinere; 16) de publica Rintelienſis Academiæ
65. propter ſui Regis præſentiam lætitia; 17) de votis propter
67. vitam *Friderici* Regis publice ſuſcipiendis; 18) de morali Sinenſium Philoſophia, qua ad Indi cujusdam Orat. Academ.
71. invitatur; 19) de perenni Chriſti morientis memoria, & Chriſtianorum Bacchanalibus; 20) de votis ob *Fri-*
75. *derici* onomaſtica; 21) de feſto propter Chriſtum ex mor-
79. tuis triumphantem gaudio, ad Græcorum κύριος ἀνέστη, ἀληθῶς ἀνέστη; 22) in *Friderici* Regis natali 57 ad Orationem
83. de literatorum a ſummo Principe repetenda felicitate; 23) de literarum vanitate, vel de dicto: *O curas hominum! O quan-*
85. *tum eſt in rebus inane!* ad Orationem de vana eruditorum ſolicitu-

licitudine; 24) de Hiſtoria, ejusque tum difficultate, tum uti- Pag. 90.
litate, ad Orationem de vana Hiſtoricorum cura; 25) de me- 97.
moria *Chriſt. Diter. Eskuche*, ducta effati: *Omnes eodem cogi-*
mur; omnium verſatur urna; ſerius ocyus ſors exitura; 26) 100.
de miſeranda *J. H. B. Rœsleri* cæde, qui ſtudioſus innoxius
J. B. Rœsleri, in Academia Jenenſi & Marburgenſi doctoris,
filius fuerat; 27) in *Friderici* Regis natali 58, ad Orationem 103.
prudentiam, quæ ex literarum ſtudio firmius imperii funda-
mentum ponit, commendaturi; 28) de memoria *Ern. Aug.* 107.
Schrœderi de Sternfeldt, inter ſuperioris ætatis curam haben-
tes Conſiliarii; 29) de ſole novo *Auguſtæ* domus Haſſiacæ or- 110.
to *Friderico* juventutis principe; 30) de miniſtris Academiæ 114.
remunerandis; 31) de actione oratoria, *Demoſthenis* reſpon- 117.
ſionem, qui primum, ſecundum, tertium, in eloquentia fecit
ὑπόκρισιν, commendans; 32) de ſervanda legum & magiſtra- 123.
tus Academici autoritate, in proſcriptione cujusdam Academi-
ca; 23) de Juris Romani ex legum fragmentis incompara- 125.
bili theſauro, cum *J. G. Schaumburg* Academicum munus in-
grederetur; 34) de Prometheo *Horatii Carm. I, 3, Hygini* 130.
Fab. 142, 144, & alia loca illuſtrans egregie; 35) de Chriſto 136.
patiente & cruci affixo, perpeſſiones Chriſti & cruciatus deſi-
gnans; 36) in *Friderici* Regis natali 59, de Senatus Romani 140.
apud *Lampridium* in *Alex. Severo Cap. 6* dicto: *Dii te nobis*
dederunt, Dii conſervent; 37) de liberalius alendis Academiæ 143.
miniſtris; 38) de magiſtratus Academici mutatione, ejusdem in 145.
Academiis rationem perquirens; 39) de die Servatoris natali, 149.
de quo variæ variorum opiniones referuntur, ſimulque Deo-
rum expenduntur apparitiones; 40) de cognitione ſui ad 155.
Græcorum iſtud γνῶθι σεαυτὸν, ante Orationem de morbis
animæ, eorundemque recta curandorum ratione; 41) de no- 161.
minibus propriis, de quibus accuratius inquiſierint gentes, ſua-
que inde fata captarint, ad Orationem de nomine *Friderici;*
42) de artis medicæ præſtantia: ubi ſimul raritas optimæ notæ 168.
Medicorum oſtenditur, ab Oratorum raritate occaſione peti-
ta; 43) de patria cuique jucundiſſima, & felici Cattorum ſe- 176.
de, in αὐτόχθονας ac primam hominum vitam ſimul inqui-

S rens,

Digitized by Google

Pag. 186. rens, atque etiam antiquitates Cattorum illuſtrans; 44) de
uſu Philoſophiæ in ſtudio Juris, ubi ſimul eadem tanquam
195. omnium diſciplinarum mater proponitur; 45) de crucifixi
Servatoris innocentia, conveniens aliquantiſper argumento
cum *Freytagiana* proluſione, qua *Porphyrii* de Servatoris in-
205. nocentia teſtimonium expenditur; 46) in *Friderici* Regis na-
tali 20, ad Orationem de publica omnium a Principe derivan-
210. da ſalute; 47) de glorioſo Jeſu Chriſti, cœlum ingredientis,
triumpho, ubi ſimul de ritibus veterum triumphalibus diſſe-
221. ritur; 48) de cauſis corruptæ eloquentiæ Romanæ, quibus
exponendis Autor Dialogi de cauſis corruptæ eloquentiæ
230. *Cap. 29*, & *Martialis Lib. VIII Epigr. 56*, nominatim inſer-
viunt; 49) de exequiis *Jac. Friderici* L. B. *de Kettler*; 50) in
236. *Friderici* Regis natali 61, ad Orationem, quibus artibus ſummi
243. Principes immortalitatem conſequantur; 51) de antiquiſſimo
literarum in Haſſia ſtatu; 52) de eloquentia in ſilentio; 53)
255. de ſalutari imperantium Philoſophia, ſeu de Rege Philoſopho;
263. 54) de poſtprincipiis, ad *Plaut.* in *Perſ. A. IV Sc. 1*; 55) de
277. memoria *Juſtini Mauritii Guerneri Glæckneri*, de philoſo-
phica meditatione mortis ſimul agens; 56) quæ commoda ex
285. literis ad civilem vitam redundent, ad dictum: Didiciſſe fide-
liter artes &c.; 57) de Sereniſſ. Principis *Friderici*, Rectoris
288. Academiæ Rintelienſis Magnifici, Muſis facta declaratione be-
297. nevolentiæ; 58) de libertate Academica, ad *§. 1 Inſtitut. de*
300. *Jure perſon.*; 59) de Decemvirum a Romanis creandorum
309. diverſa ratione; 60) dum exilium perdito civi decretum in-
dicatur, de variis in antiquorum pœnis cautionibus; 61) de
319. literatorum miſeria & injucunda Rintelienſium Muſarum ſe-
322. de; 62) de memoria *Car. Jac. Detry*, ubi cum ſcena compa-
334. ratur, quam mortales degimus, vita; 63) de memoria *Gui-*
338. *lielmi Eccardi Lolli*, ubi fatorum expenditur vis; 64) de an-
344. nis climactericis, ſive progreſſionis, ſcanſilibus, gradariis; 65)
356. de ſimulationis vitio, ad *Phædri* illud: *Periculoſum eſt, credere*
368. *& non credere*; 66) de memoria *Sabinæ Chriſtinæ Victoris*,
373. V. C. conjugis; 67) de publica ſine diſciplina libertate nulla;
375. 68) de vere ſacro, ad illuſtrandum Sabinorum votum: *Si res*
com-

Digitized by Google

communis melioribus locis conſtitiſſe, ſe ver ſacrum facturos;
69) de auguſtis Sereniſſimorum Principum, *Friderici* Haſſiaci Pag. 387.
& *Mariæ* Britannicæ, nuptiis, ubi de feſtis antiquorum, eo-
dem tempore, lætitiis agitur; 70) eodem de argumento, tædas 394.
potiſſimum nuptiales conſiderans; 71) de memoria *Chriſtia-*
næ Sophiæ Detry, natæ *Tilemanniæ* dictæ *Schenck*; 72) de Ro- 403.
manorum ex imaginibus nobilitate, Commentatione antiqui-
tatum ſelectu potiſſimum inſtructa; 73) de memoria *Juſti* 409.
Frid. Bierlingii, *Frid. Guil. Bierlingii*, Profeſſoris Rintelien-
ſis, filii; 74) de memoria *Juſti Henr. Behres*, Rintelienſis 426.
Scholæ Rectoris, ad fletum *Xerxis*, exercitum luſtrantis; 75) 432.
de memoria *Ulricæ Eleonoræ*, Suedorum Reginæ; 76) de 438.
Guilielmo, Haſſiæ nato Principe, varios variarum gentium na- 443.
talitios ritus percenſens; 77) relegationis argumentum de no- 449.
xia libidine; 78) de *Neſtoris* annis, ad *Propertii Lib. II El.* 452.
25 v. 9; 79) de memoria *Wilh. Carol. Peſteliæ*, moleſtias 465.
hominum ſimul enarrans; 80) de picturæ uſu & origine, ab 470.
imitatione deducta; 81) de memoria *Ant. Henr. Bickelii*, ad 494.
dictum *Plauti: Quem Dii diligunt, adoleſcens moritur;* 82) de 498.
memoria *Car. Lud. Buſmanni;* 83) de lege Æbutia, legum 504.
XII Tabulis non derogante; 84) de memoria *Mariæ Amaliæ*, 522.
Haſſorum Comitis provincialis; 85) de ſeptenario numero 529.
ſacro; ac denique 86) de capeſſenda republica: ubi accura- 545.
tius inquiritur, num privata vivendi ratio, an publica, præſtet.
Vel indicium hoc argumentorum excitabit cupiditatem, ex
ſatura iſthac lance, non delibandi utiliſſima, ſed ad ſatietatem
usque comedendi.

PROSPECTUS D'UNE NOUVELLE TRA-
duction de l'Hiſtorien Joſeph, &c.

id eſt,

SPECIMEN ET DELINEATIO EDENDÆ nova interpretationis Gallicæ JOSEPHI, Hiſtorici Judæi, quam comitabuntur Notæ, in quibus decrevit Autor Joſephi ſenſus declarare, locos difficiles explana-

 re,

re, rationem interpretationis ſuæ reddere, priorum interpretum aberrationes demonſtrare, & emendationes adſtruere, quas in ſua interpretatione exhibere conſultum ducet.

Pariſ., 1747, 4.
Plag. 4.

Hæc eſt inſcriptio ſpeciminis hujus, e qua, quæ ſit Autoris deſtinatio, ſatis apparet. Quis autem ille ſit, non facile nobis quidem eſt indagare, quando quidem celare ſuum nomen ipſe voluit. Unde habuerit, quod ad nos aliquis olim retulit, eum ſibi nomen *Eliakimi* impoſuiſſe, haud novimus. Rabbinum id ſapit. At certum tamen eſt, & ipſum ſpecimen palam clamat, Autorem Romanæ Eccleſiæ Clericum eſſe, non ſane de mitioribus illis unum, qui, ſecus ſentientes tolerari debere, cenſent. De nova *Joſephi* Gallica interpretatione adornanda ut cogitaret, ſuaſit huic Viro, quisquis ille tandem fuerit, id, quod intelligebat, *Andillianam* interpretationem, quæ adhuc penes Gallos pro elegantiſſima fuit habita, rarius in tabernis comparere. Deſtinabat itaque librum recudendum dare, eique notulas adjicere, quibus interpretem rectam in viam reduceret, ubi a *Joſephi* mente aberraverit, quod ipſi non raro contigiſſe, nemini mirum videbitur, qui, qua animi levitate tractaverint Græcos Autores Gallici vulgares interpretes, norit; homines, qui, omnia ſibi licere, putabant, & ſatisfacere ſibi ſuo videbantur officio, ſi, neglecto Græco fonte, quem pauci percipiebant, veterem aliquam non optimæ notæ Latinam interpretationem in Gallicum ſermonem transfunderent, ſuisque quibusdam floſculis & commentis comtam ſub magnifica vetuſti nominis inſcriptione protruderent. Prava hæc ſtirps progeniem dedit multo nequiorem, Germanicas noſtrates, e Gallicis conſarcinatas, verſiones. Magnam itaque laudem meretur Noſter eo, quod ipſum Græcum *Joſephi* Codicem inſpicere, raro inter ſuos cives exemplo, indeque fideliter Autoris ſententias lectoribus reddere, decrevit, ſic tamen, ut ipſo in opere *Andilliano* nihil omnino mutaret, ſed

tale

tale daret, quale profectum ab Autore fuerat, contentus, eum, ubi opus erat, in ſubjectis notis caſtigare. Recte nimirum ſapienterque cenſebat, in alienum opus, utcunque vitioſum, inſcio & invito Autore, alteri jus graſſandi nullum eſſe. At vix orſus fuerat hanc telam noſter Anonymus, cum intelligeret, nimium ſæpe ſibi reprehendendam veterem interpretationem, eoque procul dubio futurum eſſe, ut lectoribus tædium, & de ſe ſuperciliosi pædagogi opinionem, faceret. Abjecto itaque illo ſuperiore conſilio, novam ipſe aggreſſus eſt interpretationem conficere, eamque ſe jam confectam ab aliquot annis habere, aſſeverat, his plagulis, quam in ea viam fuerit conſectatus, exponens. Et primo quidem loco fidem ſuo de *Andilliana* interpretatione judicio facit, demonſtrans allatis aliquot exemplis, ſæpe non caſtigatam, neque certæ fidei, eam, & ex ſolis *Gelenii* Latinis expreſſam, eſſe. *Joſephum* deinceps purgat a criminationibus quorundam, qui, neque Græce, neque Hebraice, neque ritus gentilitios, eum calluiſſe, perhibuerant, prætereaque profanæ mentis & impietatis adverſus ſanctiſſimum Numen reum egerant. Candorem tamen & modeſtiam in eo monſtrat Noſter, quod ita Autorem ſuum purgat & vindicat, ut non neget, animi humilem & inconſtantem, erga Romanos adulatorem, ſuæ fidei & divinæ veritatis, ubi producenda atque tuenda fuerat, pavidum diſſimulatorem, fuiſſe. De dictione Judæi ſentit non nimis magnifice. Sufficere, ait, ad eum percipiendum, ſi quis probe tritus & ſubactus lectione LXX interpretum, Novi Teſtamenti, & *Philonis*, fuerit. Lutulentam & tam turbidam perſæpe fluere, ut, abſque ſubſidio ſacri Codicis Vet. Teſt. foret, in quo eadem, quæ apud *Joſephum*, leguntur, haud poſſit intelligi. Sed & viciſſim hunc Judæum claram Sacro Codici facem interdum accendere. Id quod Gallo noſtro, in promiſſis ad interpretationem ſuam animadverſionibus complura vexata Vet. Teſt. loca ſub examen revocandi & declarandi, copiam faciet. Quos *Joſephi* Codidices idem ſecuturus ſit, & num habeat manu exaratos quosdam, omiſit indicare. Operæ tamen pretium fecerit, ſi MStos bonæ notæ Codices in Autore, vehementer, ut ipſe

Digitized by Google

queritur, corrupto conſuluerit. Niſi forte Criticorum illo de genere ſit, qui talibus adminiculis opus non habent, quibus ingenium ſolum ſufficit. Videtur profecto, nobis quidem, Criticorum inter audaciſſimos eſſe. Nolumus interim egregio inſtituto officere, nolumus dignitatem ejus deprimere: cui nos ſtudioſe favere profitemur, & quod forte in Gallicis prelis jam ad finem ſpectat. Optamus potius, ut hoc Specimine propoſitæ, quæ appellantur, Emendationes Græce atque Hebraice doctis minus violentæ, magisque probabiles, accidant, quam nobis quidem acciderunt. Eſt tamen una inter ceteras conjectura, ſcita felicis ingenii filia, quam calculos peritorum omnium laturam eſſe, nulli dubitamus. Operæ prætium eſt, eam ex *pag. 9* hic loci brevibus repetere. *Euſebius* ex *Hegeſippo* memorat *H. Eccl. Lib. II Cap. 23,* Judæos S. *Jacobum* interrogaſſe, quænam ſit Jeſu Chriſti *θύρα*, quod interpretes pro Græca voce, ut videtur eſſe, reputantes, *porta* reddunt, absque ſenſu, S. *Jacobus* ad quæſtionem apta, ſed a *porta* notione aliena omnia, reſpondet. Unde noſter Anonymus in eam opinionem, & in id ipſum, quod res eſt, incidit, *θύρα* ibi loci non Græcam vocem, ſed Hebraicum תורה, *Torah*, ſeu *lex*, eſſe, aut potius pro *θύρα* ſubſtitui *θόρα* debere.

NOVA LITERARIA.

Quid novi Florentiæ moliatur *Ant. Franc. Gorius*, doctiſſimus Celeberrimusque Vir, ex hac, Lector, *Cajetani Albizini*, typographi Florentini, ad eruditæ antiquitatis cultores Epiſtola, publici nuper juris facta, jucunde cognoſces:

Antonius Franciſcus Gorius, Baptiſterii Florentini Præpoſitus, & in patria Academia Hiſtoriarum Cl. Profeſſor, in ſecundo *Symbolarum* ſuarum Volumine *pag.* 77, (quarum *III, IV*, & *V*, jam prodierunt,) nuper cultoribus eruditæ antiquitatis expoſuit ideam, ſive deſignationem, ſui *Theſauri Gemmarum antiquarum*, &, quantocyus ſe in optatam lucem producturum bono publico, promiſit. Gemmæ omnes ex celeberrimis non ſolum Italiæ, verum etiam Europæ, Dactyliothecis, & magna quoque ex parte ex Cimeliis ſuis, ſunt depromtæ, ac fere omnes nunc primum editæ. Hæc inſignis

Col.

Collectio, quæ veterem Hiſtoriam mythicam, theogonicam, & heroicam, complectitur, exordium ſumit ab antiquis *Gemmis Aſtriferis*, quæ diligenter ad ectyporum fidem inſculptæ ſunt æreis Tabulis 210, ab egregio Cælatore, *Vincentio Franceſchinio*, qui ille ipſe eſt, qui exquiſita elegantia & peritia non ſolum Gemmas fere omnes antiquas, quæ in *Volumine I & II Muſei Florentini* ſpectantur, ſed & Numiſmata omnia maximæ magnitudinis, quæ in poſtremis ejuſdem *Florentini Muſei Voluminibus IV, V, & VI*, afferuntur, inſculpſit. Eo nuper ex hydrope morbo defuncto, perpaucas *Joannes*, ejus filius & alumnus, æri incidit: omnes vero peraccurate, & multa cum laude, *Philidaurus Roſſius*, Pictor Florentinus, in antiquis prototypis monumentis delineandis egregius obſervator, expreſſit. Syntagma hoc, *tribus Tomis* in folio abſolutum, nunc excuditur mea cura, & jam 20 folia impreſſa ſunt, novis characteribus adhibitis, & nitida charta, compluribus quoque adjectis Parergis, ne quid ornamenti ac ſplendoris huic Operi deſit. Accedit in *Volumine III* antiquus, totoque orbe celeberrimus, *Atlas Farneſianus*, egregie illuſtratus a Cl. Viro, *Jo. Baptiſta Paſſerio*, Piſaurenſis Diœceſeos Vicario, & Ampliſſimo Antiſtiti Piſaurenſi, D. *Umberto Aloyſio Radicato*, ab eo dicatus, qui etiam Diſſertationes complures, multa atque exquiſita eruditione refertas, non ſolum adjecit, ſed & illectus tam elegantis & eruditi Theſauri varietate, cui *Gorius*, ejus amicus, ſpectandum, antequam proferret, Piſaurum miſit ſtatim, & doctas Obſervationes ſuas ad ſingulas Gemmas luculenter exaravit. Integrum atque partibus ſuis omnibus erit abſolutum hoc Syntagma, ſive Theſaurus, & ſine reliquis ſtare in Bibliothecis poterit. Jam igitur prelo commiſſus eſt hic *Theſaurus Gemmarum Aſtriferarum*, & intra Sacrum Annum 1750, Deo adjuvante, & citius etiam, ſi fieri poterit, prodibit. Si quis eidem ſubſcribere voluerit, & ſocietatem inire, in anteceſſum ſolvet mihi, ejuſdem Operis Typographo, Julios 30 vel nunc, vel intra proximos menſes quatuor, nempe Decembrem, Januarium, Februarium, & Martium, ſequentis Anni Sacri 1750, numerandos: quo tempore elapſo, non erit ulterius ſubſcriptioni

ptioni locus. Syngrapham, quam a me accipient, mox reddent, dum totidem Julios ſolvent, cum eadem tria Volumina in lucem edita ſuſcipient: quod duobus ſaltem menſibus, antequam abſolutum ſit hoc Opus, edito Monito indicabimus. Qui ſubſcribere noluerint, hoc Theſauro publici juris facto, ſolvent Julios 80, & forte etiam 90. Quæ nunc promittuntur, ita religioſe & fideliter ſervata erunt, ut neque de hujus Operis Autore, nec de me, conqueri quis poſſit. In *tertio* hujuſce *Theſauri Gemmarum Aſtriferarum Tomo*, ad mutuam conjunctionem augendam, ac multo magis earum eruditionem locupletandam, ſequentes afferuntur Diſſertationes, quas idem doctiſſimus *Paſſerius*, Protonotarius Apoſtolicus, & Regiarum Societatum Londinenſis ac Olmucienſis Membrum, Italicarum Piſaurenſis, Cortonenſis, & Columbariæ Florentinæ, Socius, inſigni labore exaravit, ac, rogante *Gorio*, perfecit. Hæ ſunt numero 8, quæ hoc fere ordine proferentur. 1) *De Gemmis Baſilidianis*, ad Eminentiſſ. Principem *Angelum Mariam* tit. S. *Marci* Cardinalem *Quirinum*, S. R. E. Bibliothecarium, Brixiæ Pontificem, &c. 2) *de Gemma Paſtorali*, ad Reverendiſſ. & Clariſſ. Patrem D. *Joſephum Alexandrum Chiappinium*, Canonicorum Regular. Lateranenſium Abbatem Generalem, &c. 3) *de Gemmis Aſtriferis veterum Chriſtianorum*, ad V. C. *Hannibalem* de Abbatibus *Oliverium*, Patricium Piſaurenſem; 4) *de Ara Auguſtea*, ad V. C. *Franciſcum* Comitem *Ginannium*, Patricium Ravennatem; 5) *de Animarum tranſvectione*, ad V. C. *Andream Buffium*, Patricium Piſaurenſem, Anconitanorum Archiatrum, &c. 6) *de Monſtroſis Baſilidianorum Gemmis*, ad Nobiliſſimos Adoleſcentes, *Hieronymum*, *Petrum Antonium*, & *Aloyſium*, *de Jordanis*, *Dominici*, Equitis Ord. S. *Stephani*, filios, Patric. Piſaur.; 7) *Heſus*, *& de Aſtriferis Heroum clypeis*, ad Illuſtres Socios Regiarum Societatum Londinenſis, & Olmucienſis, earumque Ampliſſimos Præſides, &c.; 8) *Iſis Goriana*, ad *Antonium Franciſcum Gorium*, Amicum optimum.

His vos monitos volui. Valete, &, ſi lubet, humaniter huic Operi favete.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Martii Anno MDCCL.

Pars II.

Die mit ſich ſelbſt wohl übereinſtimmende, und ſich ſelbſt erklärende, gantze Heilige Schrift, Alten und Neuen Teſtaments, ꝛc.

hoc eſt,

BIBLIA PARALLELO-HARMONICO-EXEgetica, ad accuratiſſima exemplaria verſionis D. Martini Lutheri edita, cum ejus Præfationibus & Notis marginalibus, item cum concinnis diviſionibus cujusque Libri & Capitis, brevibus vitarum deſcriptionibus cujusque Biblici Scriptoris, præſertim vero expreſſis Parallelis, & demonſtrationibus harmoniæ & convenientiæ locorum; additis typorum Chriſti fontibus, poriſmatibus, annotationibus chronologicis & geographicis, variisque iconibus, in æs inciſis, & Tabulis geographicis. Editor eſt D. CHRISTIANUS FRID. WILISCHIUS, Eccleſiarum in terris Fribergenſibus ſupremus Antiſtes.

Pars I - IV.

Fribergæ in Miſnia, ſumtibus Editoris, 1739-1749, fol. maj. Alph. 30 plag. 20.

T Paral-

Parallelorum nomen tritum ac frequens eſt in ſcholis eorum, qui corpora metiuntur, quippe quo Mathematici illa omnia appellant, quæ invicem comparata æqualiter diſtant. Hoc ſenſu *Plinius* parallelos circulos ſphæræ commemorat, qui ad eundem cœli polum conſtituti ſiniuntur; *Vitruvius* autem lineas & tabulas parallelas, id eſt, æque diſtantes, oculis lectorum exponit. Et hæc parallela tanta ſe utilitate commendarunt veteribus, ut proverbio locus fuerit factus: *παράλληλα φανερώτερα*. Neque infeliciori ſucceſſu hoc inſtitutum ad explicandas literas diviniores translatum fuit. Quemadmodum enim hæ non niſi ab uno ſpiritu profectæ ſunt; ita etiam non niſi unum ſenſum admittunt, ex aliis Sacri Codicis locis confirmandum. Et, hujus generis collationem atque concentum, ſubſidium ſanctioris Hermenevtices eſſe probatiſſimum, tantum non omnes purioris religionis doctores uno ore confitentur. Hac mente jam ante repurgationem ſacrorum a *Luthero* ſuſceptam emunctioris naris Theologi privato ſtudio loca Scripturæ Sacræ parallela colligere, & margini Bibliorum ſacrorum adſcribere, cœperunt, lucem explanandis oraculis fœneraturi. Quorum veſtigia, poſt ſacra inſtaurata, tanto plures ſequebantur, quanto majus emolumentum ex hoc inſtituto in confirmandam doctrinam cœleſtem redundare, intelligebant. Multis vero hoc inſtitutum difficultatibus, multisque incommodis, implicatum videbatur. Namque rudiores lectores locorum coacervatorum farraginem pro ſuperfluo habebant, certe uſum eorum ignorabant; accuratiores falſis allegatorum Capitum & verſuum numeris haud parum offendebantur ac deterrebantur; plurimi autem laborem evolvendorum oraculorum parallelorum moleſtiſſimum ſubterfugiebant. Quare non deerant, qui iterum atque iterum in votis habebant, ut editio Bibliorum ſacrorum procuraretur, quæ dicta parallela, non tantum allegata, ſed integra expreſſa, exhiberet, quo evidentius Scripturæ ſacræ concentus perſpiceretur. Hoc conſilio *Biblia harmonica Dornkrelliana* prodierunt, opus haud exiguæ utilitatis, ſi tantum judicii, quantum laboris, Autores attuliſſent, neque fa-

tis,

tis, quo minus ad umbilicum adducerent, intercepti fuiſſent. Idem ſaxum, interjecto tempore, volverunt alii, ſed ultra ſpecimina & conatus vix progreſſi. Pia igitur hæc deſideria in Bibliis Parallelo-Harmonicis explevit *Chriſtianus Fridericus Wiliſchius*, ſacrorum Antiſtes apud Freibergenſes in Hermunduris meritiſſimus, Vir iis præſidiis inſtructiſſimus, quæ divini verbi interpretem & adjuvant & ornant. Quod opus inſtar multorum eſſe poteſt, quia non modo univerſa Biblia Hebraica, Græca, & Germanica, refert, ſed etiam Concordantiarum promtuarium exhibet, & inprimis *Lutheri* verſionem a corruptelis vindicat, Lexicon vero Hebraici ſermonis locupletiſſimum ſuppeditat. Singula enim vocabula Hebraica ex genio & penetralibus hujus ſermonis accurate explicantur, eorumque ſignificatus ex vicinis idiomatibus, nominatim *Chaldaico, Syriaco, Arabico*, & *Æthiopico*, illuſtrantur, vel etiam ex radicibus cognatis & affinibus eruuntur. Et, quoniam Chriſtus cum ſuis beneficiis pro centro totius Scripturæ Sacræ eſt habendus, ad quod omnes typi collineant, hujus & perquirendi & inveniendi præcipuam habuit rationem Autor Summe Venerandus, ita tamen, ut mediam inter *Coccejaniſmum* & *Grattianiſmum* viam teneret. Hac mente ſolicitam differentiam obſervavit inter typos *innatos*, quos ipſe Spiritus Sanctus indicavit, e. g. *Iſaaci, Moſis, Aaronis, Joſuæ, Tabernaculi, templi Salomonei, Davidis, Salomonis*, &c. in quibus explicandis multum operæ collocavit, & inter typos *illatos*, id eſt, qui pia quadam applicatione ad beneficia Novi Teſt. referuntur. His jure ac merito *Canticum Canticorum* accenſet, eo conſilio a *Salomone* haud dubie concinnatum, ut ſub imagine formoſiſſimæ dilectiſſimæque ſuæ conjugis ſtatum futuræ eccleſiæ Chriſtianæ mente præceptum repræſentaret. Quemadmodum enim hæc natales ſuos ad profanam gentilium ſuperſtitionem referebat, a *Salomone* vero, cui nupſerat, ad verum Dei cultum adducebatur (quem conjugii ſcopum Apoſtolus commendat *1 Cor. VII, 14.*); ita eccleſia Novi Teſtamenti ex gentibus collecta, & a Chriſto, ejusque Apoſtolis, ad ſpem ſalutis æternæ feliciſſimo ſucceſſu fuit perducta. Et, quoniam

Digitized by Google

Salomo hunc librum, amœnitatibus refertum, ſtiloque floridiſſimo conveſtitum, ætate adhuc florens exaravit, cum in ſtatu gratiæ verſaretur, neque polygamiæ inſerviret, quod aperte ex *Cantic. VI*, 7, 8, patet; ex eo temperanda videntur, quæ Cl. Autor ad *Cantic. I, 1*, attulit, affirmans, *Salomonem Pharaonis* filiam præ aliis dilexiſſe. Eodem conſilio Celeb. Autor *Tomo II* in explicanda forma regiminis Iſraelitici verſatus eſt, ſub cujus imagine conditionem eccleſiæ Chriſtianæ repræſentatam fuiſſe, docet. Illius enim hiſtoriam ex libris *Samuelis, Regum*, & *Chronicorum*, tam ſolicite & accurate perſequitur, ut non tantum ſuaviſſima *harmonia*, ſed etiam exactiſſima complementa, in Nov. Teſt. obvia, oculos incurrant, & lectorem maxima voluptate perfundant. In quo negotio expediendo cum prolixiſſimus fuit, & copioſiſſimus, tum reliquis interpretibus palmam præripuit, adeo, ut hoc uno momento inprimis commendabile hoc Opus videatur. Accedit ubique enucleatio antiquitatum orientalium, præcipue Judaicarum, ſolertiſſima, & ad intelligentiam Scriptorum Sacrorum egregie compoſita. Neque prætermiſſæ ſunt temporum computationes, neque provinciarum deſcriptiones neglectæ, neque familiarum enarrationes levi brachio pertractatæ. Singulis præterea libris neceſſaria notitia de Autore, argumento, & ordine, legitur præfixa: ſingulis etiam Capitibus commoda præmittitur diſpoſitio; & ferme ſingulis verſibus poriſmata, ſponte enaſcentia, & ad exercitium virtutum maxime idonea, ſubnectuntur. Speciminis loco ſufficiat initium librorum *Moſaicorum*, ubi S.Ven. Autor de conditore perſpicue & copioſe præfatur, exponens de ejus 1) nativitate, 2) educatione, 3) dotibus animi eximiis, 4) conjugio, progenie, & poſteris, 5) officio ſacerdotali, regio, & prophetico, 6) calamitatibus & morte, 7) ſcriptis, ad poſteritatem tranſmiſſis. His præmiſſis ſequitur *Geneſeos* liber, cujus demonſtratur 1) divina autoritas ex eo, quod ex hoc multa loca in Novo Teſtamento a Chriſto, Evangeliſtis, & Apoſtolis, repetita leguntur, e. g. *Gen. I, 1*, conf. *Jo. I, 1, Col. I, 16; Gen. I, 3*, conf. *2 Cor. IV, 6; Gen. I*, 7, conf. *2 Petr. III*,

III, 5; Gen. I, 27, conf. *Matth. XIX, 4, Marc. X, 6, 1 Cor. XI, 7, Eph. IV, 24, 1 Tim. II, 13.* Succedit 2) ejusdem argumentum & diſpoſitio. Complectitur nempe liber *Geneſeos* res ab orbe condito usque ad mortem *Joſephi* geſtas. Et hæc hiſtoria quidem VII periodis abſolvitur, quarum *prima* incunabula mundi usque ad tempora *Noachi Cap. I - VI* complectitur; *ſecunda* a *Noacho* usque ad *Abrahami* ætatem *Cap. VII - XI; tertia* ab *Abrahamo* usque ad *Iſaacum Cap. XII - XX; quarta* ab *Iſaaco* usque ad *Jacobum Cap. XXI - XXVIII; quinta* a fatis *Jacobi* in Meſopotamia usque ad ejusdem reditum in *Canaan Cap. XXIX - XXXIII; ſexta* a reditu *Jacobi* usque ad hiſtoriam *Joſephi Cap. XXXIV - XXXVI; ſeptima* usque ad extrema *Joſephi* fata, pertingit. Sub calcem librorum *Moſaicorum* accuratam *Moſis* & *Chriſti* comparationem ſubjungit Cel. Autor, multa cum perſpicuitate demonſtrans, illum hujus typum expreſſiſſimum fuiſſe. Id quod probat 1) ex *ejus nomine*. Sive enim *Moſen* per *extractum* explices, ſive per *extrahentem*, cum Chriſto præclare convenit, *Pſ. LXIX, 1, 2, Pſ. XVIII, 17 ſeq.;* 2) *ex nominibus officii*, cum dicitur *ſervus Dei, Num. XII, 7, 8, Jeſ. LII, 13, mediator, Gal. III, 19, 1 Tim. II, 5, 6, redemtor, Actor. VII, 35, Gal. III, 13, electus, Pſ. CVI, 33, Jeſ. XLII, 1;* 3) ex dotibus corporis ac animi. *Moſes* quippe erat filius bonæ indolis *Exod. II, 2, Pſ. XLV, 3*, ſapiens & prudens *Act. VII, 22, Jeſ. XI, 2*, manſuetus erga populum ſuum *Exod. XXXII, 32, Jo. XIII, 1*, placidus & humilis *Num. XII, 3, Matth. XI, 29*, fidelis & diligens in officio *Num. XII, 7, Pſ. LXIX, 10*, potens precando *Exod. XXXII, 11, 12, Jo. XI, 42*, ſui ipſius deſpiciens & mundi *Ebr. XI, 24 ſeq. Phil. II, 6 ſeq.;* 4) ex *triplici ejus officio. Moſes* enim fungebatur munere ſacerdotis, ſacrificando, *Exod. XXIX, 26*, orando, *Num. XIV, 19, 20*, & benedicendo, *Exod. XXXIX, 43*. Idem adminiſtrabat officium regis, *Deut. XXXII, 5*, leges ſalutares promulgando, *Actor. VII, 38*, populum ad harum legum normam judicando, *Exod. XVIII, 16*, defendendo atque ab injuriis vindicando, *Exod. II, 13, XIV, 1 ſeq.* Prophetæ vero etiam munia ſumma cum induſtria

ſtria *Moſes* obibat, *Devt. XXXIII, 1*, mutuo cum Deo colloquendo, *Num. XII, 6 ſeq. XIV, 20*, de rebus divinis verba ad populum faciendo, *Exod. IV, 30, 31*, miracula perpetrando, *Exod. VII, 14*, &c.; 5) ex diverſis afflictionibus, *Moſi & Chriſto* communibus. *Moſi* enim vix nato inſidiæ ſtruebantur *Exod. I, 22, Matth. II, 13*, idem ex aquis feliciter eripiebatur, *Exod. II, 5, 6, Matth. II, 14*, a Magis Ægyptiorum graviter tentabatur, *Exod. VII, 11 ſeq. Matth. IV, 1 ſeq.* variis, iisque acerbiſſimis, calamitatibus exercebatur, *Num. XII, 3, Jo. VIII, 58*, a ſuis cognatis male habebatur, *Num. XII, 1, Pſ. XLI, 10*, omnis generis conviciis obruebatur, *Num. XVI, 1 ſeq. Matth. XI, 19*; 6) ex variis fatis, quæ ambo fere paria habuerunt. Uterque enim fugiebat, *Exod. III, 15, Matth. XI, 19. Moſes*, in exilium expulſus, aliquandiu oves paſcendo, vitam in obſcuro agebat; ita Chriſtus anno ætatis ſuæ decimo ſecundo paternum opificium exercebat, *Marc. VI, 3. Moſes* ſingulari vocatione divina excitabatur, *Exod. III, 2 ſeq.* paria de Chriſto leguntur *Matth. III, 16, 17. Moſes* jejunando ad ſanctiſſimum munus inaugurabatur, *Exod. XXXIV, 28*, eodem modo Chriſtus, *Matth. IV, 1 ſeq.* Ille ſeptuaginta ſeniores muneris conſortes adſciſcebat, *Exod. XVIII, 19*, hic totidem diſcipulos ablegabat, *Luc. X, 1, 17.* Ille quidem tandem animam efflabat, ſed reſuſcitatus in monte Thabor apparebat, *Matth. XVII, 3*, paria de *Chriſto* leguntur *Luc. XVIII, 33.* Quanta vero inter *Moſen* & *Chriſtum* convenientia interceſſit, tanta dignitate hic illum ſuperavit, *Ebr. III, 2.* Differebat ſcilicet uterque ratione perſonæ. *Moſes* enim nudus homo, & peccatis erat obnoxius, *Num. XI, 15. Chriſtus* vero in una eademque perſona erat Deus & homo, *Rom. IX, 5.* Porro differebant ratione donorum, & adminiſtrantium, & ſanctificantium, quæ in *Moſe* erant finita, in Chriſto autem infinita, *Jo. III, 34.* Neque tam manſuetus *Moſes* erat, quin patientiæ jugum aliquando excuteret, *Num. XI, 15.* Longe igitur Chriſtum eum ſuperabat, *Jeſ. LIII, 7.* Id quod etiam de ſapientia, *Act. VII, 22, Col. II, 3*, & amore erga fratres, *Exod. XXXII, 32, Gal. III, 13*, itemque de fide in adminiſtranda provincia,

vincia, *Num. XII*, 7, *Ebr. III*, 5, 6, ſi invicem comparentur, debet affirmari. Differebant etiam ratione officii *Chriſtus* & *Moſes*. Hic nempe dignitate quidem regia utebatur, *Devt. XXXIII*, 5, hic vero per naturam rex erat, *Jo. XVIII*, 37. Tanquam ſacerdos *Moſes* animalia immolabat, *Lev. VIII*, 29, at *Chriſtus* ſemet ipſum, *Eph. II*, 2. Et ratione muneris prophetici potens quidem *Moſes* erat dicendo, longe autem potentior Chriſtus, *Matth. VII*, 29, *Jo. VII*, 46. Ad extremum differebant etiam afflictionibus & morte. *Moſes* quidem valde erat afflictus, *Num. XIV*, 3, Chriſti autem cruciatus multo erant graviores, *Pſ. XL*, 13. *Moſes* placida morte exſpirabat, *Devt. XXXIV*, 5, Chriſti vero mors violenta erat & contumelioſa, *Matth. XXVII*, 46. *Moſes* ſua morte nobis nihil promeruit, quemadmodum Chriſtus fecit, *Rom. V*, 10, &c.

Ex his unguibus leonem, & ex hoc ſpecimine utilitatem & præſtantiam horum *Bibliorum Parallelorum* Harmonicorum facile cognoſcimus. Habent igitur ſtudii Biblici & Exegetici amatores, quod ſibi gratulentur de ſubſidio hermenevtico, felicibus auſpiciis ſuſcepto & comparato. Habent vero etiam, quod S. Ven. Autori progreſſum hujus laboris fortunatum gratulentur, qui inter perpetuos muneris demandati ſtrepitus omnes difficultates adhuc bono cum Deo feliciter ſuperavit, & filum ita adhuc pertexit, ut in tam longo opere ſomnum ſibi obrepere non patiatur. Quod enim aliis, prolixiora negotia aggreſſis, identidem evenire videmus, ut animus delaſſatus, in operis progreſſu a ſemet ipſo veluti diſcedat, & ſtudium, quod initio fervebat, in medio tepeſcat, in extremis autem totus fere frigeat; id tantum abeſt, ut hoc in Opere deſideretur, ut potius, quo longius Autor progreditur, eo plus alacritatis atque induſtriæ appareat. Nihil igitur magis in votis habemus, quam ut vigori animi corporis valetudo ſufficiat, ne labor tam utilis & fructuoſus interrumpatur.

Paraphraſis und Anmerkungen über die Briefe Pauli, ꝛc. id eſt,

PARA-

PARAPHRASIS ET ANNOTATIONES IN Epiſtolas Pauli, ad Galatas, Epheſios, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Timotheum, Titum, & Philemonem, perſcriptas, Autore JOANNE DAVIDE MICHAELIS, Philoſ. Prof. Publ. Gotting.

Gottingæ, in Bibliopolio Joh. Wilhelmi Schmidii, 1750, 4 maj.

Alph. 2 plag. 7.

Multum & orbi erudito gratulamur de Autore magnæ doctrinæ & induſtriæ, & literis ſanctioribus de interprete optimæ frugis, & Commentariis ſolidiſſimis, diligentiſſime conſcriptis. Nobile jam nomen exſtat Autoris, ex translatione *Benſoniani* atque *Peirciani* Operum ſatis cognitum, cui utrique in adjectis uberioribus explanationibus multum laboris impendit. Pergit nunc amatores divinioris ſcientiæ obſtrictiſſimos ſibi reddere eleganti interpretatione Epiſtolarum *Pauli* breviorum, cujus inſtituti rationem ex mente Autoris cum lectoribus communicare, noſtri omnino eſſe officii putamus. Duplicem hac in re ſibi habet propoſitum finem, ex edenda hac Commentatione ſatis certo conſequendum, tum ratione auditorum, tum intuitu aliorum hominum, ſive docti, ſive indocti, audiant. Prioribus librum tradere voluit, quo filum quaſi haberent Ariadnæum, in prælectionibus Academicis, inter tot rerum argumenta, & dicendorum copiam, commode viam monſtrans. Poſterioribus vero ea de cauſa navare voluit operam ſuam Autor, quo intellectu faciliorem nanciſcerentur librum, ex quo de ſenſu Apoſtoli vero & genuino redderentur certi. Quos inter ſi qui ſint, autoritatem verbi divinitus ſcripti negligentes, vel temere ſollicitantes, quaſi indigeſta ubique appareat moles, illi de connexione pulcherrima Scriptorum ſacrorum ex Autoris annotationibus & paraphraſi convinci poterunt. Ad paraphraſin ipſam quod attinet, ita illa

illa eſt adornata, ut nihil, niſi quod cum vero *Pauli* ſenſu, ejusdemque cogitatis, veriſimiliter conveniat, evolvatur, & pluribus atque dilucidioribus verbis id dicatur, quod ille breviſſimis dixerat. Inprimis concinnitatem, brevitatem, & perſpicuitatem, in paraphraſi omni adhibendam, ex induſtria aſſequi ſtuduit. Annotationes triplicis ſunt generis. Aliæ repetunt ex notiſſimis libris ea, quæ ad paraphraſin recte intelligendam neceſſario adducenda videbantur; quin imo rationes continent, quare explicatio quædam antiquior præ recentiori alia locum ſibi poſtulet priorem. Plurimæ tamen notæ, quæ ſecundum genus conſtituunt, deſcribunt ea, quæ noviter ad explanandas *Pauli* Epiſtolas ſibi attuliſſe viſus eſt Autor. Aliæ denique annotationes, ad tertiam claſſem pertinentes, ex Anglicanis Autoribus ſunt excerptæ, ex *Whitbii* ſcilicet, *Lockii*, *Peircii*, & *Benſonii*, in Epiſtolas *Pauli* Commentariis, inter Germanos parum cognitis. Facile perſpicimus ex his, multum commodi redundare ex hujusmodi labore in rem ſacram, diligentioremque Codicis ſacri explanationem. Dabimus ſpecimina quædam, tam ex paraphraſi, quam notis Autoris, decerpta, ut hinc de reliquis exiſtimare Lectores poſſint. *Sic v. g. Gal. II, 6*, hanc profert Autor paraphraſin luculentam: Pag. 10.
Ab iis vero, qui maxima in eccleſia autoritate pollebant, (quanta quanta eorum ſint merita,) doctrina mea ac Evangelium meum nulla ex parte ſecedebat: licet illi, pio zelo res tractantes, non plane cum doctrina conſentire viderentur. Res ſalva atque integra manebat, Deum nullius perſonæ rationem habere, nec Judæum ipſi eſſe magis gratum, quam gentilem hominem. Hi enim in cœtu ſanctiori conſpicui viri nihil ad doctrinam meam Evangelicam addebant. Non ſolum plana eſt hæc verborum rerumque circumductio, ſed plane noviſſima ſententia etiam eſt Autoris, qua, hic *Paulum* de ſublata inter Judæos & Ethnicos differentia diſputare, lectores monet. In ſequenti *verſu 17* διάκονος ἁμαρτίας 15.
dicitur ille, qui homines ratione officii & miniſterii ſui de peccatorum culpa graviſſimoque reatu convincit, ita tamen, ut liberare eos ex hac abyſſo nequeat: qualis eſſet Chriſtus,

ſi verum eſſet, peccatores eſſe in judicio divino omnes, qui credunt in eum. Nullam tunc aliam ſuſtineret perſonam Chriſtus, quam gregarii ſacerdotis Vet. Teſt. qui in offerendis ſacrificiis non ſatisfactionem, ſed commonefactionem, peccatorum conficiebat. Vocabula Græca *διὰ νόμου νόμῳ ἀπέθανον* hanc in dicendo formam Teutonicam complectuntur: *Ich bin durch ein Geſetz einem Geſetz geſtorben.* Quo etiam Celeb. *Heumannus* antea digitum jam intendit. Idem valet annotatio ad *Epheſ. VI, 2*, a Cl. Autore ſuppe-
Pag. 16. ditata. Abrogationem legis *Moſaicæ* explicat Noſter de tota legis *Moſaicæ* forma, ita ſcilicet capite imminutæ, quatenus ex autoritate *Moſaica* non obligat, licet ex lege naturæ obli-
23. gatio nulla ex parte ceſſet. Penes alios ſit judicium de hac Autoris explanatione. In *Cap. III v. 15* in ſua perſtat ſententia, antea jam adoptata, *διαθήκην* minime *teſtamentum*, ſed *fœ-*
27. *dus*, eſſe explicandum. Verba difficiliora *Capitis* hujus *verſ. 20* ita circumſcripta leguntur: Hæc vero lex, ratione Ethnicorum, nihil de fœdere Dei ſuperiori mutare valet. Altera enim pars, Ethnici ſcilicet, ad hoc fœdus pertinens, *Moſen*, mediatoris autoritate, cognitum non habebat, nec quidpiam de illo ipſi notum erat; Deus vero ipſe unica modo eſt pars, & ſuum fœdus mutare nequit per mediatorem, ex altera modo parte confirmatum, ſeu, quod dicitur, unilateralem. *Lo-*
29. *ckii* ſe hic veſtigiis inſtitiſſe, Autor monet. Minime vero conſentientes nos habet, in *Cap. IV, 1*, ubi de hærede infante *Paulus* diſputat, de puero, ſub pædagogis conſtituto, ſermonem eſſe, ſibi perſuadens. Quæ tamen explicatio ne literam quidem Græcam faventem habet. Quin imo, quod doctus quidam Vir ante paucos annos ſolide declaravit, ex lege Romana tunc temporis patribus poteſtas eſt conceſſa, de tutoribus pro ſuo arbitrio ad certum annorum numerum proſpiciendi infantibus. Meminimus etiam, doctiſſimum quendam Virum hanc, ab Autore adoptatam, ſententiam dicere inconcinnam, & incongruam plane, quoniam *νήπιος* non, quia *κληρόνομος* eſt, ſub ſervorum, patre vivente, imperio eſt, ſed quia puer *νήπιος* eſt, cujus mores formare debet magiſter.

Digitized by Google

ſter. Et ſic friget oratio *Paulina*. In *verſ. 4*, γενόμενον Pag. 31.
ὑπὸ νόμον, transfertur: *genitum ſub lege*. Non inconcinne,
ex noſtro judicio. Ἡ ἄνω Ἱερουσαλὴμ Autori eſt illa Hiero- 38.
ſolymorum facies, qualis fuerit ante tempora *Moſis* ſub *Mel-
chiſedecko Geneſ. XIV*, libera ſcilicet a legibus *Moſaicis*. Quam 54.
ſententiam nuperrime pro cathedra defendiſſe Autorem, conſtat.
Sub finem hujus Epiſtolæ peculiarem atque prolixiorem affert
Noſter obſervationem ad *verſus 20 & 29 Cap. XV Actuum*, ubi,
πορνείαν non pro ſcortatione, ſed pro mercede meretricia, in
templis ethnicorum conſueta, accipiendam eſſe, ſtatuit. Ad
Epiſtolam properamus *Pauli* ad *Epheſios* perſcriptam, & hic 4.
recenſitam. In genere hic notat Autor duo, quorum prius
hoc eſt, *Paulum* in hac Epiſtola idem tractare argumentum,
quod in Epiſtola ad *Coloſſenſes* ſibi ſumat. Deinde monet,
Apoſtolum hic de duplici hominum genere loqui, quorum
aliud *nos*, ſcilicet Judæos, aliud *vos*, Ethnicos nimirum, indi-
gitet. Aſſerit etiam in ipſo ſtatim limine, Epiſtolas ad *Epheſios*,
Coloſſenſes, & *Philemonem*, circa unum idemque tempus eſſe
exaratas. Priorem Epiſtolam ad *Timotheum* datam meliori
jure dici mereri Epiſtolam ad *Epheſios* ſcriptam, quam ad
Timotheum, quia ad eos maxime, ex autoritate aſſentientis 9.
noſtri Autoris, pertinuit. Ad *Cap. II v. 14* obſervationem
ex *Whitbii* Commentario profert Noſter elegantem de voca-
bulo περιποιήσεως, quod proprietatem, ſeu peculium, & qui-
dem tale, notat, quod ſervatur vivum, quod ex uſu Biblico
interpretum LXX confirmatur, ubi περιποιεῖν ſæpius notat vi-
vum conſervare, v. g. *Geneſ. XII, 12*, *Exod. I, 16*, *Num. XXII*, 11.
23, *Joſ. VI, 17*. Nec minus ad *v. 18* notatur, τῆς κληρονο-
μίας uberiorem affluentiam inter ſanctos ſignificare pecu-
lium Dei, quod ex ſanctis hominibus conſtat. Hinc in Para-
phraſi hæc verba ita fluunt: & quænam incredibilis ſit glo-
ria, quod eccleſia ejus (Dei) ſit immediata ipſius poſſeſſio &
hæreditas. Quod ſecundum vulgarem ſententiam multo ali- 23.
ter convertitur. In *verſu 9 Cap. III* ita fluit paraphraſis:
Ut prædicarem (*Paulus*) inter Ethnicos, & omnes ſine diſcri-
mine perſonarum docerem, quam lætabundam atque novam
œconomiam Deus in eccleſiam introducturus ſit. Ex quo ſi-

 mul

Digitized by Google

mul apparet, Cl. Autorem *οἰκονομίαν* hic meliori jure legere,
Pag. 26. quam *κοινωνίαν*, quæ vulgaris eſt lectio, parum fundata. Minus tamen recte aſſerit Noſter ad *verſ. 19*, miracula fuiſſe luculentiſſima teſtimonia præſentiæ divinæ in eccleſia,
31. cum præter ea multa alia clariſſime adfuerint criteria. *Cap. IV, 10*, multa docte, nimis tamen acriter, obſervantur ad vocabula *πληρώσῃ τὰ πάντα*, ubi hanc Noſter addit paraphraſin: Ut cœlum æque & terram donis ſuis impleret. Sed nec hæc veri nobis adeo ſimilis videtur explicatio. Quo enim pertineret accumulatio bonorum inter cœlites? Nec vocabulum de donis occurrit in textu. Quid impedit, quo minus ipſis verbis inhæreamus: Ut omnia impleret, & ſic quoque
50. vaticinium de donis, a cœlo mittendis? Quod utique implendum erat. In principio *Capitis ſeptimi* accurate ſolideque evincit Noſter, adhortationem *Paulinam* pertinere ad alacritatem & fortitudinem animi, quo peſſimis doctoribus obviam irent, ne puritas doctrinæ labe adſpergeretur. Scopum hunc Apoſtoli veriſſimum videri, patet ex eo, quod *Paulus* præviderat, lupos inter gregem Epheſinum irruentes eſſe futuros, *Act. XX, 29, 30*. Quod & vere deinde accidit, uti Hiſtoria loquitur eccleſiaſtica. Nec diffitemur, Cl. Autorem hanc Pericopen eleganter explicaſſe. Paucula adhuc delibare juvat ex ſequenti Epiſtola ad *Philippenſes*, reliqua lectoribus, ne nimis
4. copioſi ſimus, relicturi. *Cap. I v. 5* hanc nobis ſub finem commatis Autor exhibet paraphraſin: Per copioſiores eleemoſynas oſtendiſtis, vos omnia deſideria & ſumtus in cœtus ſanctiores pro veſtris habere atque reputare. Videmus hinc, quod & in Notis docetur, *κοινωνίαν* intelligi de eleemoſynis,
6. inter fratres collectis. Paulo poſt *διαφέροντα* exponuntur per rixas & contentiones, in eccleſia ortas, ubi excitantur loci conſentientes *Gal. II, 6, Rom. II, 18*. Sed optaſſemus, Autorem hanc interpretaiionem vocabuli Græci ex probatæ fidei Autore attuliſſe. Interim dubitamus, an vera huic vocabulo hujus rei notio inſit. Excitati ſaltem loci Biblici nihil probant. Forte feſellit Autorem uſus Gallicus, plebejus quidem, vocabuli Latini *differentia*, ex quo fluit illud *difference*,

quod

quod uſurpatur de ambagibus controverſiarum, *Weitlauftigkeiten*, quod Germani dicunt. *Cap. II v. 5* ita circumſcribuntur Græca: Licet Chriſtus antea, & ſub temporibus Veteris Fœderis, ſub divina ſpecie appareret, &c. Monet hic Autor, Chriſtum ſub incarnatione depoſuiſſe majeſtaticam ſuam ſpeciem, quam præſentem exhibuerat in Vet. Teſt. & pauperrimam induiſſe formam. Paucis interjectis, ad locum *Jeſ. XLV, 23*, longam affert obſervationem, qua ea explicantur, quæ *v. 11* hujus *Capitis* occurrunt. *Cap. III v. 20* vocabulum Græcum ἰσόψυχον ex *Peircii* opinione verbis circumductis dicitur, qui eandem mecum inclinationem, eosdem affectus, habet. Anglus enim excitatus confirmaſſe dicitur ſolide, ψυχὴν eſſe non tam rationem, quam affectus. *Cap. IV, 11*, vocabula Græca εἴ πως ita expenduntur, ut fortiſſima deſideria *Pauli* non ſolum, ſed dubitationem etiam ſanam, intendant, ſiquidem fieri etiam potuiſſet, ut *Paulus* recederet a veritate, & vitæ æternæ jacturam faceret. Paulo poſt *v. 20* paraphraſin ita inſtituit ſuam: Gloriantur iſti de partibus corporis, quarum nos naturaliter pudet. In annotationibus profitetur Noſter, ſe accedere eorum explicationi, qui gloriam ex circumciſione magni faciunt ſecundum veterem explicandi rationem. Præclaram ducimus etiam obſervationem ad *verſ. 15*, non temere ex rationibus Romanorum petitam, & ad rem præſentem applicatam, ubi paraphraſis ita fluit: Ex Macedonia cum exirem, nulla eccleſia mecum rationes contulit ordinarias, & ſtatis temporibus mihi alimenta miſit, niſi vos Philippenſes ſoli. Hinc vocabula δόσεως καὶ λήψεως explicantur ex actionibus accepti & expenſi. Ex eodem dicendi genere in Epiſtola ad *Philemonem v. 18* illuſtrantur vocabula Græca ἐλλόγει ἐμοὶ, ubi obſervatio moralis non vulgaris tenoris ab Autore additur. Quod non incommodum videtur. Multa adhuc in his Commentariis lectu digna judicanda ſunt, & reliquis etiam *Pauli* Epiſtolis clariſſima lux affuſa. Pertinent huc vel maxime verba Autoris in Epiſtolam ad *Titum III, 5*, de *regeneratione* prolata, ubi regeneratio-

Pag. 11. 13. 18. 25. 33. 127.

nis actum pro tali habet decreto, ſecundum quod aliquis pro filio *Abrahami* recte a Deo habetur. Copioſe ex hac hypotheſi enarrat colloquium, Chriſtum inter & *Nicodemum* habitum. Quod an omnium ſit ſuffragia laturum, omnino dubitamus. Interim tamen non negamus, Autoris ſententiam cum illa Theologorum noſtratium aliqua ex parte convenire, quod ipſe etiam non plane negat. Ex mente Judæorum de his omnibus ita diſputat. Sed quæſtio eſſet decidenda ex mente Spiritus Sancti. Quin multa ſunt ex quæſtionibus *Nicodemi* huic ſententiæ ſi non contraria, difficile tamen ex illa expedienda. Satis nunc teſtimoniorum attulimus, quibus fidem dictis noſtris fecimus de induſtria & doctrina Autoris, cujus ſtudium in literas ſanctiores propediem nobis plura pollicetur tam præclara ſpecimina. Inter quæ monendum eſt, futuris eum nundinis vernalibus alteram Partem Anglicanæ editionis Epiſtolæ ad Hebræos, ab *Halleto* continuatam, ſuis ſumtibus prelo eſſe ſubditurum, ne dilaceratam & affectam poſſeſſores habeant explicationem & paraphraſin hujus Epiſtolæ ad Hebræos, ab Autore editæ. Quod ut recte peragatur, ipſi valetudinem corporis firmam, & felicitatem apprecamur omnigenam.

SPECULUM VIRTUTIS ET SCIENTIÆ, ſeu Viri Illuſtres Ordinis Servorum B. M. V., qui præ ceteris quamplurimis, ſeu Religione, ſeu Eruditione, conſpicuis, pietate, doctrina, dignitate, per quinque Secula floruere, quaſi per Laconiſmum mundo erudito exhibitum a P. AMIDEO MARIA MARKEL, ejusdem Ordinis Lectore Theologo.

Norimbergæ & Viennæ, apud Joannem Adamum Schmidt, 1748, 4.

Alph. 1 plag. 9.

Si quidem Rev. *Markelius* de Laconum loquendi ac ſcribendi genere unanimes narrationes, aut ſaltem apud nos

A.

A. 1736 ac ſequenti de Laconiſmo, deque Atticiſmo, a docto
quodam Viro habitas Diſputationes, legiſſet; forſitan neque
Laconiſmum ſibi, nec quaſi Laconiſmum, tribueret. Interim
eſt laudabilis, quem ſibi præfixit, ſcopus, quo, dummodo canti-
lenam non repetit, dignum laude virum intercidere vetat.
Opinatur enim, quodſi vim *Demoſthenis*, copiam *Platonis*, Pag. 4.
efficaciam *Ciceronis*, jucunditatem *Iſocratis*, ſubtilitatem *Ly-
ſiæ*, ſplendorem verborum, blanditias, lenitatem, ac ſonitum,
Æſchinis, acumen *Hyperidis* & argutias, gravitatem *Cato-
nis*, ardorem *Callæ*, ſapientiam *Lælii*, *Philippi* aculeos, *Le-
pidi* ſtilum, *Julii* facetias, *Carbonis* profluentiam, *Sulpicii*
granditatem, vim *Antonii*, *Craſſi* leporem, ſuavitatem *Catul-
li*, *Cottæ* proprietatem, ſplendorem *Cæſaris*, *Hortenſii* flores
& actionem, publice commendemus, fas pariter eſſe, Ordinis
ſui viros, quos ſublimes virtus, ac ſcientia fecerit æquales,
produxiſſe. Eo igitur conſilio non ſolum duobus abhinc
luſtris & quod excurrit *Viridarium*, quod appellat, *antiquo-
novum* publici juris fecit, ſed nunc & hocce nobis Speculum
intuendum proponit. Excuſat ejus externam ſpeciem, ac ſti-
lum defendit. Non lædere fidem Chriſtianam ſtilo profano
cupit, mavult eſſe barbarus, quam impius: quaſi nihil eſſet
intermedium, ac neceſſario contaminaretur interna perfectio,
externa ſi conjungeretur. Non vult *angelos genios* appellari, 8.
ac *baptizare*, *abluere;* haud intercedimus. Quid, ſi autem
nuntios cæleſtes ſpiritus divinos dixeris? Quid, ſi ſacro
fonte tingere, abluere aqua conſecrata? Num quis me-
rito vituperabit? Sed plura ſunt vocabula. Igitur fas
eſt, barbaris, peregrinis, recentioribus, obſcurioribus, obruere
Latinitatem? Quaſi vero Ebræa in ſanctiſſimis literis N. Teſt.
adhibuerit ſpiritus divinus, ac μελαχῆμ dixerit, cum ἄγγελοι
apud Græcos ſint nuntii humani; aut aliud, neſcimus quod,
adhibere vocabulum, cum βαπτίζειν & lavare, vel tingere ge-
neratim, notet; aut uno ſingula verbo enuntiare, debuerit,
quæ pluribus ſæpe cum gratia proponuntur. Manſit nimi-
rum ea labes de Scholaſtica barbarie, quam quidem *Cicero-
niani* ſuperſtitioſiores ſiniſtro fato tollere laborarunt; neque
tamen

tamen minus ſiniſtro ab aliis ita retentam & confirmatam, ut, frigentibus paſſim elegantioribus literis, amplificatum iri potius, quam imminutum, arbitremur. Ita vero & Noſter
Pag. 8. purius loqui veretur; *Marianæ* ſeſe *religioni* addicere non ita: quæ num imminuat accuſationem, cui ſe alii, in iisdem caſtris militantes, tam vehementer oppoſuerunt, an augeat, viderint acutiores. Nos autem ad rem ipſam progredimur. Ordine literarum, prænomina incipientium, occurrunt ibi plurimi viri magnam partem obſcuriores, quorum tamen memoriam neque hic primum renovari animadvertimus. Per utrumque nobis eſſe licebit brevioribus, ac Noſtri quodammodo æmulari Laconiſmum. Hinc vel duo ſpecimina, & quidem, ut ſimul Autoris, non adeo contemnendus, pateat ſtilus, ipſius
22. verbis, indidem excerpemus. Alterum eſt: *P. Andreas Ziani*, Venetus, tantæ eruditionis & exiſtimationis apud illum Senatum, ut pro ea Republica Orator in Baſileenſi Concilio deſtinatus fuerit: vir quidem profundæ memoriæ, elegans Poeta, ac peracutus Philoſophus, & inſignis Theologus, quique in ſacram *Geneſin*, & in moralia *Ariſtotelis*, præclaros Commentarios edidit, & elegantiſſimas Orationes vulgavit. Hunc virum fuiſſe proprium virtutis hoſpitium, dicit *Maphæus*, morum domicilium, honeſtatis exemplum. Apud urbem Tubingam Metaphyſicam profeſſus per tres annos, in celebri illo Gymnaſio fuit *Scoti* doctrinæ ſubtiliſſimus ſectator. Nominis ejus celebritate longe lateque diffuſa, Romam vocatus adiit, ut ſacram ibi Theologiam profiteretur, ubi tamen non diu permanſit; variis enim corporis infirmitatibus laborare cœpit, ideoque patriam repetere coactus, ibidem A. 1423. die 8 Jan. e vivis exceſſit, qui, ſi Romæ diutius commoratus fuiſſet, utpote *Martino V*, Summo Pontifici, maxime acceptus, & maximo in pretio habitus, prout communis ferebat opinio, inter purpuratos Patres cooptatus fuiſſet. Edidit præclarum opus, quod inſcribitur: *Campus florum*. Alterum eſt: P. *Archangelus Maria*
40. *Gianius*, Florentinus, Orator & Declamator celeberrimus, talis

Digitized by Google

taliſque eloquentiæ & ſuavitatis, nec non virtutis in ſuadendo, ut præcipuæ Italiæ urbes, Mantua nimirum, Senæ, Alexandria, Tudertum, Rhegium, Venetiæ, Verona, Belunum, Neapolis, Aretium, Cortona, Florentia, Bononia, ac denique Roma, tum in eccleſia noſtra S. *Marcelli*, tum S. Spiritus in Saxia, tum S. *Laurentii* in Damaſco, tum aliæ civitates, pluries illum audire contenderint, e ſacro ſuggeſtu declamantem. Hinc minime mirum, quod plura Quadrageſimalia reliquerit, pluresque Conciones, tum in Adventu, tum infra annum, habitas. Plura item alia eruditioni poſterorum reliquit, quæ in Bibliotheca noſtra D. *Annuntiatæ* de Florentia aſſervantur, nonnulla quidem typis mandata, nonnulla vero MSta duntaxat. MStæ ſunt quindecim Lectiones ſuper *Miſſus eſt*; plures aliæ ſuper Antiphonam, *Salve, Regina*, omnes Florentiæ habitæ; Lectiones & Contemplationes ad Mulieres de vita B. M. V. habitæ Cortonæ; Lectiones ſuper *Geneſin*, habitæ Florentiæ, Conciones omnes per Quadrageſimam, per Adventum, & infra annum, habitæ. Typis mandata fuerunt: Lectiones Caſuum Conſcientiæ, habitæ Cortonæ; Lectiones ſuper Decalogum, habitæ Florentiæ; Lectiones de Cenſuris, & his multo plura.

Vollſtändige Abhandlung der Chemie, ꝛc.

id eſt,

CONSPECTUS CHEMIÆ THEORETICO-practicæ, in quo phyſica, inprimis mineralium, corporum naturalium, principia, relationes mutuæ, proprietates, vires, & uſus, docentur a D. JOANNE JUNCKERO, Profeſſ. Medic. Publ. Ordin.

Pars. I.

Halæ, ex Orphanotropheo, 1749, 4.
Alph. 4 plag. 9.

Digitized by Google

Celeberrimi *Junckeri* ſcripta pleraque ſingulare hoc habent, ut doctrinarum tractandarum capita in Tabulis proponantur, quæ unico fere intuitu ſub certis notis, quæ cognoſci debeant, proponunt. Hunc quoque ordinem in Chemia obſervavit, quæ ante plures jam annos Latino ſermone prodierat, nunc vero in Germanicam translata fuit linguam, quo pluribus ſcilicet, pharmacevtis, aliarumque artium ſtudioſis, nec non rei domeſticæ adminiſtrationi, inſervire queat, qualem quidem ſe finem ſibi præfixum habuiſſe, Cel. Autor docet. Pauca hinc inde in ipſo Opere mutata ſunt, nihil vero in propoſito prius ordine; ipſam autem verſionem in ſe ſuſcepit Clariſſ. *Jo. Joachimus Langius*, Mathematum apud Halenſes Prof. Publ. qui & eam cum Cel. Autore communicavit, & varia, eo concedente, vel emendavit, vel adjecit. Sed, cum quidam rerum nexus ſit in omni ſyſtematica, ut vocant, ſcientiarum tractatione, diverſa, quæ in ordine mutari poterant, retinere maluit. Totum Opus *tribus* abſolvitur *Partibus*, quarum hæc *prior* generalem Chemiæ conſiderationem tractat; *altera* metallorum diſquiſitionem, *tertia* ſulphurum, ſalium, fermentationisque, hiſtoriam exponet.

Anleitung, über natürliche Begebenheiten ordentlich und vorſichtig nachzudencken, ꝛc.

hoc eſt,

CHRISTIANI AUGUSTI CRUSII, PHILOS Prof. Publ. in Acad. Lipſ. Introductio ad res naturales appoſite & caute meditandas.

Tomi II.

Lipſiæ, ex officina Jo. Frid. Gleditſchii, 1748, 8.
Alph. 3 plag. 14, Tabb. æn. 3.

Habet omnino ætas noſtra, cur ſibi gratuletur de inſigni apparatu, qui ad proferendam rem phyſicam hoc & ſuperiori Seculo a viris doctis ex omnibus artibus & ſcientiis adve-

vectus & conquiſitus eſt. Studium Philoſophiæ naturalis huc uſque ſollicite excultum, & experimentis partim & hiſtoria naturali, partim mathematicis profectibus, eorumque ad objecta Phyſices applicatione, effectum eſt, ut, qui alioqui dubitant, quibusnam temporibus in literis primæ debeantur, priſcis, an recentioribus, ſaltem in rei phyſicæ apparatu noſtræ ætati palmam facile adjudicent. Quoniam tamen, quæcunque ſenſibus per experimenta patefiunt, ſubſidium quidem ſunt Phyſices, princeps illud quidem & abſolute neceſſarium, at vero ſcopo illius nondum ſatisfaciens, aut ad ἀκμὴν eam perducens; danda eſt opera, ut ſenſim, caute tamen, apparatu phyſico ad detegendas, propiusque perſpiciendas, rerum naturalium cauſas utamur. Sæpe multumque cauſarum naturalium explicatio infelici ſucceſſu tentata fuit. Olim ad ſubtiles de iis diſputationes deproperabatur, antequam experientiæ, ex quibus colligere liceret, in promtu eſſent. Sed recentiori etiam ætate haud pauci, qui experientiis jam ſufficientibus inſtructi fuiſſent, graviter nihilo ſecius lapſi ſunt, ubi ad decernendum de cauſis rerum naturalium animum adjecerunt, quod qua de cauſa contigerit, jam diſquirere nihil attinet. Pauca hæc præfari duntaxat debuimus, quoniam Cl. Autor his rationibus ad elaborandum opus ſuum de meditatione compoſita & cauta ſuper cauſis rerum naturalium, quod principi hæredi Electoratus Saxonici, decori gentis ſuæ, inſcriptum eſt, inductus fuit, in quo quidem ita verſatus eſt, ut, æquos arbitros facile judicaturos, confidamus, eum permultos anteceſſores magno intervallo poſt ſe reliquiſſe. Probavit idem Autor ſtudium pariter atque acumen ingenii in reliquis Philoſophiæ partibus ſcriptis ſuis ſolide dilucidandis, in quibus non minus nova multa, ac judicio doctorum virorum apprime comprobata, inſunt. Jam, opere phyſico accedente, ſyſtema ſuum philoſophicum ad finem perduxit, &, quam commode principia, ab ipſo ſtabilita, ad rationem rerum naturalium reddendam transferri queant, ipſo facto docuit.

Equidem, ſingula percenſere, quæ in Cl. Autoris libro notatu digna videntur, hoc loco nimis longum eſſet, cum ſin-

gulæ fere plagulæ res partim gravius & accuratius, quam vulgo fit, pertractatas, partim novas etiam, offerant. Quapropter duntaxat ſeriem *Capitum* indicabimus, de unoquoque potioribus quibusdam ſpeciminis loco notatis. Univerſa hæc Phyſica *duabus* abſolvitur *Partibus*, *altera* generali, quæ de principiis Phyſices, & communiſſimis rerum attributis, præcipit, *altera* ſpeciali, quæ varia corporum genera, & quæ circa illa occurrunt, perluſtrat. Quantum ad *primam Partem*, *Cap. I de Phyſica generatim, ac potiſſimum de probabilitate phyſica*, agitur. Exponuntur autem tum principia, quibus omnis disquiſitio phyſica contineri debet, in quibus ipſi etiam nexui rerum cum officiis & cum felicitate hominum ſuæ partes ſunt, tum præterea regulæ probabilitatis phyſicæ diſtinctæ afferuntur & vindicantur, quas Cl. Autor in Logica ſua, qua in doctrina de probabilibus nihil exactius huc usque vidimus, promiſerat. Sequitur *Caput II de materia & corporibus generatim*, ubi, quid interſit inter diviſionem phyſicam & mathematicam, nec non de indole elementorum, & ſpatio, late exponitur. Vindicat vero Cl. Autor elementis figuram & vim activam, novaque hujus rei argumenta affert; attamen in ſequentibus theoria ſua modeſte, atque ita, utitur, ut, qui, argumentis ejus ſe vinci, non patiuntur, non ideo fructu ad res naturales ex ejus libro capiendo excidant, dummodo, ubi elementa is credit, hi corpuſcula ſubſtituant.

Pergit Cl. Autor *Cap. III* ad *cauſas motuum phyſicas*. Reprehendit abuſum notionis de vi inertiæ, qua perperam accepta, aliqui jam rerum phyſicarum omnem fere intelligentiam
Pag. 178. tollunt. Negantur omnes virium motricium veræ transmiſ-
ſiones ex corpore in corpus, doceturque, movens quodcunque non niſi cauſam occaſionalem eſſe, quæ actione ſua conditionem producat, qua vis cuique elemento domeſtica & inſita concitetur. Rationem porro reddit, cur, quoties hoc accidit, conditiones activitatis virium motricium in corpore movente tantundem pereant, quantum in impulſo concitan-
205. tur, quo facto, vis motrix ex corpore in corpus tranſilire videtur. Sequuntur *Cap. IV leges motus*, utiliſſimo delectu

pro

pro ſtudio Phyſices generalis conquiſitæ, & in ſuas claſſes diſtinctæ. Demonſtrationes earum phyſicæ ſuppeditantur, ex cauſarum indole repetitæ, quas Autor a mere mathematicis ſollicite vult diſtingui, quarum hæ recte inſerviunt Matheſi, ſed Phyſicorum inſtitutis nondum ſatisfaciunt. Multa hic Pag. 257.
ſunt attentione digna circa leges corporum elaſticorum, quæ ab aliorum placitis interdum ſecedunt; de motu accelerato, vel retardato, corporum deſcendentium, vel adſcendentium, cujus cauſæ perſpicue expoſitæ ſunt; de vibratione pendulorum, 310.
ubi dubia non contemnenda moventur contra ea, quæ ex obſervationibus pendulorum de variabili corporum gravitate colligi ſolent; de modo & reſtrictione obſervanda in legibus pendulorum ad chordas vibrantes transferendis; de uſu ea- 316.
rundem legum ad reperiendas leges refractionis, ubi Cl. Autor ſumma pro Opticis principia eleganter ex cauſis mechanicis demonſtravit, quæ tam late patent, ut deinceps *Parte ſecunda* difficillima circa lumen phænomena convenienter ex- 159, 663.
plicet, & ipſius inflexionis luminis cauſas mechanicas reperiat; de viribus corporis ex fune medio ſuſpenſi; de tubulis 349.
capillaribus, aliaque complura. Sed hæc apud ipſum legi debent, nec breviter delineari poſſunt.

Succedit *Capite V & VI* tractatio *de communiſſimis corporum attributis*. Operoſus hoc loco ante omnia eſt Autor in refellenda *vi attrahente*, quatenus non pro mere mathematica, uti *Newtonus* voluit, & ipſe appellavit, ſed pro vi phyſica, venditatur, quam poſthac etiam ſæpius cum phænomenis pugnare monſtrat, nec non in *exiſtentia ætheris* experimentis demonſtranda, ejusque exponenda varietate. Deinde quæritur, primum cur *corpora ſe invicem penetrent*, & cur materiæ, in fluido natantes, *æqualiter diſtribuantur*, quarum rerum ratio mechanice redditur, & oſtenditur, corpus tunc ſemper urgeri verſus locum minimæ reſiſtentiæ. Poſtea ad *cohæſionem* progreditur, cujus cauſa externa ſtatuitur, & expreſſione ætheris repetitur. Singulare eſt Autori, quod, cum hoc ab aliis generatim dictum ſit, ſingula phænomena ſigillatim perluſtrat & ſolvit, quo facto difficultates, quæ huic

 ſenten-

ſententiæ primo intuitu graviſſime adverſantur, evaneſcunt. Hinc quoque de *repulſione*, *ductilitate*, *fluiditate*, *mollitie* & *duritie*, *friabilitate*, & *ſciſſilitate*, atque *frictione*, copioſe diſſerit, rationesque harum qualitatum phyſico-mechanicas ſub-
Pag. 505. miniſtrare, & experimentis comprobare, ſatagit. Diſputat deinceps de *elaſticitate*, quam duplicem facit, phyſicam & mechanicam: quarum illa ad elementa, hæc ad corpora, ex his coagmentata, pertinet. Qui, priorem illam per petitionem principii ſumi, ſibi perſuadent, argumentis fortiter repelluntur. In applicanda autem theoria ſua ad potiores caſus Autor ſollicitus eſt.

Jam Cl. Autor ad exponendam *gravitatis* rationem ſe accingit: qua in re ſolertia ejus præcipue laudem meretur. In pervulgata ſententia de gravitate materiæ univerſali aliquid confuſionis ineſſe, variæque indolis tendentias miſceri, docet.
532. Confutat ſententiam *Carteſii*, *Hugenii*, *Bernoullii*, aliorumque, de gravitate; vim attrahentem vero ab Autore repudiari, jam diximus. *Gravitatem corporum in tellure*, vel alio quocunque corpore mundi totali, a cauſa externa, æthere nimirum, repetit, qui comprimat tellurem, &, quæ ab ipſa ſeparantur, re-
541. primat. Sigillatim rationem reddit, cur directio gravitatis ſit perpendicularis ad lineam horizontalem, cur gravitas maſſæ proportionalis, quomodo mutari poſſet, & reliqua. Quibus expeditis, ubi Autor ad *gravitatem corporum mundi totalium* venit, planetarum primariorum verſus ſolem, ſatellitum verſus planetas, de motu eorum in univerſum rationem reddit, qua neglecta, firmum poſſe unquam judicium eſſe, negat,
547. num cauſa gravitatis, illis attributa, legitima ſit, nec ne. Cauſam vero aſſignat *motibus corporum mundi totalium*, quæ fere nova videtur, ſed ob evidentiam ſuam, quam tamen non niſi lectio ipſius libri recte ob oculos ponere poteſt, eo magis attentione eſt digna. Motum telluris (de reliquis Planetis ſimile judicium eſto) deducit ex vi ætheris circumfuſi undique premente, ſimulque radiorum ſolarium impulſu, nec non ex ejus figura, ad hoc ipſum a Deo ſapienter fabrefacta. Pendet igitur motus ejus partim a cauſa activa phyſica, ſcilicet

cet

cet elaſticitate & impulſu prementis ætheris, partim a cauſa mechanica, nempe ab ejus figura, fere uti motus molæ, a vento agitatæ, partim a vi phyſica, ſcilicet ab elaſticitate & impulſu aeris, partim ab alarum figura & ſitu, pendet, quamquam in motu corporum mundi totalium longe excellentius artificium, nec ulli ingenio humano imitabile, obtineat. Efficit igitur Autor, ut cœlum, æthere denſiſſime repletum, Pag. 566.
quod aliis motus ſidereos ſufflaminaturum videtur, potius motuum cauſa ſit ſine ullo imminutionis metu, & præterea appareat, præter hanc nullam motuum eorum cauſam phyſicam reperiri poſſe, niſi quis corpora mundi totalia animata credere velit, quod nec regulis diſquiſitionum phyſicarum congruum, nec ætati noſtræ ad palatum, foret.

In cœlo ſupponit ſtrias certas, ſeu ſemitas, ætheris vi inter 549.
ſe, ſalvis mechanicis legibus, diſcrepantes, & a ſapientia divina pro via & motu cujusque planetæ conſulto diſpoſitas & coaptatas. Ætheri vero a ſole remotiori majorem premendi vim tribuit, quo fit, ut, dum planeta in orbita ſua movetur, perpetuo eum urgeat, & verſus ſolem deprimat, ita, ut ex via, a Deo ipſi præſcripta, ſeu ex ſtria, in qua primum collocatus eſt, egredi non poſſit, quo dato, vis centripeta phyſica pro motu planetarum reperta eſt. Hoc ipſum vero, quo planeta in ſua orbita movetur, a figura ſua habet, quæ cum nulla quidem figurarum notarum comparari poteſt, quoniam figuræ geometricæ nimis ſimplices ſunt, nec efficiendæ perfectioni, quam Deus planetis deſtinaverat, idoneæ, ſed quæ a Deo in ipſa creatione ſapientiſſime efficta eſt, & conſervatur. Poſtulat ni- 555.
mirum Cl. Autor, in intellectu divino poſſibile eſſe ejusmodi ſphæroides irregulare, ubi ob differentiam angulorum impulſus, & pendentem exinde potentiæ mechanicæ diverſitatem, ſemper vis urgentis ætheris in alterutra cujusque hemiſphærii parte potentius validiusque planetam urgeat, quam in altera. Efficitur itaque motus gyrationis telluris, quam ab occidente verſus orientem fieri, a poſteriori novimus, dum in hemiſphærio alterutro ſumma preſſionis ætheræ, quæ fit in certa

plaga,

plaga, robore ſuo vincit ſummam preſſionis, quæ obtinet in
oppoſita plaga, in hemiſphærio altero. Dum gyratur terra,
ſemper, quotiescunque in aliqua ſuperficiei ejus parte
ratio prævalentis potentiæ mechanice ceſſat, in alia parte ſi-
milis ratio prævalentis potentiæ mechanicæ denuo enaſcitur,
fere uti in mola, a vento circumacta, dum alæ ſuperiores
enervantur, commodum gyrationi axis ſitum nanciſcuntur in-
feriores. Quare etiam, operam, quæ huc usque in determi-
nanda telluris figura inſumta eſt, plus non probare, exiſtimat,
quam hanc, vel illam, telluri attributam, figuram commenti-
Pag. 887. tiam eſſe. Veram ejus figuram exacte unquam reperiri
poſſe, negat, idque alio loco in *ſecunda Parte* uberius, argu-
mentis etiam geographicis, eleganter confirmat. Motus au-
tem telluris progreſſivus exinde pendet, quod, ubi hemiſphæ-
rium tum a ſole averſum, tum ad eum converſum, ſpectas, in
utroque ſumma preſſionis in dimidia cujusque parte, quæ
occidentem ſpectat, iterum major ſit, quam in altera dimidia
parte, eademque proportio inter gyrandum perpetuo obti-
neat, & in locum jam enervatæ & deficientis alicubi cauſæ
mechanicæ nova ſtatim ſempiterna revolutione ſurrogetur.
Sic in diverſa preſſionis æthereæ ſumma, in ſubſidium vocata
commoda telluris figura, tanquam cauſa plana & ſimplici,
pro motu ejus cauſa quoque, quæ vim centrifugam gignat,
reperta eſt. Ex utraque igitur ſimul ſumta, nimirum vi cen-
trifuga & centripeta, ſupra memorata, motus ejus efficitur, &
in ſua orbita perdurat. Simili modo ad motum ejus impul-
555. ſus radiorum confert. Attamen perinde eſt, num & quo-
modo ſol moveatur, propterea quod non motu ſuo, ſed dun-
taxat radiorum impulſu, ſol ad movendos planetas concurrit,
nimirum quia impulſus radiorum ob figuram terræ in altera
hemiſphærii parte, impulſum, qui in altero fieri poteſt, vin-
cit, & ſumma preſſionis in altera major validiorque
preſſione altera efficitur, quo facto, tellus perpetuo a radiis
ſolaribus verſus latus, nimirum verſus orientem, urgetur.
570. Theoriam hanc Autor tam diſtincte & preſſe perſequitur, ut
ſigillatim rationem reddat, cur orbitæ planetarum ellipticæ
ſint, quatenus in linea ſpirali propius ad ſolem accedere poſ-
ſint,

Digitized by Google

ſint, cur tellus ſoli propior celerius moveatur, quibus cauſis motus apſidum fieri poſſit, cur gravitas corporum mundi totalium ſit in ratione inverſa quadratorum diſtantiæ, quomodo eadem principia, mutatis mutandis, ad planetas ſecundarios transferri poſſint, &c. Pag. 576.

Claudit denique *Partem* Phyſices *primam* tractatio de *electricitate* copioſiſſima. Ea quidem in epitomen redigi vix poteſt; potiora tamen indicaſſe videbimur, ſi, explicationem phænomenorum, diligenter inſtitutam, ſuperſtrui duplici principio, dixerimus. Primum eſt naturalis ſtatus & connexio 585. corporum, veluti quod partibus conſtant elaſticis, quod verſus locum minimæ reſiſtentiæ feruntur, & in motum erumpunt, quod crebris oſcillationibus obnoxia ſunt, quod ſolidorum pariter atque fluidorum mira eſt heterogeneitas & poroſitas, quibus porro indoles, aeri & aquæ, & varietas, ætheri attributa, accedit, nec non atmoſphæra telluris, tanquam chaos omnis generis particulis abundans ſpectata, & in quo præcipue calor æqualiter diſtribui nititur. Alterum principium in 590. atmoſphæris ſpecialibus ſingulorum corporum poſitum eſt. Dari illas, experimentis probatur, exponitur etiam, quomodo gignantur, ad rationem vero de phænomenis electricis reddendam, Autor iis commode utitur.

Parte ſecunda Caput I inſcribitur *de igne, lumine, calore, & frigore*. Diſtinguit Autor *materiam luminis*, & *ignis vulgaris*, quanquam utraque ætheris nomine veniat. *Lumen* efficitur æthere rigido, cujus partes fere globuloſæ ſunt, elaſticitate tamen, magnitudine, & celeritate, diverſæ. In rectilineo 650. hujus ætheris motu conſiſtit lumen. Ab elaſticitatis varietate, nec non a magnitudine & celeritate, non modo varii pendent colores, ſed iisdem quoque cauſis diverſa refrangibilitas & reflexibilitas luminis debetur. Ubique hoc loco Autor experientias ex *Newtoni* Optica fundamenti loco ponit, ſed docet, quomodo mechanice intelligi poſſint, quæ frequenter vim attrahentem & repellentem arguere creduntur. *Ignem* 683. *vulgarem* ab alio æthere, flexili illo & ad ſubtilitatem materiæ luminis non accedente, admodum elaſtico, & data expen-

 ſionis

Digitized by Google

ſionis copia ad omnes ſitus & figuras recipiendas apto, deducit. In motu hujus ætheris calor & ignis conſiſtit. Differunt itaque ignis ſolaris, qui ipſe materiæ luminis motus eſt, quatenus ad ciendum materiæ ignis motum eſt habilis, & ignis ſublunaris, ſeu vulgaris, qui in motu ætheris modo dicti flexilis ineſt, qui, expanſis, perruptis, diſpulſisque capſulis, quibus ante continebatur, flammam gignit. Ignis vulgaris lumen producit non niſi certis conditionibus, nempe ubi materiam luminis ſufficienti copia in lineis rectis undique
Pag. 735. impellere valet. Circa *frigus* ſequitur Autor experimenta Florentinorum, *Muſſchenbrœckii* & *Boerhaavii*. Frigus quidem in caloris privatione ponit, ſed pro explicanda congelatione & frigore artificiali materiam aliquam ſubtilem ſalinæ fere naturæ ſtatuit, quæ frigus intendit abſorbendo in ſe materiam caloris, ideoque debita cautione materia frigoris vocari poteſt. Operoſe ſedulus eſt Autor in potioribus experimentis *Muſſchenbrœckianis* ex ſua theoria mechanice explicandis.

778. *Cap. II* de *aere, ſono, ventoque*, agitur, ubi de figura aeris, de elementari ejus natura, de modo operandi in libera atmoſphæra, vel in aqua, de alteratione elaſticitatis ejus, de differentia & propagatione ſoni, accurate diſputatur. Succedit *Cap. III* tractatio *de aqua*, itidem ſecundum Autorem no-
840. ſtrum elementari materia. Vindicatur aquæ elaſticitas, ſed fortiſſima & rigidiſſima, quæ humana vi coerceri nequit, &
857. ex illa exploſiones aquæ cum fuſis metallis derivantur. Eodem *Capite* de *fontibus* & *fluminibus* præcipit, ubi *Henricum*
866. *Kuhnium* ſequitur. *Fluxum* item *&* *refluxum maris* explicat, ubi cauſam principem quidem in preſſione lunæ collocat, ſed nova methodo, & ſuæ ipſius de cauſa motus corporum cœleſtium theoriæ ſuperſtructa, quam breviter exponere haud poſſumus. *Caput IV* doctrinæ de *terra, ſalibus, metallis, & lapi-*
898. *dibus*, deſtinatum eſt. Agitur ibi de terra elementari, de figura telluris, de fermentatione & efferveſcentia, quæ phyſicomechanice declaratur, quemadmodum etiam cryſtallorum generatio. De auro fulminante probabiliter diſſeritur.

Inpri-

Inprimis lata & exaſciata eſt tractatio *de cauſis phænomenorum magnetis*, *Muſſchenbroeckianis* experimentis ſuperſtructa, quanquam de ea Autor ipſe perquam modeſte ſentiat, nec maturitatem ipſi tribuat. Materiem magneticam tanquam hypotheſin ſumi, negat, quanquam de ejus indole & operandi modo idoneis hypotheſibus opus ſit. Statuit Autor, duplicis generis materiam magneticam ex nucleo terræ nobis plane incognito perpetuo exſolvi & propelli. Plaga globi terraquei, ubi alterutra copioſiſſime adſcendit, polus vocatur magneticus. Adſcendens materia magnetica, veluti fumus ex fumario, gravitate ſua & ætheris preſſione retro urgetur, cumque ob inſequentem ſui ſimilem deſcendere non poſſit, late circum terram diſpergitur, & omnem implet atmoſphæram. Sed materia unius poli commodiſſime materiam alterius poli pertranſit, difficulter ſui ſimilem, commodiſſimum quoque in terram redeundi locum in plaga polo diſſimili circumjecta, & potiſſimum in hoc ipſo polo, reperit, ideoque partim verſus illum, partim ubique verſus terram, urgetur, unde πολοτροπία magnetum, & inclinatio acus magneticæ. Quoniam cauſæ ſcaturientis materiæ magneticæ in nucleo telluris viciſſitudinibus quibusdam obnoxiæ ſunt; ab his ratio variabilitatis circa declinationem & inclinationem acus magneticæ repetitur. Vim attrahentem & repellentem vero Cl. Autor exinde deducit, quod in magnete & ferro corpuſcula quædam, a natura fabrefacta, collocat, quorum ſtructura ſit, ut materia magnetica ad ea tanquam locum minimæ reſiſtentiæ rapide adfluat. Sunt autem machinulæ iſtæ ita ſtructæ, ut circa ingreſſum egreſſumque veluti valvulam, ſeu gulam, objiciant, quæ certi poli materiam admittat ex una parte, non item ex altera, nec eadem, qua admiſit, via emittat, ſed in latere oppoſito. Machinulæ hæ pro duplicitate materiæ magneticæ duplicis ſunt generis. Hinc duo magnetis poli, & polorum diſſimilium amicitia, inimicitia diſſimilium. Omnis igitur magnes idem eſt reſpectu materiæ magneticæ, quod reſpectu aquarum oceani eſt gurges, vel euripus (*Malſtrom*), ſorbens rapidiſſime materiam magneticam, cujus flumine quæ advehuntur, aut in cohæſione con- Pag. 936.

Digitized by Google

ſervantur, attrahi videntur, materiamque abſorptam per oppoſitam ſorbenti valvulam evomens. Ferrum vulgare has machinulas non omni ſua parte perfectas continet, ideoque ad duplicis generis materiam magneticam indifferenter ſe habet, & utrique commodiſſimum, in quo fluat, alveum exhibet, quo fit, ut magnes ferro armari poſſit. Sed ulterius perfici poſſunt illæ machinulæ, tum ferri percuſſione, aliove commodo motu, tum potiſſimum, ſi ſatis rapido denſoque materiæ magneticæ flumine aliquandiu permeantur. Hinc ferrum frictione ad polum magnetis, nec non aliquo gradu ſola in meridiano collocatione, fit magneticum. Nimirum certæ in machinulis dictis lamellæ, antea nimis libere mobiles, ac motum quemcunque facile admittentes, jam ad ſtabiliorem ſitum figuntur, novamque & peculiarem nanciſcuntur elaſticitatem mechanicam. Sic parvi illi euripi pro ſorbenda vomendaque materia magnetica exiſtunt, poſtquam commodo lamellarum ſitu requiſitæ valvulæ pro admittenda, vel arcenda, certi generis materia perfectæ fuerunt. Ex hac theoria, cujus non niſi ſumma quædam principia attingere potuimus, Autor phænomena magnetis accurate & ita explicat, ut
Pag. 963. eos, qui ante eum ſcripſerunt, omnino ſuperaſſe videatur. Mechanicam etiam reddit rationem, cur vis magnetica attrahens repellente fortior eſſe debeat, quod phænomenon Cel. *Muſſchenbroeckio* contra materiam magneticam apprime valere viſum fuit.

Caput V de *atmoſphæra* & *meteoris*, *Caput VI* de *ſyſtemate mundi*, ſimili ſuperioribus ἀκριβείᾳ tractat. Sequuntur *tria* de *animalibus Capita*, quod argumentum, uti contemplatione omnium cordatorum digniſſimum, ita a Cl. Autore diligentiſſime pertractatum eſt. Differit autem *Cap. VII de ſenſu & motu animalium*. Statuerat jam in Metaphyſica ſua, & ex parte in Logica & Thelematologia, leges conſecutionum cauſalium a Deo ſpiritus inter & materiam conſtitutas, quibus hæc illis prodeſſe, & ad ſtatum ipſorum modificandum con-
1038. ferre, poſſet. Videlicet, quia ſenſatio eſt actio ſpiritui propria, (ideoque a materia non tranſmittitur, quæ nihil valet, niſi

niſi movere moverique,) quæque igitur ex principio, ſpirituali naturæ domeſtico, tanquam ex vera ſua cauſa pendet, naturam ſpirituum Deus ita effinxit, ut, ſimul ac determinatus ſubſtantiæ ſpirituum motus extrinſecus efficitur, concitetur & agere incipiat vis aliqua cogitans ſpiritualis, quæ illi conditioni perpetuo reſpondet, quo fit, ut ipſa idea tranſmitti videatur. Viciſſim, ſenſio interna ubi agit, id eſt, ubi cum conſcientia & reflexione meditamur, vires has ſpiritibus non niſi ita Deus attribuit, ut, quamdiu agunt, ſubſtantia ſpirituum in rapido motu eſſe debeat, qui niſi admittatur, ob reſiſtentiam circumpoſitæ materiæ, activitas illa ſpiritualis protinus exſtinguitur. Sic Autor media quadam via inter ſyſtema *Leibnitianum* & vulgare influxus phyſici incedit, & ſyſtema nexus phyſici & realis inter animam & corpus non exterminat, ſed emendat. Acriter autem defendit, ſpiritum finitum ſingulis momentis determinatum occupare ſpatium, tangi & moveri poſſe, atque, hæc attributa, quæ aliquandiu corporibus propria credita ſunt, ſpiritui finito cum materia communia eſſe, defendit, & ſpiritui competere exiſtimat, non quatenus cogitat & vult, ſed quatenus eſt ſubſtantia, eaque finita. *Senſus* igitur *externi* ſunt certi modi, quibus, dum animæ certi motus imprimuntur, lege naturæ ſtatuta, determinatæ vires cogitandi concitantur, ideoque rerum præſentium conſtantes ideæ reſpondent. Conditiones illæ, in corpore, ejusque organis, poſitæ, ad quas poſitive adſtrictæ ſunt ſenſationes externæ, explanantur. *Senſio* vero *interna* a corpore tantummodo negative dependet, ne ab hoc impediatur, nimis forti reſiſtentia motui animæ objecta. Ex his principiis commode explicatur, qui anima cum corpore creſcere, recte valere, aut ægrotare, videatur, unde corrupta per corpus phantaſia, & quæ ſunt ſimilia. *Motus animalium* impulſu fluidi nervei in primo nervorum initio efficitur, qui quidem impulſus fit ipſius animæ verſus illam partem motu. Motum enim animabus viventibus in ſuo corpore velociſſimum & infinite multiformem ſecundum ideas cuique animæ in ſuo genere concreatas tribuit, quas dum natura ſua ſequuntur, in corpore ſibi attri-

Pag. 1084. 1094. 1104.

attributo commodiſſimam agendi officinam reperiunt. Muſculorum actionem non a veſiculis, quibus conſtent, & fermentatione ſucci nervei cum ſanguine, ſecundum *Borellum* & *Bernoullium* deduci vult, ſed in minimis fibris muſcularibus figuram cochleæ agnoſcit, & ubique circumpoſitos tubulos nerveós, quibus impulſu fluidi contenti rigidioribus factis, & verſus ductus cochleares nitentibus, hi ipſi ductus cochleares propius alter verſus alterum accedunt, & cochlea brevior redditur, muſculusque contrahitur.

Capite VII de *nutritione & vita animalium* exponitur. *Vinculum animæ & corporis*, quo perdurante vita animantis permanet, phyſico-mechanicum ſtatuitur. Anima nempe non
Pag. 1123. cum *Carteſio* glandulæ pineali, veluti muſeo, includenda eſt, ſed intra idoneum in cerebro ſpatium, non accurate definiendum, potiſſimum vero in medulla oblongata, & forſan aliqua medullæ ſpinalis parte, ſecundum ideas concreatas, & cuique animarum generi domeſticas, rapidiſſime movetur, motu infinitis flexibus huc & illuc porrecto & converſo. Cujus quidem motus incomparabili celeritate tot animæ functiones, quæ ſimul fieri videntur, redduntur poſſibiles, opitulantibus organorum vibrationibus & tremulationibus, quæ, quia ob mechaniſmi ſummam perfectionem ſua natura aliquandiu perdurant, animæ copiam faciunt innumerabiles & recipiendi ſenſationes, & efficiendi actiones in corpore, etiam temporis parte quantumvis exigua. Requiritur autem certum preſſionum, undiquaque adventantium, æquilibrium, ſi anima in ſuo habitaculo libere moveri, ſuisque partibus fungi, debet, quod quamdiu obtineri poteſt, *vita* perdurat. Sublato illo, anima vi ipſi inſuperabili ex officina ſua extruditur, &, organis vitæ mox collabaſcentibus, ſpiritibusque animalibus diſpulſis, corpus ineptum redditur, quod ab anima porro regi
1132. poſſit. Sic ſublata eſt vita, & *mors* exiſtit. Theoriam more ſuo Autor ad caſus notabiliores iterum determinate applicat, & variorum mortis generum rationem reddit, nec non de ſignis ejus verba facit. Denique *Cap. IX de generatione animalium* diſquirit, pulchreque ornat ſyſtema ovulorum, &

de

de maxime intricatis, quæ circa generationem occurrunt, difficultatibus ſolvendis bene meretur. Claudit opus *Caput X de vegetabilibus*.

Generatim de methodo Autoris notari meretur, eum ubique rationes phyſico-mechanicas ſequi, & in eo elaborare, ut nullam adſciſcat cauſam, niſi eam ſolidis argumentis, & potiſſimum experientiis indubitatis, ſuperſtruat, neque ad explicandas cauſas ulterius ſe accingat, quam ducem experientiam ſequi poteſt. Quapropter multas experientias, alio ab Autoribus conſilio collectas, in ſuos uſus convertit; quo fit, ut in ejus opere multa experimentis firmata videas, quæ alii ideo reſpuunt, quod, id fieri poſſe, deſperarunt. Præterea, quæ nota veritatis eſt, frequentem reperit arripitque occaſionem commonſtrandi, quam accurate recte inſtructa contemplatio naturæ cum ſummis religionis veritatibus conſpiret, & ad has agnoſcendas plane adigat. Quare etiam, quæ de conſtructione & fatis mundi ex ſacris literis hiſtorice innotuerunt, ad amplificandam intelligentiam phyſicam prudenter adhibet, veluti ubi aquarum ſupracœleſtium utilitatem ad rationem de phænomenis phyſicis reddendam modo plane inexſpectato demonſtrat, nec non ubi varia de plantis, arte ad majorem perfectionem ducendis, exinde docte illuſtrat, quod, tellurem poſt lapſum humani generis miraculo in deterius datam, nec non diluvii undis ulterius corruptam, novimus, ut reliqua taceamus. Nimis enim jam verboſi fuimus, attamen pro dignitate objectorum. Quicunque ſive ad ſuperſtitionem, ſive ad materialiſmum, variaque profanitatis genera, quibus doctrinas phyſicas obtendere ſolent, propenſi ſunt, reperient in hoc opere, non quod animum ſuum contumeliis & invidioſis obtrectationibus exacerbet, ſed quod ad mutandam ſententiam vi argumentorum compellat, &, intricatis rebus, in quibus hærent, melius planiusque explicatis, in caſtra Autoris tranſire ſuadeat. Qui vero animo erga religionem recte affecto hunc librum legunt, nec laborem faſtidiunt, quem ardua naturæ opera hoc ipſo, quod ſapientiſſimi conditoris vaſtiſſimum munus ſunt, neceſſario poſtulant, eos nunquam ab eo ſine fructu & voluptate diſceſſuros, auguramur.

Pag. 196. 1052. 1220.

HISTO-

Digitized by Google

HISTORIA UNIVERSALIS ET PRAGMATICA Romani Imperii, regnorum, & provinciarum, una cum inſignioribus monumentis hierarchiæ eccleſiaſticæ, ex probatis ſcriptoribus congeſta, Autore P. ADRIANO DAUDE, S. J. S. Theol. Doctore, & Acad. Wirceburg. Hiſtor. Prof. Publ. Ord.

Tomus I.

Wirceburgi, ſumtibus Lochneri & Mayeri, Bibliopol. Norimb. typis Joannis Jacobi Chriſtophori Kleyer, Univerſitatis Typographi, 1748, 4.

Alph. 4 plag. 1.

Intra ſolos Hiſtoriæ univerſalis cancellos Pl. Rev. Autor ſeſe noluit continere. Intexuit Hiſtoriam eccleſiaſticam, ad modulos & decreta eccleſiæ ſuæ conformatam. Adjecit paſſim obſervationes criticas. Rationem habuit Theologiæ poſitivæ, Jurisprudentiæ, & Philologiæ. Illuſtravit dicta annotationibus dogmaticis, politicis, & chronologicis. *Tomum* hunc, qui apparatum chronologicum, notitiam ſex priorum mundi ætatum, & hiſtoriam univerſalem, ab *Octavio* inde usque ad *Conſtantinum Maximum* deductam, complectitur, conſecravit *Reverendiſſimo & Celſiſſimo S. R. I. Principi ac Domino, Domino* Anſelmo Franciſco, *Epiſcopo Herbipolenſi, Franciæ Orientalis Duci*, eo ipſo tempore, quo Pontifex Romanus *Benedictus XIV* huic Principi Epiſcopo uſum cappæ magnæ, birretumque purpurei coloris, impertiverat literarum ampliſſimarum interventu. Præfatione inſtitutum ſuum Autori viſum fuit exponere, Hiſtoriam univerſalem, ab *Auguſto* inchoatam, in *quatuor Partes* diviſuro. *Primam Partem* in præſens dedit. *Secundam* ad *Carolum* usque *Magnum* pertexet. *Tertiam* deducet ad *Rudolphi Habsburgici* ætatem. *Quarta* ad noſtra usque tempora decurret. Appellavit Hiſtoriam hanc non ſolum univerſalem, ſed quoque pragmaticam, ea inductus

ctus ratione, quod in ea exponuntur pragmata, ſeu facta, orbis, cauſam interſerens & indicans, a *Cicerone* id vocatum eſſe pragmaticum, quo ea, quæ in Senatu, aut foro, fiunt, pertractantur. Ad fontes acceſſit, & ex iis ſua hauſit. Indicio ſunt Autorum loca, ad marginem laudata. Addit ipſe: *Hoc Hiſtoriæ civili non parum firmamenti, Hiſtoriæ autem ſacræ id emolumenti, porro appenet, ut diſcernere liceat, quid e ſcaturigine, quid ex limpidis fontibus, quid contra e lacunis fœtentibus, ab adverſariis in medium orbem projectum ſit.* Laudat idem artis criticæ uſum, ab inſtituto ſuo, quod ſuperiorum nutu ſuſcepit, haud alienum. Eapropter ad finem Seculi cujusque vitas Patrum & ſcriptorum dedit, librosque eorum indicavit, tempore haud neglecto, quo hi fuerunt literis conſignati, & in lucem editi. De eis haud ita ſentit, ut eos usquequaque approbandos putet. Monet enim hunc in modum: *Caute tunc ſectandi ſunt, ſi quando, diſputandi æſtu abrepti, ratiocinationes ſuas longius produxerunt.* Solida confeſſio. Ipſe, eos, exiſtimat, eſſe ſuperſtitioſos, qui vetuſtati ita favent, ut credant, jura veritatis quorumdam ſeculorum præſcriptione violari poſſe. Addit idem: *Dabimus aurem unam Euſebio, Sozomeno, aliisque ſcriptoribus vetuſtis; dabimus alteram recentioribus, ſi quando non ſine vanis concluſionibus quædam commonſtraverint expungenda.* Hæc ad Præfationem. Ne quid vero videretur prætermiſſum, S. Rev. Autori libuit Monarchiæ, quam vulgo vocant quartam, *apparatum* præmittere *chronologicum*, quo hiſtoriam Vet. Teſt. Judaicam & regnorum Palæſtinæ adjacentium congruenter ſeriei chronologicæ proſequitur. Partitus fuit illum in *Capita duo. Priori* de principiis Chronologiæ, puta de varia temporum, dierum, menſium, & annorum, dimenſione, diſſerit; de cyclo ſolis, lunari, & indictionum, exponit; de cyclorum compoſitione, ſive de periodis Latinis Græcisque, commentatur; de Æris ac Pag. 13. Epochis probatorum ſcriptorum diſputat, ac faſtos conſulares, ab anno correctionis Julianæ primo ad annum Æræ vulgaris Chriſtianæ 41 deductos, *Henſchenii* ſententiam ſecutus, exhibet, æram veram vulgari dirimens quinquennii interval-

Z lo.

Digitized by Google

Pag. 23. lo. Enumerat difficultates calculi annorum Vet. Teſt. &
29. calculum Samaritanum damnat. Promit ſyntagma chronologicum, ſex priores mundi ætates usque ad monarchiam Romanam complexum, atque ab orbe condito ad natalem Chriſti computat annos 3999, menſes 2, dies 2, *Uſſerium* ſecutus, qui id habuit præcipui, ut diem 23 Octobris ſtatuerit mundi exordium. *Cainanem* ex genealogia Chriſti eſſe eximendum, ſolidis rationibus conficit, uſus tamen emolliendi formula, ne autoritatem Vulgatæ in mi-
32. nima voce videretur læſiſſe. *Japhetum* fuiſſe *Chamo* ſeniorem, exiſtimat. Conſimilibus aliis annotationibus Tabulas Vet. Teſt. chronologicas illuſtrat. Templum Judaicum
54. ſecundum, regnante *Dario Hyſtaſpide*, inſtauratum eſſe, contendit, regique huic *Eſtherem* conjugem tribuit. Annos 490 *Danielis* ſupputat modis duobus, æque probabilibus. Hiſtoriam vero Romanæ Monarchiæ inchoat a victoria Actiaca *Au-*
65. *guſti*. Hujus matrem, *Actiam Juliam*, recte pro nepte *Julii Cæſaris*, ex ſorore *Julia*, habet. Non vacat ex vita *Auguſti*, curate & pragmatice ſcripta, delibare quidquam. Memoratu dignum eſt, *Druſum* Marcomannos ad Mœnum ad internecionem fudiſſe, ac ex eorum ſpoliis quendam editum tumulum, ubi nunc arx Herbipolenſis eſt, in tropæi modum ex-
74. ſtruxiſſe. *Druſum* vero, cum Viſurgim transmiſerat, ad Albim perrexiſſe, accuratiori examine eſt dignum pronuntiatum. Quæ prope Gronam ad Viſurgim ipſe, rediturus ad Rhenum, perpeſſus eſt, innoteſcunt ex numis, ibi repertis, Romanis, & loco, qui vocatur *Ræmerſtein*. Ex quo ad
163. obitum *Cocceji Nervæ* Autor hiſtoriam auguſtalem proſecutus fuit, *Reflexiones hiſtorico-politicas* Seculo primo ſubjungit, eodem, reliquis Seculis enarratis, tramite incedens. Expromit honorarias primi Monarchæ appellationes, earumque origines, titulum *Auguſti*, unde propullulavit cognomen *ſemper auguſtorum;* titulum *Imperatoris*, *Conſulis*, *tribunitiæ poteſtatis*, *Pontificis maximi*,
168. *Patris patriæ*. Crediderat *Vitriarius*, Belga, in poteſtate Auguſtorum fuiſſe ſacrorum curam & poteſtatem. Id vero Noſter

Digitized by Google

ſer putat ferendum haud eſſe, confutationem interminatus. Hinc ad formam & conditionem magiſtratuum, quæ ſub *Auguſto* ceterisque Imperatoribus viguit, progreditur, exorſus a *præfectis*, tam urbanis, quam provincialibus. Inter illos primo loco ponit *Conſules*, tum *Pretores*, *Tribunos plebis*, *Ædiles*, alios. Conſtituit *Auguſtus* primum prætorio præfectum. Non poſſumus, quin hoc loco publice laudemus Ill. *Joannis Danielis Ritteri* Programma, quo A. 1745, 4, Vitebergæ *Hiſtoriam præfecturæ Prætorianæ ab origine dignitatis ad Conſtantinum M. usque* recenſuit. Docet Noſter poſt magiſtratus ab *Auguſto* inventos, quomodo legum ferendarum ratio ab Imperatoribus fuerit mutata, differens de interpretatione prudentum, & diſceptatione fori, de epiſtolis, pragmaticis ſanctionibus, edictis Principum, & conſtitutionibus Imperatorum. Commentatur de Romani imperii limitibus & augmentis, per Cæſares adjectis, dicta tabula geographica illuſtrans. Disquirit, quænam origo, quinam populi ac mores, fuerint antiquæ Germaniæ, & an hanc Romani, quod *Vellejus Paterculus* jactat, in ſtipendiariæ provinciæ formam redegerint. Adjicit priſtinæ Germaniæ tabulam, ſatis curate adornatam. Exponit de cenſu provinciarum ſub Cæſaribus. Quænam fuerint jura civium Romanorum, nec non provinciarum, diſputat. De Romanorum coloniis, earumque juribus, ſuccincte exponit. Subjungit viros ingenio ſcriptisque celebres, qui Seculo primo floruerunt. Hæc continentur *Capite primo*. *Secundo Capite* diſpicit Autor eccleſiæ Chriſtianæ naſcentis originem, ſedium patriarchalium ſtatum primum, geſta Apoſtolorum, Epiſcoporum Romæ, Martyrum, atque doctorum eccleſiæ, exorſus ab initio ſceptri, a Judæis ablati. Jeſum fuiſſe natum in ſpecu ſuburbii Bethlehemitici, confiſus teſtimoniis *Juſtini*, *Euſebii*, & *Hieronymi*, exiſtimat. Natalem in 25 Decembris collocat, ac *Herodis* regnantis annum 36, quintum ante Æram vulgarem. Magos, credit, fuiſſe regulos, vel dynaſtas, ex Arabia deſerta, locisque, urbi Sabæ adjectis, ſtella duce deductos. Non eſt, quod de obitu *Herodis* addamus. Acta *Joannis* Baptiſtæ & Jeſu hic præterimus.

Pag. 175.
189.
217.

 Id,

Id, quod ex *Hegeſippo* additur de *Jacobo* minori, haud impedito, quo minus in templi ſacrarium ingrederetur, ab Autore
Pag. 247. habetur fide dignum. Liceat hic nobis diſſentire, ratis, *Jacobum* haud fuiſſe Judæorum Pontificem maximum. Id vero haud inficiabimur, quod *Tertullianus* de tentata per *Tibe-*
254. *rium* relatione Jeſu inter Deos memoriæ prodidit. Credit Noſter, *Petrum, collegii Apoſtolici caput*, ſeptem annis præfuiſſe ſedi Antiochenæ, ac inde contendiſſe Romam, *ſive ut illius vitia conſanaret, ſive ut, fundata ibi ſede, dogmata fidei ex imperii culmine in reliquas urbes facilius profunderet. Jacobum* hoc tempore Hiſpaniam ſuſcepiſſe luſtrandam, ſibi cum Hiſpanis perſuadet, ratus, *Petrum* in Palæſtinam receſſiſſe, vicariis ſubſtitutis, cum *Simon* Magus Romam veniſſet. Eodem ſpectat, quod ipſe opinatur, *Petrum* jure ſuo primas
260. vices ſuſtinuiſſe in ſententia Concilii Hieroſolymitani pronuntianda, ac *Paulum* labores cum *Petro* partitum eſſe. Ingenuum ſe præbet Noſter, docens, *Paulum Petro,* Antiochiæ imbecillius timenti, aut incautius ſuis præeunti, in faciem fortiter
262. reſtitiſſe. Contentionem parvam *Paulum* inter & *Petrum* ſubortam fuiſſe, non negat. A *Claudio* Judæos æque ac Chriſtianos, invicem pæne tumultuatos, Roma ejectos fuiſſe,
266. tradit. Evangelium a *Luca* fuiſſe Corinthi ſcriptum anno nati Chriſti 50, ſignificat. Docet, *Paulum* Hieroſolymæ paſſum eſſe caput ſuum radi, aliisque, Naſiræo cuivis ſolitis, ritibus ſe initiari. At videtur *Paulus* ibi propter Judæorum turbas Naſiræatum abſolviſſe, nec munditiei ſuſcepiſſe tonſuram. *Paulum* in inſulam Maltam deducit naufragum. Conjugium Chriſtianorum eſſe Sacramentum, ex Epiſtola *Pauli* ad Epheſios docet. Annos, quibus Apoſtolicæ epiſtolæ ſunt
278. ſcriptæ, ſolicite annotat. Hebræos, ad quos *Paulus* ſcripſit
281. epiſtolam, tradit fuiſſe *Hebræos Palæſtinæ*. A Therapevtis deducit origines monaſticæ vitæ in Ægypto, *Sozomenum* laudans, & eos ad Chriſtianos referens. *Paulum* converſiſſe ad Chriſtum *Neronis* pellicem dilectiſſimam, ideoque occiſum eſſe Apoſtolum Romæ, arbitratur. In Chronotaxi Autoris *Paulina* paſſim nonnihil emendari poſſe, patefcit ex *Cogi-*

tatio-

tationum, Chronotaxi Actuum Apoſtolicorum lucis nonnihil præferre viſarum, Particula prima, quam *Petrus Holmius*, Profeſſor Theologiæ Hafnienſis, Hafniæ per modum Diſputationis Academicæ A. 1749 edidit. Prætervehimur gentis Judaicæ rebellionem & ruinam, hæreſin *Ebionis*, *Cerinthi*, & *Menandri*. *Philoſtrati* de *Apollonio Thyanæo* fabulas Noſter videtur aſſenſu ſuo haud duxiſſe prorſus indignas. *Anacleto* Epiſtolam decretalem haud tribuit. *Domitiani* uxor, *Domitilla*, ob ſacrorum Chriſtianorum profeſſionem, cum nepte in exilium relegata eſſe traditur. Haud occulte, ſcripta, quæ vulgo ſolent *Dionyſio Areopagitæ* tribui, alius eſſe Autoris & temporis, judicat. *Apocalypſin Joannis* anno 95 ſcriptam fuiſſe, putat, ratus, *Evangelium Joannis* biennio fere poſt in literas fuiſſe relatum. De vero Jeſu natali definiendo ex profeſſo diſputat, adoptans ſententiam *Henſchenii* & *Pagii*, qui, Jeſum anno *Juliano* 40 fuiſſe natum, docuerunt. Confutat ſimul argumenta *Baronii* & *Petri Poſſini*. Chriſtum fuiſſe baptizatum anno trigeſimo primo inchoato, cum *Henſchenio* ſentit, annum *Tiberii* 15, memoratum *Luc. III, 1*, ab initio *Tiberii* collegæ imperii ſupputans, & *Tertullianum* vocans in ſubſidium. Argumenta *Poſſini* & *Petavii*, contra imperium *Tiberii* proconſulare allata, ſolvit & extricat. Chriſtum in cruce obiiſſe, credit, anno Æræ vulgaris 29, completis 33 annis cum trimeſtri, *Origeni* ſuffragatus. Quærit idem, an & quando *Petrus* Romæ cathedram Pontificiam conſtituerit, & quamdiu tenuerit eandem. *Papias*, exigui judicii vir, primus contendit, *Petrum* fuiſſe Romæ, eo quod Babylone priorem epiſtolam exaraverit. Ivit deinde narratio in vulgus, & aliorum ſuffragiis fuit firmata ætate recentiori. Argumenta, paſſim conquiſita, quibus adventus *Petri* Romam videtur tolli, affert, & enodare aggreditur Autor, opinatus, *Petrum* Romam veniſſe anno æræ vulgaris 40, ac anno 65 cruci ſuffixum. In argumentis ſecus ſentientium eſt multus, eisque exſolvendis ita inſudat, ut nemo magis. An *Jacobus Major* primus Hiſpaniarum exſtiterit Apoſtolus, in utramque par-

Pag. 296. 298. 299. 305. 313. 319. 322. 326.

 tem

Pag. 330. tem anquirit, pleraque e *Sollerio* mutuatus. *Petrum* a *Paulo*
fuiſſe reprehenſum, quemadmodum *Gal. II* fuit perſcriptum,
non ſolum affirmat, ſed etiam contra ſecus ſentientes conten-
dit. An *Clemens*, an *Linus*, *Petro* ſucceſſerit in Pontificatu,
341. disquirit, pronuntians pro *Lino*. *Clementi* denegat *Conſtitu-
tiones Canones*que *Apoſtolorum*. Facile intellectu eſt ex hiſce
ſpeciminibus, quanam ratione tractationis Autor fuerit uſus.
Elegantiam certe ſtili ſervavit eam, quæ lectorem delinire
queat. Autores & teſtes plerumque laudat, idoneos fidei fa-
ciendæ. *Libro II* executus fuit geſta Seculo ſecundo. *Li-
bro III* res Seculi III pertractavit. Ubique ſibi eſt ſimilis,
362. nec ad finem adſpiravit ita, ut minuerit diligentiam. Fabu-
lam, quæ, *Trajani* animum precibus *Gregorii Magni* ab in-
377. feris eſſe ereptum, vulgavit, merito rejecit. Vulgatam de le-
gione fulminatrice hiſtoriam aſſenſu ſuo dignatur, de *M. Au-
395. relio Antonino* commentatus. Quænam fuerit militiæ & ca-
ſtrorum diſciplina apud Romanos, disquirit. De triumphis
Romanorum exponit æque ac de ſpectaculis atque ludis eo-
rum, de duorum Auguſtorum conſortio, & de Marcomanno-
rum origine ac rebus geſtis. Scriptores Seculi II & III illu-
ſtres ſuccincte proſequitur. Tum vero Hiſtoriæ eccleſiaſticæ
ſumma ſalutat faſtigia. Annotationibus ſubjunctis ea illuſtrat,
438. quæ diligentiorem expoſcunt tractationem. Ad calcem Seculi
ſecundi exponit de cauſis perſecutionum, de acerbitate crucia-
tuum, de numero Martyrum; de ortu & progreſſu ac inte-
447. ritu Millenariorum; de arcani diſciplina, teſtem *Chryſoſtomo*
antiquiorem haud excitans; de quæſtione, an Chriſtus paſcha
ultimum luna decima quarta celebraverit; de quæſtione, an
457. *Victor*, Chriſtianos in Aſia, paſcha ad lunam 14 more Judæo-
rum celebrantes, duxerit, a cœtu Chriſtianorum eſſe arcendos.
Non ſolum ad hanc reſpondet ajens, ſed factum quoque lau-
dat. Tandem ſcriptores Seculi II ſacros conciſe ſatis indicat.
461. *Libro III* geſta Imperatorum Seculi tertii poſtquam pertracta-
536. vit, ad *Reflexiones politico-hiſtoricas* digreditur. En earum
ſummas. Differit de Romanorum pompa funebri, rogo, ur-
na, ac ſumtuoſis Mauſoleis. Tradit ritum, quo Imperato-
rum

rum conſecratio fuit peracta. Disquirit, quandonam pri- Pag. 541.
mum Alemannorum gens in hiſtoria innotuerit. Exponit de Diis ac ſacerdotiis veterum Romanorum. Quærit, quis primus ex Imperatoribus fuerit Chriſtianus. Hanc gloriam 546.
vindicat *Conſtantino Maximo*. Differit deinde de rei num- 550.
mariæ origine, præſtantia, & uſu, in hiſtoria Imperii Romani, nec non de origine Francorum, *Gundlingianis* Diatribis haud ſalutatis. Disquirit, quænam barbaræ gentes populatæ ſint imperium Romanum. Scriptores exteros recenſet. Fata eccleſiæ Chriſtianæ narrat, in perſecutionum procellis exponendis copioſus, telamque ad pacem eccleſiæ reſtitutam ſub *Conſtantino Maximo* pertexens. Oſtendit poſthæc ſævitiam 641.
paganorum in Martyrum exuvias. Agit de ſepulturis Martyrum, cœmeteriis, & catacumbis, de origine templorum penes Chriſtianos, de habitu Clericorum Seculis primis, a quibus tonſuram clericalem ſubmovet; de pœnitentiæ gradibus; 659.
de partibus populi in electione Epiſcoporum; de provoca- 669.
tione ad ſedem Apoſtolicam; de hæreticorum baptiſmo an iterando; ac de Epiſtolis primorum Romæ Epiſcoporum decretalibus, quas genuinas eſſe, omnino negat. Tandem diſpicit, quænam fuerit doctrina & diſciplina eccleſiæ per tria prima Secula, indicemque & chronologicum, & rerum, tractationi ſubjungit.

HESIODI ASCRÆI QUÆ EXSTANT, ORPHEI & PROCLI, Philoſophi, Hymni, omnia ab ANTONIO MARIA SALVINI in Italam linguam translata, cum breviſſimis annotationibus, ex probatiſſimis Autoribus excerptis. Accedit PASORIS Index, vocabula ſingula Heſiodi complectens; accurante ANTONIO ZANOLINO, J. U. D. & in Seminario Patavino Linguarum Orientalium Profeſſore. Ad uſum Seminarii.

Patavii, typis Seminarii, 1747, 8 maj.

Alph. 1 plag. 14.

Nova

Nova & memorabilia multa non habet hæc editio, præter Italicam *Salvini* interpretationem, cujus Cl. viri, ut præclaram Græcæ linguæ peritiam, ita in hoc genere, Italica Græcorum interpretatione, dexteritatem, norunt omnes, & Editor his verbis in Præfatione celebrat: *Simplicem orationis ſtilum, ellipſin, - - aliaque hujusmodi, quæ paſſim occurrunt, ita clare, dilucide, appoſite, Italis vocibus expreſſa invenies, dictionum ſententiarumque vim, Græcorum Poetarum mentem, quæ verbis ipſis impreſſa latet, ita dictionibus fere ſingulis tranſlatam animadvertes, ut Autores ipſos Græcos legere videaris. Licet enim linguæ Græcæ propriæ elegantiæ tropi ac figuræ ſint vocum ambiguitate, ſyllabarum ſono, ipſa verborum poſitione, formatæ, ea tamen ratione in linguam Italam traductæ ſunt, ut, iisdem dictionibus, eodemque ornatu, dilatæ & expreſſæ, naturam ſuam omnino retineant.* Quod ſi ita ſit, (& quidni eſſe reputetur, aut quare fidem exteri negent Italo, de lingua ſua pronuntianti?) mirum profecto eſt & vix imitabile artificium, merebaturque aliis in exemplum proponi, quod facit Editor, ita pergens: *Utinam interpretes omnes hanc interpretandi rationem ſibi proponerent, cognitionisque ſuæ ſimile ſpecimen præberent.* Utinam, adjicimus nos, artem curamque ſimilem interpretandis ſcriptoribus Græcis argumenti præſtantioris adhibere velint, quam ea ſunt, quæ hic ex interpretatione *Salvinii* exhibentur. Nos profecto miramur, eruditum hominem, in tanta copia dignorum lectu Græcorum voluminum, invenisse tamen nihil cura ſua, eaque tam artificioſa ac ſollicita, dignum, quam (ne cetera commemoremus) *Orphei* Hymnos, quo vix ineptius aliud opus reperias. Atqui *Scaliger* illos olim Latine fuit interpretatus? Curvicervices igitur omnes oportet ire, quod ita magnus *Alexander* ibat? Inſunt paſſim lacunæ huic Italicæ interpretationi, quam nempe moriens Autor imperfectam reliquerat. Ad Notas quod attinet, ſunt illæ breves, & cuivis Libro ſeorſim adjectæ, videnturque ex editionibus *Grævii* & *Clerici* decerptæ. *Paſſoris* Index, in vulgus notus, opus claudit, nitidum quidem & ſatis

ſatis ornatum, magis tamen, quod vel ipſa inſcriptio docet, in uſum privatarum ſcholarum, quam rei publicæ, inſtitutum.

ANTONII GENUENSIS, IN REGIA NEApolitana Academia Philoſophiæ Profeſſoris, Elementorum Artis Logico Criticæ Libri V.

Venetiis, apud Thomam Bettinelli, 1746, 8. Plag. 15.

Clariſſimus Autor, purioribus recentiorum Philoſophorum fontibus imbutus, ſpem nobis præbet, quæ paſſim illis in locis ac partibus ſuperſunt, ſordium Scholaſticarum magis in dies atque magis abſtergendarum. Ipſe quidem remoras videt conatui ſuo poſitas non paucas, ſed has in ipſa ſtatim Præfatione removere laborat. Reſpondet igitur illis, qui, libertatem philoſophandi minime licitam commendari, damnatæ memoriæ quosdam libros indicari, pigros effici adoleſcentes, in Hiſtoria Logica quosdam eximios Viros omitti, cet. forſitan criminentur. Ac ſane habet, cur ſe muniat, ac, vel per *μετάβασιν ἐις ἄλλο γένος* legitimum ſe manere cœtus Romani filium, oſtendat: ne ſibi quoque obex, tot ſanæ mentis libertatem adamantibus obſtans, objiciatur. Eo referimus autoritatem ſui cœtus in ſanctiſſimis literis examinandis, S. Virginis ab omni labe naturali atque originis immunitatem, & alias hujusmodi res, principiis ab eodem alibi receptis, licet haud ſatis accommodari queant, non uno in loco defenſas. Nos autem ad ipſum opus accingimur, poſt prooemium, *quinque Libros* complectens. Prooemium de artis logicæ & criticæ natura, origine, progreſſu, agit, ubi ſtatim, Germanorum noſtrorum ſcripta ſe manu ſedula verſaſſe, doctiſſimus Autor demonſtrat. Ita, poſtquam *J. G. Walchii*, in ejus Parergis Academicis obviam, Logicæ hiſtoriam ut minutiſſima quæque magna induſtria comprehendentem laudavit, narrat, *Chriſt. Thomaſium* in *Philoſ. aulica* *Cap.*

Lib. IV Cap. 3 ſeq. Lib. IV Cap. 5 §. 13. Pag. 4. Cap. 5. §. 10.

Cap. 4 *§.* 7 opinari, *Socratem*, tanquam germanæ Philoſophiæ parentem, ejusque diſcipulum, *Platonem*, Philoſophorum facile principem, hanc artem longe lateque promoviſſe, quam opinionem in ſequentibus etiam ſuo jure confirmat.
Pag. 6. Tria vero *Socrati* ac *Platoni* nos maxime debere, præ ſe fert, artem recte definiendi vocabula, qua, ſeu doceas, ſeu perquiras veritatem, utilius nihil, artem opportune dubitandi, quæ Philoſophiæ principium recte dicitur a *Cicerone de N. D. I, 1*, atque inductionem *ἀναλυτικὴν*, qua nihil validius ad veritatis inquiſitionem eſſe, cenſet *Franc.*
§. 11. *Baco a Verulamio.* Hinc *Ariſtoteles* primus conatus eſt Logicam in juſtam artem redigere. Fuit ille maximus ſcholæ *Platonicæ* alumnus, vir magno ingenio & ſyſtematico. Teſtis eſt *Franc. Patricius*, ab eo 123 libros logicos & dialecticos ſcriptos fuiſſe, quorum maxima hodie pars deſideratur. Ceterum, quod in viro docto & matheſeos non ignaro mireris, tota ferme *Ariſtotelis* Logica in adornando ſyllogiſmo & arte ſynthetica occupata eſt; artem analyticam & criticam vix ferme attingit. Ineptit etiam plerumque, atque in obſcuris & confuſis hæret, etiam in libris ſuis analyticis, qui potiores putantur. Scholaſtici autem vel *Ariſtotelis* libros nunquam legerunt, ſi pauciſſimos excipias, vel, cum Græce docti non eſſent, haud intellexerunt, vel, pro temporis depravato guſtu, pejora ex illis mutuati ſunt. Uno verbo, Sophiſticen ex *Ariſtotele* depromſerunt & auxerunt; artem vero logicam
p. 19 § 38. & criticam aut neglexerunt, aut ignorarunt. Inter recentiores contra de arte critica præſertim meruiſſe dicitur
p. 20 §. 39. *Jo. Clericus*, de Logica, poſt *Ramum*, & *Carteſium*, & *Verulamium*, *Thomaſius*, *Poiretus*, *Rudigerus*, *Cruſazius*, quemque omnium maximum dicit, *Chriſt. Wolfius*; de quibus omnibus haud inepte judicatur. *Liber I* de natura & occupationibus animi humani, ut & intelligentiæ
p. 37 Cap. 2 morbis, erroribusque, agit, *ſex Capita* complexus. Er-
§. 7. rorum cauſæ vel in animo ſunt, vel in corpore, vel

vel extra nos. In animo brevitas mentis cum infinita ſciendi libidine, defectus voluntatis, affectus dominantes. Externas errorum cauſas in parentibus, populo, magiſtris, vel vivis, vel mortuis, ſeu libris, quærere ſtudet. Ad parentum vitia referuntur neglecta cura, vel nimia indulgentia, non rite inſtituta cura, nimia ſeveritas, & autoritas nimia. *Liber II* agit de ideis ac propoſitionibus, idque *Capitibus XIV*: nimirum 1) de idearum natura; 2) de idearum generibus; 3) de obſervandis circa naturam & affectiones idearum; 4) de prima generali rerum, ideis noſtris objectarum, ac ſapientiæ mortalium, diviſione; 5) de ſtudio Philoſophiæ primæ, rerumque ſacrarum; 6) de ſtudio Phyſicæ ac Matheſios; 7) de ſtudio doctrinæ morum; 8) de vocabulorum natura generatim, &c. De hoc poſtremo argumento non ſatis appoſite alios præcepiſſe, contendit Autor, ſi *Lockium de Intell. human. Lib. III* & *Clericum* in *Art. Crit. P. II Sect. II*, excipias, quorum tamen prior ſine neceſſitate exſtiterit fuſus. *Liber III* continet doctrinam de vero & falſo, deque variis animi conditionibus, quod ad veritatem attinet; *Liber IV* tractationem de uſu autoritatis, arteque critica. Hic ſimul agitur de autoritate divina, & quanam ratione dignoſci poſſit, quæ ſint divini Numinis verba; poſteaquam antea de autoritate humana dictum fuerat. Humanam tractans, paſſim evagatur, atque inprimis etiam ad *Homerum*, principem Græcorum ſcriptorum, ſurgit, ad quem quod attinet, *Dionis Chryſoſtomi*, *Metrodori Lampſaceni* apud *Tatianum*, *Chriſtiani Adami*, *Ger. Croeſii*, civis ſui, *Jo. Bapt. Vici*, ſententias aliquatenus adoptat. Nimirum, quamvis nulla veterum res geſta tot ſit teſtibus comprobata, quot bellum Trojanum, quippe quod Poetæ omnes, Oratores, Hiſtorici, Philoſophi Græci atque Latini, memorent, omnes tamen ex eodem *Homero* hiſtoriam deſcripſiſſe, Noſter arbitratur, qui fortaſſe rem totam ad veriſimilitudinem poetica liber-

Cap. 5 pag. 69 ſeq.

83 ſeq.

§ 1 pag. 120.

p. 156 ſeq.

185 ſeq.

Cap. 3 ſeq.

Cap. 2 p. 191.

Cap. 2 §. 10 pag. 199.

tate finxerit, non ſecus atque ſoricum ranarumque bellum, quod &. ſub *Homeri* nomine veteres librarii ad nos transmiſerint. Inde, ſi putemus, *Homeri* ἐποποιίας, uti nunc ſunt, ex variis *poeſiunculis* vetuſtioribus collectas, & ab *Homero*, vel alio quocunque, auctas, & politas facile ſimus perſpecturi, qua ratione obſcura forteſſe fabella in horribilia illa Trojæ arma excreverit. Eadem, addit, ratione hiſtoriam verſionis LXX interpretum in dubium vocari: omnes enim, qui eam narrant, unum videntur *Ariſtæ* libellum deſcripſiſſe. Attamen hunc ipſum defendit doctiſſimus Anglus, qui ſcripſit *A Vindication*, ſive Vindicias, ejusdem adverſus *Scaligerum, Du Pinium, Hodium, Prideauxium*, & alios, cum quo adeo ipſo hancce litem Noſter componet. Sed nolet compoſitionem fortis ipſe in caſtis ſuis pugnator, qui plures ſimul hoſtes provocat.
§. 17 pag. 204. Eſt inter illos etiam Epiſtolarum Judaicarum (*Lettres Juives*) Autor, de quo profitetur, quod ipſe nunquam clarius intellexerit, in quas abſurdas opiniones de religione partium ſtudia & affectus mentem humanam inducant, quam cum ejus Epiſtolas legerit, qui vehementi adverſus ordinem ſacrum atque omnes Romani cœtus cerimonias odio flagrarit, Unde ſingulorum vitia toti Chriſtianorum religioni tribuat *Aaron* ille *Monſeca*, eamque declamatorio ſtilo tanquam ſuperſtitioſam traducat, re vera Deiſta. Nos vero
Cap. 6 pag. 228 ſeq. §. 10 pag. 232. ad alia progredimur. Librorum menda quoque tangit *Antonius*, ibique præ ceteris ſtatuit, apud Ebræos ante tempora captivitatis Babylonicæ in uſu fuiſſe illud literarum genus, quod a Phœnicibus acceperint, Samariticum vulgo dictum. Deinde hunc characterem in Aſſyriacum eſſe mutatum in captivitate, quæ & *Lud. Cappelli* in Diſſert. de Literis Hebræorum, & *Clerici* in Diſſert. de Nummis, characteribus Punicis ſignatis, *Bibl. Selectæ Tom. XI*, ſententia fuit.
Cap. 8 pag. 242 ſeq. §. 3. Veriores ſunt opiniones, ac optimæ ex parte regulæ, quæ, ad artem interpretandi ſpectantes, traduntur. Commendatur hic ipſius, qua quisque liber conſignatus eſt, linguæ primæ

primæ accuratiſſima intelligentia, quod nullæ poſſint fieri verſiones ſuis numeris abſolutæ; curare jubemur, ut Autorum, quos interpretamur, Codices habeamus quam emendatiſſimos, ut ſcriptoris hiſtoriam omnem, gentisque ſuo tempore mores, nec minus finem ſcripti ac ſcopum, exploremus, quæque ſunt reliqua. Lectionem autem fulcire illud judicatur, ſi eos primum libros legamus, qui facem aliis præferunt; ſi librum ſine moris interjectis legamus; ſi tantum modo legamus, quantum ferre memoria poterit noſtra; ſi, quæ legerimus, meditemur ac repetamus; ſi virorum perſpicacium atque eruditorum obſervationes & commentarios conſulamus. Denique *Libro V* de uſu ratiocinationis, ac proponendi modo, diſputatur, idque *ſeptem Capitibus*, de dimetienda & augenda facultate mentis, de cognitionis humanæ extenſione, de ratiocinationis natura & generibus, de ratione proponendi generatim, de ἀναλυτικῇ, de συνθετικῇ, ac poſtremo de dialectica diſputatione. Stilus inter Scholaſticum iſtum corruptiſſimum ac puriorem veluti medium locum obtinet.

§ 3. 4. 5. Pag. 245 ſeq. §. 10. 247 ſeq.

GUIDONIS GRANDI, ABBATIS CAMALDULenſis, & Mathematici præſtantiſſimi, Elogium, ANG. MAR. BANDINIO, Florentino, Autore.

Florentiæ, 1745, 4 min.
Plag. 7.

Franciſcus Ludovicus Grandius, Cremonæ Calendis Octobribus A. 1671 ortus, Jeſuitis doctoribus profecit, &, A. 1687 in Camaldulenſium Ordinem adſcriptus, *Guidonis* nomen accepit. Inde ſuos, ut Academiam inſtituerent, *Certantium* titulo, & cujus ſe præſidem offerebat, permovit. Plures illic Orationes recitavit, inter quas unam contra *Senecam* effudiſſe dicitur, quippe qui rigi-

Pag. 5. 6.

diſſimis morum decretis veterem Bacchanalium conſuetu-
Pag. 7. dinem, diebus illis celebrari ſolitam, execraretur. Idem Poemata pronuntiavit adeo Latina, ut ſupra poſſet eſſe nihil; quibus rebus factum eſt, ut ea infelici tempeſtate haud progenitus videretur. Quod minime mirandum eſt, dum ſubit, quanto *Dantem*, *Petrarcham*, *Areoſtum*, *Bernium*, *Taſſum*, aliosque optimos Tuſcanicæ linguæ ſcriptores, proſecutus fuerit amore. Adhæc A. 1689 de D. *Romualdo* concinnam perfecit Orationem, eamque Ravennæ, coram antiſtite ſacræ rei primario, nec ſine ſummo præſentium plauſu, recitavit, ut &, anno ſequente, alteram, de
11. tenui Poeſeos pretio, literis mandavit. Mathematicus ac Philoſophus plura, ipſo ab *Hugenio* ignorata, detexit, ideoque libellum *Ferdinando* magno Principi, rerum ſuarum ſtatori, conſecravit, cui adjunxit Epiſtolam, a P. *Thoma Cava*, S. J. ſcriptam, in qua ipſe *Poeta venuſtiſſimus & Geometra excellentiſſimus* nuncupatur. Paulo poſt *de Quadratura circuli* Commentarium, pereleganti elegia præmiſſa, A. 1703 lucubravit. Quapropter eum *Leibnitius*, epiſtola data, biennio poſt, commendavit. Habuit etiam cum aliis primarii nominis Mathematicis, e. g. *Iſ. Newtono*, *Severolio*, Præſule, *Ge. Baglivio*, *Dav. Gregorio*, &c. commercium
13. literarium. Inter literatores eo ſpectant *Ant. Magliabe-*
14. *chius*, P. *Bernh. Montfauconius*, atque alii plures. Interceſſit præterea familiaritas inter *Grandium* & *Jac. Hermannum*, Patavinum Matheſeos Profeſſorem, multis invicem epiſtolis de motuum nominatim compoſitione ac reſolutione ſtabilita, quas diſputationes, in compendium redactas, *Narduccius*, in libro quodam ſuo, juris publici fecit. Æquale commercium habuit cum Comite *Ferd. Ern. de Herberſtein*, Mathematico præſtantiſſimo. A. 1709 Ravennæ *Cannetus Grandium* literis ſcriptis, ut MS. Codicem Siculorum Carminum *Parutæ*, quem in Tuſcum deinde ſermonem tranſtulit, acquireret ſibi, rogavit. Cum A. 1708 *Narciſſus Marsh*, Armacanorum primarius antiſtes, ſonitus

ſyſte-

ſyſtema illuſtrare contendiſſet, propoſitiones nonnullas, quas nec ipſe, nec univerſus Mathematicorum cœtus, enucleare poterat, mira *Grandius* felicitate, hortante Comite *Laur. Magalottio*, declaravit; jamque per eruditorum manus atque ora pervagabatur *Grandii* epiſtola, *Magalottio* Pag. 15.
dedicata, cum in manus *Henr. Newtoni* quoque incideret, qui Regiæ Londinenſi Societati, ut in eam *Grandius* una cum *Magalottio* reciperetur, illam miſit, *Philoſophicis Tranſactionibus* deinceps inſertam. Paulo poſt *Grandius* 16.
Bartholomæo Intiero, Florentino, epiſtolam miſit, A. 1706 ſcriptam, *Lucæ Ant. Portii* de motu errorem oſtendens. Præterea 17.
in *Grandii* manus altera epiſtola, Romæ a *Vitali Jordano*, Matheſeos Profeſſore, edita, inciderat, in qua non *Portii* tantum, ſed vetus etiam *Galilei*, ſententia refellebatur. Quare de hac eadem locutus eſt *Grandius* in Epiſtola ad *Intierum*, ita quidem, ut *Grandio Jordanus* Epiſtolam, editam Romæ, opponeret A. 1711. Noſter deinde *Jordano* & *Tambuccio* Problema propoſuit, rectis tantum lineis con- 18.
ſtruendum, & a *Grandio* deinceps, ſicut ab *Hermanno* Comite *Fagnanio*, *Cœleſtino Galliano*, & *Larenzinio*, plurimis ad ipſum epiſtolis datis, reſolutum. Poſtea *Marchettius Bernardo Treviſano*, Patricio Veneto, fuſiorem contra *Grandium* Epiſtolam ſcripſit mathematicam, quam is IV Dialogis confutavit. *Marchettius* autem alteram Epiſtolam A. 1713 re- 19 ſeq.
poſuit. Poſtea *Verzagliam* nactus eſt *Grandius* adverſa- 22.
rium, qui in Epiſtola, ad Geometras miſſa, & Ceſenæ excuſa, A. 1714, doctrinam de infinitis zeris ſe confutare velle, pollicebatur, num autem præſtiterit, eſt incertum. Eodem 23.
vero anno *Grandius* a *Coſmo* Duce non modo Matheſeos cathedram, verum & aquarum præfecturam annuo 300 argenteorum ſalario, accepit. Deinde, Romæ diu mo- 24.
ratus, Cœnobii cujusdam Camaldulenſium monachorum regimen obtinuit, *Clementi XI* dilectus; donec A. 1717 Piſas ad munus ſuum reverteretur. Hic typis Epiſto- 30.
lam de Pandectis mandavit, *Joſepho Averanio* dicatam,

anno-

annoque ſequenti Florentinis typis auctius repetitam, ubi *Grandius* negavit, *Juſtiniani* avtographum unicum habuiſſe Piſanos; in obſervationibus autem *Virg. Valſechii*
Pag. 31. Epiſtolam de veteribus Piſanæ civitatis inſtitutis, quæ cum ejus ſententia non parum habebat conjunctionis, expendit.
34. Contra illam cum aliis ſcriptis apparuit *Henr. Brencmanni* Epiſtola ad V. Clariſſ. *Franc. Heſſelium*, qua examinantur præcipua capita Epiſtolæ Viri Clariſſ. D. *Guidonis Grandii* de Pandectis, nec non Diſſertationis ſimilis argumenti Autore Viro Celeb. *Chr. Gottl. Schwarzio*, A. 1738
39. Trajecti ad Rhenum edita. Poſt varias alias diſputationes ac mutationes in fatalem *Grandius* incidit languorem, & A. 1742 prid. non. Jul. obiit, epitaphio a P. *Auguſtino*
47. *Forzonio Accoltio*, diſcipulo, celebratus. Inter alias ipſius Epiſtolas laudari merentur *Clariſſ. Viri, D.* Guidonis Grandi, *Camaldulenſis regiæ Celſitudinis M. D. Etruriæ Theologi, & Mathematici, in Piſana Univerſitate Publ. Philoſ. Profeſſoris, & Regiæ Societatis ſodalis, Epiſtola mathematica de momento gravium in planis inclinatis, deque directione fulcri in mechanicis attendenda ; ex avtographo iterum edidit, novis annotationibus illuſtravit, & adverſus* Tambuccianam *Epiſtolam opportunis vindiciis munivit*, Marius de
54. Cæniga, *Autoris diſcipulus, Lucæ, 1711, 4; Lettera geometrica al Signor* Tommaſo Narducci; *Lettere Apologetiche del P. D.* Vitale Marzi da Faenza, *Monaco Camaldoleſe, in difeſa della ſua Riſpoſta già data alle Q. Q. Vallombroſane del P. M. D.* Fedele Soldani, *Monaco Vallombroſano, in Faenza, 1733, 4; Lettere del P. Abate* Grandi *al Signor* Tommaſo Narducci, *Patrizio Luccheſe, circa la miſura delle force de' corpi in mo-*
55. *to; Lettera al Signor Senatore* Pier-Franceſco Ricci, *ſopra il beneficio d'une Specula Aſtronomica in una Univerſità; Epi-*
56. *ſtola ad V. C. P. D.* Virginium Valſechium; ac denique Epiſtola geometrica ad P. E. *Petrum Urſeolum Ponte*, Monachum Camaldulenſem. Reliqua pariter ipſius ſcripta primariam partem ſunt mathematica.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno MDCCL.

BERNHARDI SIEGFRIED ALBINI TABULæ Sceleti & Muſculorum corporis humani.

Lugduni Batavorum, 1747, forma reg. max. Tabb. æn. 28.

Licet omnes, quæcunque perluſtrentur, corporis humani partes arctiſſimo non ſolum nexu inter ſe hæreant, & mutua ſibi præſtent officia, ſed affabre quoque factæ ſummam conditoris ſapientiam prodant, & noſtra attentione dignæ ſint cenſendæ; varium tamen corporis motum & diſcrepantes, quæ inde proveniunt, actiones noſſe, ita præ reliquis mentem delectat, & medicam infimul ſcientiam illuſtrat, ut ii, qui inſtrumenta motus inveſtiganda ſibi ſumunt, & non ſatis huc usque detectum eorum, ex ſitu, ſtructura, & adhæſione, pendentem, mechaniſmum declarant, difficillimum quoque laborem perficiant. Ex his in univerſum præmonitis, quæ Celeberrimo *Albino* debeantur laudes, quo encomio condecorandus ſit, ipſa res loquitur. Præter id enim, quod induſtrius ille & feliciſſimus humani corporis diſſector ſingula, quæ machinæ firmamentum præbent, hominis oſſa in peculiari libro ſecundum naturam deſcripta propoſuerit, *Euſtachianas* deinde Tabulas egregie illuſtratas, & uſui magis accommodatas, reddiderit, in eo potiſſimum Celeberrimum Virum occupatum videmus, ut muſculorum naturam rimetur, & abſolutam carnis explicationem ſiſtat. Sedecim fere

elapſi ſunt anni, ex quo muſculorum hominis ab eo concinnata hiſtoria in lucem prodiit, quæ eo majori eum jure omnium applauſum promeruit, quo plenius muſculorum deſcriptiones exhibitæ, & per ſubnexas ſingulis aliorum diſſectorum denominationes utiliores redditæ, inveniuntur. Attamen, cum corporis humani ſtructura ex accuratis quoque partium deſcriptionibus imperfecte tantum cognoſcatur, nec ſemper eædem cum præparatis atque diſſectis corporibus comparari queant, integram muſculorum iconographiam conficiendi conſilium cepit Vir Clariſſimus. Licet vero, quod omnis hujus generis operum materies in obſervatione & enumeratione rerum detectarum poſita conſpiciatur, ſumma tractationis conquiri & indicari nequeat; brevem tamen præſtantiſſimi hujus libri hiſtoriam legere juvabit eos, qui & hoc ſcientiarum genere delectantur, &, qualia ex ſumtuoſo hocce & ſplendido Opere Anatomiæ accedant emolumenta, ſcire cupiunt. Dum de conficiendis muſculorum figuris cogitaret Celeberrimus *Albinus*, evenit illi, quod plerisque gravioris argumenti rebus commune eſt, ut per capta demum experimenta veram operis perficiendi methodum inveniret. Ab ipſis namque muſculis initium laboris capiens, eos, in certos quosdam ordines diſpoſitos, chartæ ad vivum inſcribendos curabat. Depictis tamen quibusdam corporis partibus, voto atque ideæ, in animo conceptæ, confectas hac ratione figuras non reſpondere, intelligebat. Præter id enim, quod ſubſequentes ſe invicem muſculorum imagines ita non cohærerent, nec idem membrorum poſitus, eademque figura, tam curioſe ſervari poſſet, ut diſtincta inde contemplantis menti ſuboriretur ordinum repræſentatio, id quoque incommodi huic labori junctum erat, ut figuræ vix ſemper ſecundum menſuram Tabulæ inſcribi poſſent, & ipſa denique diverſa, ad quæ icones exarandæ erant, corpora vagis tantum rerum figuris anſam ſuppeditarent. Memorata hæc impedimenta ut removeret, ſceletum humanum, tanquam corporis fundamentum & figurarum regulam, in auxilium vocari oportebat, cui nimirum muſculorum imagines apponi,

&

& ad oſſium conſtitutionem referri, deberent. Sed in hoc quoque conficiendo multum laboris poſitum, magnaque circumſpectione opus erat. Oſſa namque recentia, quorum fines cruſta cartilaginea adhuc obducti eſſent, requirebantur, quæ ligamentorum ope inter ſe nexa per varia adminicula in naturali ſtatu, flexilitate inprimis & integritate, conſervarentur, ita, ut perfecta ſceleti figura ex iis deſcribi poſſet. His cum quibusdam oſſibus ſeparatim tentatis, anno hujus Seculi quinto & vigeſimo corpus virile, in optima ætate conſtitutum, integrum, nactus, ſceletum comparavit, attentus ad ſingula, quæ ante animadvertenda eſſe diximus, momenta. Oſſium hancce compagem ut confirmaret, tripodi non ſolum, hunc in finem conſtructo, eam impoſuit, ſed funibus quoque, variis in locis ipſi alligatis, & in diverſis conclavis regionibus firmatis, conſtantem ſceleto poſitum conciliavit, eumque deinde cum homine macilento ſimilis ſtaturæ, unde in eodem ſitu adſtante, comparavit & emendavit. Conſtituto hac ratione ſceleto, artifex peritus, per duplicem dioptram viſum adſtringens, anteriorem ſceleti faciem, averſam deinde & lateralem corporis partem, chartæ inſcripſit, ſingulis vero figuris, poſt ligamenta inciſa, tectos huc usque oſſium fines addidit. His peractis, ſceletus reſolutus, & oſſa a ſordibus & adhærentibus ligamentis purgata fuere, cautum tamen, ne vitii quidquam contraherent diſſectæ partes. Singula porro oſſa, quo artifex ſe præparare & curatius inde ſceleti figuræ corrigi poſſent, æri ut inciderentur, curavit Celeb. Autor. Hæ cum eſſent ſumma cum cura delineatæ oſſium imagines, deſcriptæ ſceleti figuræ, ad juſtam brevitatem redactæ & emendatæ, æneis tabulis inſcribebantur. Tres illæ priores in ordine, quæ ſceletum ſiſtunt, figuræ erecto corpore ſtantem hominem imitantur, & eum habent ſtatum poſitumque membrorum, ex quo, præter viſcerum vaſorumque, a Clariſſ. *Albino* aliquando exſpectandam, coordinationem, & oſſium & muſculorum ſyntaxis facile perſpici poteſt. Quæ de ſceleti confectione hactenus diximus, eum potiſſimum in finem fuſius explicata ſunt, ut operoſi laboris, &

 ſum-

ſummæ, quam Autor in inveniendis, perpoliendis, & ordinandis, rebus, ad exequendum propoſitum pertinentibus, & in avertendis & removendis impedimentis, adhibuit, curæ documentum exiſtant, & inde lectores ad muſculorum expreſſorum elegantiam & perſpicuitatem concludere valeant. Inſignis ille muſculorum numerus, eorum in variis ſubjectis diverſitas, corporum plerorumque ad muſculos ſecandos & disquirendos ineptitudo, a prima ſtatim ſchematum ſceleti confectione, indefeſſum *Albinum* eo adduxerunt, ut quotannis carnis humanæ naturam inveſtigaret, & digna notatu literis mandaret, ipſa denique oſſa, cum muſculorum extremis, quo repeti poſſent, jam olim notata, in apto liquore aſſervaret. Enata ex iteratis hiſce laboribus pleniſſima muſculorum hiſtoria, quam ſupra Clariſſ. Autori deberi monuimus, anno demum 1738 muſculis depingendis operam adhibuit, & eos quidem linearibus ſceleti figuris inſcribi juſſit, idque ea potiſſimum de cauſa, ne umbra illuminatarum imaginum, muſculorum icones imperfectiores, minusque diſtinctas, redderet. Ut porro muſculi debitis locis apponerentur, & dextra eorum ſyntaxis lateri dextro ſceleti, ſiniſtra vero ſiniſtræ oſſium parti, reſponderet, lineares oſſium figuras ſtatim, poſtquam impreſſæ eſſent, alii chartæ imponendas, & prelo denuo ſubjiciendas, curavit; inverſas inde ſceleti a prioribus, ut archetypis, in alias chartas, ut antitypas, translatas imagines accipiens, & his quidem antitypis muſculos inſcribere juſſit artificem, qui, æri tandem inciſi, eam, quæ quærebatur, imaginem referebant. Nec maceratam, aut humectatam, chartam, ſed ſiccam, imprimendis linearibus figuris adhibuit, ne præmollita charta, dum prelo ſubjiceretur, nimium extenderetur, & majores inde, quam par erat, evaderent ſceleti figuræ, hinc muſculi quoque, ſi figurarum antitypis adſcriberentur, vitium contraherent. Ordinatis itaque iis, quæ diſponi prius debuerant, quam muſculorum icones conficerentur, omnes eorum ita in ſceleti figuras translati ſunt, ut in demortuo corpore reperiuntur. Exterior muſculorum ordo non æque, ac interiores & ſubſequentes eorum claſſes, ad

ad oſſa referri potuit, ſed jam depictus ex interioribus demum dijudicari & corrigi debuit, utpote in quibus oſſa magis in conſpectum prodierunt. Nec ſeparatim ſinguli muſculi tractati, ſceletoque appoſiti, ſunt; alias enim eorum ſyntaxis non apparuiſſet. Cum autem non omnes ex uno eodemque ſubjecto depromi & adumbrari poſſent muſculi, præter exteriorem eorum, ex primo corpore deſumtum, ordinem, multa ad muſculos ex iis depingendos adhibita ſunt cadavera, ita tamen, ut, quo æqualitas & competentia muſculorum inter ſe obſervaretur, corpora priori quam maxime ſimilia eligerentur, & petiti ex iis muſculi ad ſceleti deſcripti figuram & poſitum redigerentur. Ad pharyngis, palati mollis, uvulæ, & faciei, muſculos quod attinet, eos, cum multum negotii in disquiſitione faciant, variis adhibitis adminiculis ad veritatem reique naturam proponere ſtuduit Celeb. Autor, licet, ut ille monet, in corporibus ipſis difficulter, aut prorſus non, ita plene cerni queant. Eadem quoque cautione in coracohyoideo muſculo & diaphragmate rite exprimendo opus fuit. In omnibus vero muſculis ſitus potiſſimum, figuræ, magnitudinis, originis, inſertionis, cohæſionis, carneæ tendineæque naturæ, fibrarum denique decurſus, in univerſum rationem habuit, ad varietates tamen & diſſimilitudines muſculorum, & ad fiſſuras, quas vaſa penetrant, ne muſculorum inde figuræ obſcuriores evaderent, ſibi in generali hac muſculorum iconographia reſpiciendum non eſſe, putavit, quamvis nonnulla harum affectionum ſpecimina, & rariores quidam muſculi, ut pſoas parvus & veſicæ muſculus, in ea deſcripti inveniantur. Ipſæ vero, quæ exaratæ hac ratione fuerunt, Tabulæ in duo genera dividuntur, quorum unum omnem muſculorum ſyntaxin complectitur, alterum ſingulos, ſeparatim traditos, muſculos oſtendit. Poſt illas enim, de quibus antea retulimus, tres ſceleti figuras, quatuor Tabulæ muſculorum, qui in anteriori corporis facie conſpiciuntur, totidem deinde eorum, qui ad poſteriorem partem pertinent, unica tandem, quæ exteriorem lateralium muſculorum ordinem ſiſtit, excuſæ reperiuntur Licet enim in octo prio-

Digitized by Google

ribus figuris varios muſculorum ordines tradat Celeb. Autor; exteriorem tamen lateralium ambitum & ordinem, quod ex prioribus Tabulis, cum nona hac junctis, & ex ſingulorum muſculorum figuris, de omni muſculorum ſyntaxi ferri judicium poteſt, ad aſſequendam præfixam metam, ſufficientem deprehendit. Interea tamen, ut collum moventes muſculi, & ii, qui ſub capite, in cavo oſſeo oculi, & in planta pedis, ſiti ſunt, plenius & accuratius cerni queant, laterales nonnullos eorum ordines in decima Tabula expreſſit. Omnes hæ muſculorum icones, præter id, quod ſingulæ earum, ob commodum poſitum & ſtatum membrorum, corporis humani muſculos perfecte referant, inde potiſſimum diſtinctiores utilioresque redditæ conſpiciuntur, quod illuminatis figuris lineares quoque ut fundamentum priorum, æque ac in *Euſtachianis* jam Tabulis fecerat, Celeb. *Albinus* ſubjunxerit, & notas, in figurarum explicatione aſſumtas, iis inſcripſerit. Sequuntur ſedecim, optime exaratæ, Tabulæ, quæ plenas ſingulorum muſculorum figuras exhibent. In primi namque generis Tabulis debita figurarum magnitudo, lumen & umbra, & linearum inprimis directio, cum obſervanda eſſent, fieri non potuit, quin muſculi toti in ſyntacticis illis figuris proponi ſemper poſſent. Separatim itaque ſinguli iterum tradendi fuerunt, qui, quo facilius inveniri cognoſcique queant, ad ſyntacticarum iconum normam expreſſi ſunt, ita tamen, ut, ſi receptus ibidem membrorum poſitus minus rite indicaret rem oſtendendam, alia inſimul ratione ordinatæ figuræ exhibeantur. Quo vero aptiores eſſent ſingulorum imagines ad cuncta & parva potiſſimum plenius exprimenda, duplo majores illæ ſunt, quam primi generis icones, excepta aure interna, cujus muſculi naturalem magnitudinem in tabulis retinuerunt. In omnibus his octo & viginti, quæ totum opus abſolvunt, Tabulis, ut accurationi, perſpicuitati, & pulchritudini, conſuleret, ſumma fuit cura Clariſſ. Autori; hinc peritum & mercede non ſolum, ſed laudabili quoque in res depingendas amore, conductum artificem in iis conficiendis adhibuit, qui, ab eo inſtructus atque edoctus, ductum fi-

brarum muſculoſarum non lineari tantum ſcalptura, id quod ex voto ſucceſſit, adumbrare tentavit, ſed duodecim inſimul prioribus Tabulis parerga quædam adjecit, quæ, ut jucundiores & pulchriores deſcriptæ figuræ exiſtant, in cauſa ſunt. Singulis demum Tabulis breves annexæ inveniuntur explicationes, quæ, cum expreſſa tantum in icone momenta indicent, ad pleniorem Celeb. Autoris de muſculis editam hiſtoriam lectores abire jubent. Congratulari certe Celeb. *Albino* de finito hoc diuturno & operoſo labore ii debent, qui rerum anatomicarum ſtudio delectantur, & utiliſſimæ huic corporis noſtri inveſtigationi bene cupiunt. Manet enim Celeb. Autori hæc laus, isque ipſi habendus eſt honos, quod indefeſſo non ſolum ſtudio in indaganda artificioſa hominis ſtructura laboret, ſed detectam quoque atque inventam partium fabricam feliciter imitari, cumque aliis communicare, ſciat.

CONRADI IKENII, S. THEOL. DOCT. ET Prof. ad Ædem S. Steph. Paſt. Prim. Diſſertationes philologico-theologicæ in diverſa S. Codicis utriusque Teſtamenti loca, maximam partem nunc primum in lucem editæ.

Lugduni Batavorum, apud Cornelium Haak, 1749, 4. Alph. 3 plag. 14.

Quibus præclara Celeb. *Ikenii* eruditio, linguarum orientalium, antiquitatum, priſcæ Hiſtoriæ, Geographiæ, cognitio, pariterque profunda rerum theologicarum ſcientia, ſagax ingenium, acre judicium, aliæque raræ animi dotes, ſunt perſpectæ, quosque non fugit, quibus is jam dudum meritis civitatem Chriſtianam & literariam ſibi devinxerit; illi ardenter optaverunt, ut pluribus ingenii & doctrinæ opibus literatum orbem locupletaret. Cumque publice innoteſceret, faſcem aliquem Obſervationum apud Belgas ſub prelo ſudare, hoc multis fuit in optatis, ut, ſublata omni mora, carceribus quantocyus

cyus egrederentur. Cujus voti cum nos damnatos videamus, noſtrarum eſſe partium judicavimus, illarum aliquam promulſidem dare: qua in re ita procedemus, ut primo *Diſſertationes* ordine nominemus, inde ſententias atque interpretationes Venerando Autori privas proferamus. *Diſſertationes* omnino ſunt *XXVIII*, novæ omnes, quæ adhuc non fuerant vulgatæ, exceptis IV, quæ, nunc acceſſionibus quibusdam auctæ, more Diſſertationum Academicarum, ſub ipſius præſidio publicæ ventilationi quondam fuerunt expoſitæ: 1) eſt *de nomine* שרי, ad *Gen. XVII, 1;* 2) *de mutatione nominum Abrahami & Saræ*, ad *Gen. XVII, 4, 5, 15;* 3) *de lapide, a Jacobo in locum cultus publici uncto*, ad *Gen. XXVIII, 18 ſeq.;* 4) *de portione una Joſepho præ fratribus a patre ſtatuta*, ad *Gen. XLVIII, 22;* 5) *de Azereth feſti*, ad *Devt. XVI, 8;* 6) *de mercede meretricia & pretio canis ad domum Jehovæ non afferendo*, ad *Devt. XXIII, 19;* 7) *de regula quadam grammatica, multis Scripturæ Sacræ locis lucem fœnerante, occaſione verborum 1 Sam. VI, 7;* 8) *de arca Dei, ſuper qua nomen Jehovæ Zebaoth, inſidentis Cherubinis, nuncupatur*, ad *2 Sam. VI, 2;* 9) *de Crethi & Plethi*, ad *2 Sam. VIII, 18, XV, 18, XX, 7, 23*, &c. 10) *de voto Davidis, aquas ex fonte in porta Bethlehemitica appetentis*, ad *2 Sam. XXIII, 15 ſeq.* & *1 Chron. XI, 17 ſeq.;* 11) *de Nibchas, idolo Avræorum*, ad *2 Reg. XVII, 31;* 13) *de* כמרים, *ſeu magis ignicolis*, ad *2 Reg. XXIII, 5, Hoſ. X, 5,* 13) *de* בכיר, *ſeu occidentaliori templi parte, ubi ſanctum ſanctorum erat, manuumque verſus hunc locum elevatione, ad illuſtrationem Pſ. XXVIII, 2*, coll. *1 Reg. VI, 16 ſeq.;* 14) *de perforatione aurium Meſſiæ*, ad *Pſ. XL, 7, qua præcipue horum verborum ſenſus eruitur, eademque cum verſione Alexandrina & Ebr. X, 5, conciliantur;* 15) *de Baal-Hamon & Baal-Gad*, ad *Cant. VIII, 11*, coll. *Joſ. XI, 17, XII, 7;* 16) de עירהרס *& altari in media Ægypto*, ad *Jeſ. XIX, 18;* 17) *de prævaricatione Jacobi, hancque ſecuto fidei certamine*, ad *Hoſ. XII, 4 ſeq.;* 18) *de ſole occidente in meridie*, ad *Amoſ. VIII, 9;* 19) *de Baptiſmo ſpiritus & ignis*, ad *Matth. III, 11*, coll. *Luc. III, 16;* 20) *de uno jota, aut apice uno, legis non interituro*,

ad *Matth. V, 18, Luc. XVI, 17;* 21) de *σαλπιστμῷ ſtipem colligentium*, ad *Matth. VI, 2;* 22) *de ficu ad imprecationem Servatoris exareſcente*, ad *Matth. XXI, 18 ſeq.* & *Marc. XI, 12 ſeq.;* 23) *de lege Moſis, Prophetis, & Pſalmis*, ad *Luc. XXIV, 44;* 24) *de genuina vocis mundi ſignificatione*, ad *Jo. I, 29*, atque alia loca; 25) *Oratio Pauli, Athenis in Areopago habita, Act. XVII, 21 - 31, breviter illuſtrata;* 26) *de contemplatione gloriæ Dei in retecta facie Jeſu Chriſti, & fidelium in eandem imaginem μεταμορφώσει*, ad *2 Cor. III, 18;* 27) *de σαλευομένοις veteris œconomiæ factis, ut præſtolentur ſtabilem œconomiam novi Fœderis*, ad *Ebr. XII, 27;* 28) *de locutionibus allegoricis & emblematicis, ſæpe in generaliori complexu ſumendis, nec ad ſingulas partes, aut verba, ſemper extendendis, occaſione loci Apoc. III, 20.*

In difficilioribus locis expediendis & illuſtrandis Vir excellentiſſimus hac via utitur, ut ſententias, adhuc receptas, ad examen revocet, &, quantum ad rei veritatem accedant, vel ab eadem abeant, ſolidis argumentis demonſtret, inde vero ſuam ſubjiciat, eandemque firmis rationibus muniat. Quoniam autem ingens turba exquiſitarum obſervationum nos circumſtat, ne limites inſtituti noſtri migremus, ſententias Viri eruditiſſimi cum ſuis rationibus ſuccincte exhibebimus.
Nomen שדי ab Ebraico שדד derivatum vult, non autem qua ſignificat *vaſtavit, deſtruxit*, ſed *potentia & robore polluit*, quem ſignificatum *primum* & *formalem* eſſe, potiſſimum ex *Job. XXXVII, 23*, adſtruit, quo ipſo etiam Arabibus venit
شد, quod jamdum ad locum *Geneſeos* vidit *Aben Eſra.*
Nomen אברהם non eſt ex אב & רם, ſive רב & המון, quæ Pag. 1 - 10
verba a *Moſe* adduntur, non ut indicetur, ipſa illa nomen ingredi, ſed ut verus ſenſus atque ratio illius innuatur; ſed ex אב & רהם, quæ vox adhuc ſupereſt apud Arabes, quibus رهم notat, *numeroſus fuit*, ut ſic denotet *patrem copioſi numeri*, ſive *numeroſæ multitudinis.* Quam derivationem, 10 - 17.
ab *Hottingero* productam, novis firmat tibicinibus. Nomen שרה, quod a LXX exprimitur per Σάῤῥα geminato ρ, quos imitantur Apoſtoli, non eſt explicandum per *principem*, abſo-

Digitized by Google

late dictam, vel *virtutem*, uti שׂרי, *princeps mea*, ſed potius illius origo petenda ex rad. Arab. سرى, quæ *numeroſa prolis progeniem*, ſive productionem, involvit, atque inde inſigni loco *Jeſ. LIV, 1*, coll. *Gal. IV, 22-27*, lux affundi poteſt.
Pag. 17 - 27. *Gen. XXVIII, 18 ſeq.* declarat *Jacobus*, ſi incolumis reverſurus eſſet, ſe locum illum ad id conſecraturum eſſe, ut Deum ibidem ſolenniter conveniret, eumque in precibus, aut in dubiis rebus, conſuleret, aut officia cultus divini ipſi præſtaret, quod ipſum ex Meſopotamia redux effectui dedit, *Gen. XXXV, 1 ſeq.* Hinc eo ſequentibus temporibus haud raro convenerunt, Deum conſulturi, ac ſacrificia obtulerunt, *Jud. XX, 18, 26, XXI, 2, 4*, ubi voces בית אל non appellative, ſed ut nomen proprium loci, accipi debent, & videtur *Jeroboamus*
27 - 36. ſtudio Bethelem elegiſſe, ut illic unum ex vitulis conſtitueret, quo populum antiqua loci religione moveret. שכם *Gen. XLVIII, 22*, repetitur ex rad. Arab. شكم, *remuneratus fuit, donum pro dono, præmium*, vel *mercedem, largiens*; hinc denotat *partem*, vel *portionem*, & quidem quæ *Joſepho* data fuit in remunerationem omnis illius amoris atque benevolentiæ, quam *Jacobo* & toti domui ipſius exhibuerat, alludens ſimul ad nomen regionis Sichem, in qua ager ille ſitus
37 - 39. fuerat. Quod ſequitur, *quam cepi gladio meo & arcu meo*, explicat de agro in regione Sichem ab Hemore redemto *Gen. XXXIII, 19*, ab Amoritis, *Jacobo* in aliam regionem ſecedente, occupato, quem cum libentes reddere abnuerint, jus ſuum armis vindicare coactum fuiſſe. Scriptorum ſacrorum mos hic eſt, ut rem narrent, περιστάσεις autem reticeant. Equidem etiam hujus negotii bellici narrationem, eandemque ſuis veſtitam peculiaribus eventibus, ex *Jalkut Schimeoni* in *Leg. fol. 40 edit. 4*, & *fol. 41 col. 1*, affert, ſed veremur, ne hæc hiſtoria ex illarum genere ſit, quas Judæi comminiſci ſolent, quoties interpretationem Scripturæ, quam animo præcipiunt, confirmare annituntur. Qui enim citantur Autores, recentiores longe ſunt, quam ut de re, quæ non ante ſecula, ſed mil-
39 - 50. lennia, eſt geſta, teſtari queant. Loci *Deut. XVI, 8*, & *Exod. XIII,*

XIII, 6, 7, in quorum priori præcipitur, *ſex diebus azyma*
eſſe comedenda, die ſeptimo vero eſſe Azeret Jehovæ, in poſte- Pag. 50 - 56.
riori, *ſeptem diebus azyma eſſe comedenda*, qui videntur inter
ſe pugnare, ita conciliantur, ut ſeptem omnino dies pane
non fermentato victitarint, ſeptimus vero id præterea ſibi pri-
vum habuerit, ut ab omni labore abſtinuerint. Vocem
עצרת exponit per *clauſulam feſti*, ex rad. עצר, *continuit, re-*
tinuit, coercuit, ut ſic denotet *cohibitionem laboris*, a quo illo 56 - 63.
die abſtinuerint, quæ ſententia idoneis firmatur rationibus.
Inde lucem fœneratur loco *Jeſ. I, 13*, qui multos interpretes
ſuſpenſos tenuit. Noſter vocem און ex ſignificatu vocis
اون, quæ Arabibus *quietem, tranquillitatem*, notat, reddit
per *quietem*; hinc verba ita convertit: *neomeniam & ſabba-*
thum non poſſum ferre, quietem & abſtinentiam. Vox זונה 63, 64.
Deut. XXIII, 19, non ex זון, *aluit, cibavit*, ſed זנה, *ſcortatus*
eſt, eſt arceſſenda; כלב non improprie per *cynædum*, ſed pro-
prie per *canem*, eſt exponenda; אתנן, ex rad. תנה, *paciſci*,
denotat aliquid, quod ex pacto datur, maxime pro concubitu
cum meretrice *Ezech. XVI, 34, 41, Mich. I, 7*, & alibi. מחיר
eſt a rad. Arabica مخر, quæ in conjug. VIII ſignificat
ſelegit meliores, meliorem cepit rei partem; hinc, quoniam an-
tiquis in uſu fuit permutatio, ad *pretium*, ſive *argentum*, tra-
ducitur. Igitur מחיר כלב eſt id, quod cum cane permu-
tatur, ſive quo canis comparatur. Quare autem mercedem
meretriciam & pretium canis domo Dei excluſum voluerit,
accurate docet. Vult igitur intellectum, 1) pretium pro ca-
ne vendito receptum, vel agnum pro illo commutatum;
2) argumento, a ſimili ducto, omne id, quod Deo exoſum
atque abominabile erat, omnemque quæſtum, qui inde redi-
bat. Inde lucem aliquam affundi poſſe, judicat, loco *Matth.*
XXVII, 6. Pontifices mercedem proditionis ærario ſacro
inferre renuerunt, cauſati, *quia pretium eſt ſanguinis*, quibus
verbis reſpici judicat ad illa, quæ in noſtro loco de pretio ca-
nis dicuntur: cum pretium pro homine vendito ad interne-
cionem multo minus licitum fuerit ad domum Dei adducere,

Digitized by Google

quam proximus erat. Igitur comparaverunt inde agrum, qui cederet in ſepulturam ξένων, peregrinorum, qui apud Judaeos pro
Pag. 71-95. canibus reputabantur. De Sermone VII proponit regulam grammaticam, ab aliis non obſervatam, cujus beneficio multorum locorum Scripturae difficultates expediri queant, his conceptam verbis: *Ebraei plerumque, quando duabus orationis partibus duas alias, ad priores relationem habentes, ſubjungunt, has ita diſponere ſolent, ut prior reſpondeat proxime praecedenti, poſterior remotiori.* Ad quam regulam accommodat locos *1 Sam. VI, 7, Pſ. XLIX, 2, 3, Cant. II, 14, Jeſ. XI, 6-9, Marc. VI, 24, Rom. XI, 22, Matth. XIII, 34-45, Rom. I, 16, 17,* potiſſimum *1 Cor. VI, 13,* ut hinc ὕστερον πρότερον, quod *Glaſſius* credidit, in illis admittendum non ſit.
95-102. *2 Sam. VI, 2,* nomen שם geminatur, quorum prius Cel. *Vitringa* in שם convertendum eſſe exiſtimat, quod recte rejicit, atque poſterius per anadiploſin, addito epitheto, aut propiori deſcriptione, repeti, ac per *inquam,* vel *nempe,* explicandum eſſe, ſtatuit. אשר non refert ad אלהים, ſed ad ארון, atque ſuper illa nominatur nomen Dei; eo enim
102-110. preces fuerunt directae. *Crethi & Plethi* fuiſſe ſatellites & corporis regis cuſtodes, omnes conveniunt; ſed, unde nomen ſit enatum, in divortia abeunt. Cum autem in originibus adhuc notis acquieſcere non poſſet, nomen כרתי repetit ab Arabico كرط, *in ſcopum collimavit, eumque fregit ſtridente ſagitta.* Probat hoc inde, quoniam populis, qui ſagittandi arte incluti fuerunt, nomen huic affine eſt datum. Sic *Curetes,* poſt Κρῆτες, Cretenſes, a ſagittandi peritia nomen ſunt ſortiti. Vel arceſſi poteſt ab Arabico كري (vel, ut alii ſcribunt, كرا) *velox fuit, vehementer cucurrit, vehementer ſaltavit,* quoniam a ſatellitibus illa tempeſtate requiquirebatur, ut expediti, agilique corpore, eſſent. פלתי eſt ex Arabico فلت, quae vox *celeritatis, alacritatis, expediti motus,* aut *actus,* ſignificationem habet. Hinc colligit, ſignificari *homines maxime expeditos, curſores,* ſeu *ſatellites,* &

ad

ad cuſtodiam corporis regis, & inprimis *ad celerrima munia curſu exequenda, aut nuntios deferendos, adhiberi ſolitos*, quos cum militum genere, qui Romanis *velites* dicebantur, (quæ vox etiam forte ex Arabico illo fluxit,) comparari poſſe cenſet. Sententia hæc probatur, quoniam in ſequenti hiſtoria dicuntur רצים & כרי *2 Reg. XI, 4*, quæ nomina cum prioribus idem ſignificent. Priores *ſagittandi*, poſteriores *jaculorum*, aut *fundarum*, peritia præſtitiſſe, erudite docet; quare pſeudo-*Jonathan* reddit קשתיא וקלעיא *ſagittarios* & *funditores*. Hos confert cum Imperatoris Turcici ſatellitibus, qui latus ipſius perpetuo claudunt. Aquas Pag. 111-132.
ex fonte Bethlehemitico & *Davidis* votum *2 Sam. XXIII, 15 ſeq. 1 Chron. X, 17*, multi myſtice explicant; literali ſenſui inhærendum eſſe, arbitratur Noſter. *Chriſt. Tychonius* in *Vita Fabricii pag. 336 ſeq.* obſervat, Orientis reges olim conſueviſſe ex certis fluviis aquas bibere, *Davidem* igitur, patriæ amore ductum, ciſternæ Bethlehemiticæ aquam deamaſſe. Quam ſententiam Vener. Autor ornandam ſumit. *Davidem* doluiſſe, patriam ſuam hoſtibus circumſideri, proinde deſiderium ſuum de oppido ſibi adeo caro liberando declaraviſſe, & optaviſſe, ut illius aquis ſalubribus & boni saporis frui liceret. Quo audito, tres ex ipſius heroibus, *Davide* nec jubente, & fortaſſis illo inſcio, per medias hoſtium acies perraſerunt, & aquam petiverunt, quam tamen recipere noluit, quoniam cum periculo vitæ hauſerant, & ne militibus ſuis ſe incontinentiorem oſtenderet. Exemplum *Alexandri*, non multum abſimile, ex *Plutarcho* in *Vit. ejus pag. 689* addit. Vocem דְּבִיר, commentans ad *Pſ. XXVII, 2*, coll. *2 Reg. VI,* 133 - 143.
16, deducit a rad. Arab. دبر, quæ de *poſtica*, ſive *poſteriori*, alicujus rei parte accipitur, atque hæc in Scriptura verſus *occidentem* ſtatuitur. Verſus hanc plagam ſe Judæi, docente *Maimonide*, in precibus convertere debuerunt, ne gentiles, verſus orientem ſolem adorantes, imitari viderentur. Subjunguntur quædam de precibus Mohammedanorum verſus templum Meccanum, quod a

ſitu *kebla* κατ' ἐξοχὴν appellatur. Circa locum *Pſ. XL, 7*, obſervat, apud Orientis populos paſſim more fuiſſe receptum, ut hominum Dei cultui peculiari ratione devotorum aures perforentur, inque hujus rei ſignum inaures geſtent. Confirmat id teſtimoniis *Leunclavii Pandect. Hiſt. Turc. P. III Cap. 171, J. Cotovici Itin. Hieroſol. & Syriac. Lib. IV Cap. 9, Hier. Dandini Itin. mont. Liban. Cap. 11.* Hoc ſigno porro infantes mox poſt nativitatem Deo conſecratos fuiſſe, docet teſtimoniis *Rogerii* in *Aperta porta ad occluſum ethniciſmum P. I Cap. 7 Lib. I c. 111*; quin, ab ipſa conceptione, aut ab utero, a parentibus devotos fuiſſe, teſtantur *Olearius Itin. Lib. V Cap. 41, Straus Relat. itin. Lib. II Cap. 12*, Autor *noviſſimi ſtatus Caſanis, Aſtracanis*, &c. *Sect. II Cap. 2 §. 28.* Talem morem apud Judæos etiam viguiſſe, probabilibus quibusdam argumentis & exemplo ſervi *Exod. XXI, 5, 6*, cui perforatio non in pœnam ceſſerit, cum potius id fecerit in amorem heri, conjugis, & liberorum, adſtruit. Apud illos quidam ab utero, imo ante nativitatem, Deo ſacri erant, quod exemplo primogenitorum *Exod. XIII, 2*, & *Samuelis 1 Sam. I, 11*, probat; qua occaſione notat, falli magiſtros in Sota, negantes, poſſe quem a matre Naziræatui deſtinari. In Polonia conſuetudo adhuc viget, ut primogenito aures perforentur, inque illis inaures geſtent. Hæc jam applicat ad Chriſtum, cui a patre præparatio corporis in utero matris obtigerit, ut in lucem editus, ſe illi per omnem vitam in ſervum ſiſteret, *Jeſ. XLIX, 1, 5, L, 4, 5.* *Baal-Gad Jeſ. XI, 17, XII, 7*, eſt *Heliopolis* Syriæ, quæ hodierno die *Baalbek*, vel *Balbek*, dicitur, quod ex utriusque nominis convenientia & ſitu erudite evincit. *Baal Hamon Cant. VIII, 11*, pariter eandem cum Balbek eſſe ſtatuit, quod liqueat ex utriusque nominis interno ſignificatu. Egregia illa opera, quæ Balbeci adhuc inveniuntur, non ab alio, quam *Salomone*, ſunt profecta. *Domus ſilvæ Libani 1 Reg. VII, 1 ſeq.* pariter de arce, hic loci condita ab *Salomone*, eſt intelligenda, effigies Deorum, Dearumque, monſtrorum marinorum, famæ item atque cupidinum, forte recentioribus temporibus ſunt expreſſæ. Illuſtratur locus *Cant.*

Pag. 221-235.

Cant. VII, 5. Turris Libani, verſus Damaſcum, eſt caſtellum urbis Balbek, quæ, teſtibus itinerariographis, ſpectat Damaſcum. De עִירָה רֶס *Jeſ. XIX, 18,* variæ ſunt virorum do- Pag. 236-358.
ctorum conjecturæ, quibus examinatis, ſe ad linguam Arabicam Autor recipit, in qua هراس & هرس *leonem* deſignet, ut ſic innuatur *Leontopolis* urbs, in qua, vel prope quam, erat celebratiſſimum illud templum, ab *Onia* excitatum. Vid. *Joſephus A. J. Lib. XIII Cap. 3 §. 1, 2,* coll. *Lib. XII Cap. 10, Lib. XIII Cap. 10. LXX* convertunt πόλις Ἀσεδὲκ, ex Arabico اسد, *leo*, addito *k* a fine, quod reſpondet τῷ ךְ, quod tanquam formativum in ipſo ſacro Codice tam propriis, quam appellativis, nominibus additur. *Aquila & Symmachus* reddunt Ἄρες, Codex Alexandrinus Θάρες. Prius ortum eſt ex هرس, poſteriori τὸ Θ fœmininum eſt præmiſſum. Removentur objectiones, rationem derivationis potius dandam eſſe ex lingua Ebræa, vel Coptica; porro pugnare cum loco *Deut. XII, 5 ſeq.* de loco cultus ſacri unico, cum Deus per *Jeſaiam* id tantum præſignificaverit, quod futurum erat, non approbaverit. Adhæc lex de cultu certo loco adſtricto fuit *poſitiva;* permiſit igitur Deus pro ſapientia ſua, ne Judæi Ægyptii cultu ſacro prorſus deſtituerentur, vel ad Ægyptiorum idololatriam proni ruerent. Monet, quæ in hoc *Capite* de Ægypto præſignificantur, de illa, ejusque diverſis fatis, literaliter debere accipi, nec licere in prophetiis proximiora tempora prætermittere, atque ad longe futura ſaltu quodam tranſilire. Nec tamen vult, in templo Heliopolitano ſubſiſtendum eſſe, ſed ſimul quoque involvi, *Ægyptios magno numero ad Deum Iſraelis convertendos, verique cultus profeſſionem publice edituros eſſe.* In loco *Hoſ. XII, 14 ſeq.* tangi nævum *Ja-* 258 - 28[illegible]
cobi demonſtrat, quo is benedictionem ſibi præ *Eſavo* vindicavit, cujus ſignum aliquod erat prehenſio calcis pedis ipſius in utero materno. Deus tamen ſua providentia ita direxit, ut benedictio deſtinata ipſi obtingeret. *Jacobus* autem poſt in reditu ex itinere angelum Domini multis ſupplicationibus deprecari

precari debuit; in quo certamine quidem principis inſtar ſe geſſit, nihilo tamen minus nervus ipſi eſt luxatus, quo ſupplantationis illius perpetuam memoriam haberet. Vatici-
Pag. nium *Amoſi Cap. VIII, 9*, in *Zachariæ*, filii *Jerobeami II*, ex-
282 - 299 de impletum eſſe, ſtatuit, qui in ipſo ætatis flore, cum ſex tantum menſes imperaſſet, a *Sallumo* eſt interfectus, a quo tempore omnia in regno Iſraelis ſunt perturbata, usque dum tandem *Salmanaſſar* totam regionem devaſtavit, & populum in
300 - 316. Aſſyriam captivum abduxit. Quoniam *Matth. III, 11*, *Luc. III, 16*, nominatur baptiſmus Spiritus ſancti & ignis, ſed *Marc. I, 8*, *Jo. I, 33*, tantum baptiſmi ſpiritus fit mentio, judicat, non uno die, ſed duobus proxime ſequentibus, hæc abs *Joanne* prolata fuiſſe, & quidem ita, ut baptiſmus ignis reſpiciat Phariſæos & Sadducæos, horumque emiſſarios, populumque, adhuc impietati deditum, & præjudiciis occæcatum. Quæ autem habentur verba *Marc. I, 8*, *Jo. I, 33*, directa fuiſſe ad populum credentem, & peccata ſua confitentem. Ut hinc per *ignem* ſint intelligendæ convictiones vehementiores, afflictiones, judicia. Quod ad locutionem attinet, aliorum ſententiis modeſte excuſſis, obſervat, Judæis dici טבילה באש, *baptiſmum per ignem*, cui occaſionem dederit lex *Num. XXXI, 23*, ubi dicuntur vaſa, quæ ferre poſſunt, *igne*, *ceu baptiſmo* aliquo, purganda. Certe magiſtri, habita ratione loci hujus, ſubinde de *baptiſmo ignis* loquuntur, uti in *Jalkut Schimoni* in legem *fol. 97*, in Prophetas *fol. 49*; item in *Sepher Schene Luchot Habberith fol. 67*. Diſerte etiam Chriſtus hujus generis luſtrationes appellat βαπτισμοὺς *Marc. VII, 4*. Paſſim autem homines vaſis comparantur *Act. IX, 15*, *Rom. IX, 22, 23*, coll. *Pſ. XXXI, 13*, & ſic porro; qua occaſione ex illa vaſorum luſtratione illuſtrat locum *2 Tim. II, 21*. His verbis igitur ſignificatur efficacia baptiſmi Chriſti, qui, gratioſa Spiritus Sancti dona illis, qui ſpiritualem mundationem anhelabant, largiturus, obſtinatiores autem atque durioris indolis homines acerbioribus convictionibus, quin tribulationibus atque afflictionibus, ad meliorem frugem reducturus, aut graviſſimis judiciis in plane refractarios animadver-

Digitized by Google

adverſurus eſſet. De *uno jota, aut apice uno, legis non perituro*, ad *Matth. V*, 18, & *Luc. XVI*, 17, refutatis aliorum ſententiis, poſteaquam quædam ex Grammaticorum Ebræorum mente de תגים, *coronis*, קוצים, *ſpinis*, ſive *apicibus*, itemque עוקצים, *petiolis*, monuiſſet, ita ſtatuit: ſermonem eſſe de litera minima cum ſuis apicibus, itemque literis, quæ non niſi apice inter ſe differant. Adducit multa induſtria diverſa magiſtrorum teſtimonia, qui idem dicant. Dicit igitur optimus magiſter, non quidquam periturum eſſe, quod ad eſſentiam literarum pertineat, quia, hoc perdito, ſenſus conſiſtere non poſſit. Simul indicat, omnia illa, quæ in Scriptura habentur, impleri debere. De σαλπισμῷ ſtipem colligentium *Matth. VI*, 2, multi ſunt commentati, quorum alii, ſenſum literalem ſequendum eſſe, exiſtimaverunt, alii, locutionem proverbialem eſſe, ſibi perſuaſerunt, quibus, ad incudem revocatis, ſuam ſubjicit ſententiam ſagaciſſimus *Ikenius*. Ponit hoc, a literali ſenſu non omnino diſcedendum eſſe; inde obſervat, mendicantes olim inter concentus muſicos ſtipem aliquando rogaſſe. Fecerunt id, *Suida* teſte, ſacerdotes *Iſidis, matris Deum*, ſive *Cybeles*, quibus *ſiſtra, tibiæ*, & *tympana*, inter mendicandum erant in uſu, unde ipſi, indice *Euſtathio*, dicebantur μητραγυρτεῖν, &, quoniam ſingulis menſibus fiebat, μηναγυρτεῖν. Apud Mohammedanos ubi religioſi ſtipem colligunt, non ſolum *cantica edunt*, verum etiam *cornibus* utuntur. Indis in uſu eſt *tuba*, itemque *cornu*. Ne quis autem cenſeat, ad præſentem locum hæc minus ſpectare, cum verbum activum a *Matthæo* adhibeatur, notat, verba activa, uti apud Ebræos, aliquando uſurpari pro actione, quam licet quis non immediate edat, ejus tamen quacunque ratione cauſa ſive impulſiva, ſive inſtrumentalis, ſive occaſionalis, aut permiſſiva, eſſe queat, quod exemplis confirmat. Porro monet, σαλπίζειν generaliori ſignificatione etiam de aliis inſtrumentis muſicis adhiberi. Et, licet adhuc demonſtratum non ſit, tale quid apud Judæos obtinuiſſe, ex Codice tamen *Demai Lightfootus Opp. poſthum. pag.* 41 locum produxit, unde colligi poſſit, ritum illum inter Judæos non

Pag. 317-334

335 - 357.

omni-

Pag. 357-377. omnino peregrinum fuiſſe. Locum *Luc. XXIV, 44*, ex Judæorum trina Scripturæ diviſione explicandum eſſe, & ψαλμοὺς hic poni pro כתובים, quoniam liber Pſalmorum primus inter illos fuerit, multorum eſt ſententia. Diviſionem iſtam tum temporis jamdum obtinuiſſe, largitur, ſed negat, in antiquis Codd. primum ſemper occupare locum Pſalmos, nec ullo Judæorum teſtimonio probari poſſe affirmat, libros ſic dictos כתובים generali nomine ψαλμῶν venire. Igitur per Pſalmos librum Pſalmorum ſpeciatim intelligit, atque, illum nominari, judicat, quoniam, uti in *Moſe* & Prophetis de perpeſſionibus Chriſti, atque inde ſecutura ipſius gloria, multa egregia habentur vaticinia, ita etiam talia in Pſalmis non deſiderantur: quare Chriſti internuntii ex his perpeſſionum, mortis, reſurrectionis, & gloriæ ipſius, prædeterminatam veri-
419 - 433. tatem demonſtraverunt. Quo ſenſu vox *mundus Jo. I, 29*, ac in aliis locis ſacræ Scripturæ ſumi debeat, ex ſitu locorum, illorumque nexu cum antecedentibus & conſequentibus, oſten-
433 - 462. dit. Ex obſervationibus in orationem *Pauli*, Athenis coram conſeſſu Areopagi *Act. XVII, 21-31*, habitam, pauca ſeligemus. Δεισιδαιμονία hic non ſenſu ſiniſtro pro ſuperſtitione ſumitur, quoniam Athenienſes *Paulus* in primo limine non ſtatim voluit offendere, qui proinde ipſum non adeo patienter audiviſſent; ſapienter igitur uſu eſt voce ſignificationis mediæ, ne ipſos ab ſe alienaret, nec tamen ipſorum cultum
470 - 471. approbare velle videretur. Per ἄγνωστον Θεὸν intelligit *Deum Judæorum*, 1) quia, cum omnium gentium Deos coluerunt, non videntur ipſum voluiſſe prætermittere; 2) huic proprie
477. competit unitas; 3) recte dici poteſt *ignotus Deus*. Προτεταγμένοι καιροὶ ſunt dies vitæ cujuscunque hominis ante ordinati *Job. XIV, 5*, pariterque fixæ temporum opportunita-
501, 502. tes, *Eccleſ. III, 1 ſeq.* Circa verba *v. 29*, χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ, ἢ λίθῳ, χαράγματι τέχνης, καὶ ἐνθυμήσεως ἀνθρώπου, notat, poſſe priora verba χρυσῷ ἢ ἀργύρῳ ſeorſim ſumi, ultima autem tantum ad vocem λίθῳ referenda eſſe; quanquam tamen etiam χάραγμα generatim de cujuscunque generis ſimulacris, atque adeo & aureis & argenteis, adhiberi poſſit.

poſſit. Ἐνθύμησις diſtincte a τέχνῃ referri poteſt ad diver- Pag. 520, 521.
ſas figuras & repræſentationes, quibus gentium numina ſive
varia, ſive nonnunquam eadem, diverſis modis, pro ingenio
inventoris, aut artificis, exhibebantur. Verbum ὑπεριδεῖν a 522.
multis interpretum redditur per *deſpicere*, *cum indignatione*
contemnere. Rectius illius ſenſum Belgas cum *Luthero* perſpe-
xiſſe, judicat, ut innuatur, Deum *connivendo quaſi diſſimulaſſe*,
aut *diſſimulatione*, vel *ſilentio*, *prætermiſiſſe tempora ignoran-*
tiæ, quod probat tam ex interna vocis indole, ejusque com-
poſitione, quam ex uſu apud ſcriptores Græcos. Πίστιν παρέχειν 528, 529.
v. 31 non fidei donum exprimit, ſed potius *certis atque in-*
dubiis argumentis demonſtrare, aut *confirmatum dare*, quo
ſenſu apud Græcos phraſin occurrere, docuit *Raphelius*, aliique.
Σαλευθῆναι *Ebr. XII, 27*, talem deſignat agitationem, qualis 537.
obtinet in terræ motu, aut vehementiſſimo tonitru, vel vali-
diſſimis machinis cietur, quo objecta, quæ hac ratione com-
moventur, disjiciuntur, ſtatu ſuo deturbantur, aut ſaltem in
graviſſimum interitus diſcrimen adducuntur, quod exemplis
idoneis ex *Diodoro Siculo* & interpretatione LXXvirali pro-
batur. Σαλευόμενα ſunt, quæ ad œconomiam legis, templi, 576 - 578.
politiam Judaicam, ſpectant. Μετατιθέναι ſignificat rem lo-
co ſuo movere, aut plane abolere, aut alia in ejus locum ſub-
ſtituere. Τὰ μὴ σαλευόμενα non notant ſtatum cœli, aut
cœli & terræ, qualis ſub finem ſeculorum eſt futurus, ſed po-
tius ſtatum eccleſiæ novi fœderis, cujus leges, itemque bona,
ſunt immutabilia, credentes pariter perpetua gratia divina
conſervantur. Quæ cum explicatus non habeant difficiles,
major difficultas ineſt verbis ὡς πεποιημένων, ἵνα μείνῃ τὰ
μὴ σαλευόμενα, circa quæ interpretes in divortia abierunt.
Clariſſ. *Bos* pro πεποιημένων legi vult πεπονημένων. Quorum
ſententiis diſcuſſis, verbum μένειν habere ſenſum *exſpectandi*
& *præſtolandi*, demonſtrat, ut ſenſus ſit, veterem œconomiam
tam diu durare debuiſſe, donec œconomia Novi Teſtamenti
adveniret, atque huic locum faceret. Hunc habere ſenſum
verbum μένειν, diverſis locis, ex Scriptoribus profanis, item-
que LXX interpretibus, productis, it probatum. Ipſe *Paulus*

eodem utitur *Act. XX, 5.* Vidit hoc ex parte Clariſſ. *Baul-*
Pag. 578-593. *drius*, cujus cogitationes exhibentur in *Kuſteri Bibl. nova Tom. IV pag. 383.* De locutionibus allegoricis & emblematicis ad *Apoc. III, 20*, obſervat: in locutionibus allegoricis & emblematicis haud raro in generaliori illius conſideratione ſubſiſtendum, non ad ſingulas illarum partes eſſe deſcendendum.
593 - 612. Confirmat hoc locis *Apoc. III, 20, Prov. VIII, 34.* Hæc ſunt, quæ ex egregiis his obſervationibus enotare fuit viſum, quo lectores de illis judicium facere queant. Diſſertationes, quæ hic ſecunda vice, ſed auctiores, comparent, intactas reliquimus, utpote quæ in multorum jam dudum manibus verſantur. Promittit præterea Vir Summe Venerandus duas alias collectiones, quarum alia complectetur Diſſertationes, ad *antiquitates Judaicas* ſpectantes, alia lucubrationes, *hiſtoriam perpeſſionum ſanctiſſimi Servatoris* illuſtrantes, in quibus illæ, quæ jam ſeparatim proſtant, ſecundis curis perpolientur atque locupletabuntur, novis Commentationibus, quæ ſunt difficilioribus locis enodandis deſtinatæ, adjectis. Quod promiſſum ut ipſo opere det effectui, ipſum publico nomine rogitamus, nulli omnino dubitantes, illas conjunctim tantam ab eruditis gratiam inituras eſſe, quantam ſingulæ ſeorſim typis exſcriptæ promeruerunt. Subjunctus eſt index locorum ſacræ Scripturæ, vocum Ebraicarum, Chaldaicarum, Syriacarum, Rabbinicarum, Græcarum, & Copticarum, rerum denique præcipuarum. Charta & typi ſe unicuique facile commendabunt; optandum vero eſſet, ut debita cura in tollendis mendis typographicis impenſa eſſet.

ADRIANI HERINGA, MED. DOCT. Obſervationum Criticarum Liber ſingularis, in quo paſſim veteres Autores, Græci maxime, emendantur.

Leovardiæ, 1749, 8 maj.

Plag. 20.

Herin-

Heringam noſtrum Friſonem eſſe, & nomen prodit, & literarum, quo inclareſcere cupit, genus. Populares ejus jam a longo tempore Græcæ literaturæ ſtudio famam conſecuti ſunt. Habuit Franeccera ab hujus inde Seculi initio, ne longius rem arceſſamus, *Lambertum Boſium*, *Hemſterhuſium*, *Albertium*, *Weſſelingium*, *Arnaldum*, *Valckenaerium*, in Criticorum familia magna nomina, doctores, aut certe alumnos. Quos nuper æmulati tres juvenes Friſones, quaſi de condicto in ſtadium deſcenderunt, varia fortuna. Primus tempore, *Coluthi* editor, *Lennepius*, abiit cum laude, neque poſtremus, neque victor. Hunc proxime ſecutus, non aſſecutus, *Gerardus Horreus*, edito *Animadverſionum in Novum Fœdus & profanos Autores* libello, præter voluntatem, laudabile non multum præſtitit, ambitioni dans ſuas ſpes, ut patet, & nimium ad vota properans, cruda ſtudia in orbem literatum propulit. Poſtremus, de quo ſermonem occepimus, *Adrianus Heringa*, æquales, ſed magnis paſſibus, anteivit. Accidet procul dubio lectoribus hujus libelli idem, quod nobis in ejus lectione accidit. Mirabuntur congeſtam in foliis non adeo multis tantam eruditionis copiam, tot non magis a novitate, quam a præſtantia & ponderibus ſuis, commendabiles obſervationes, a quibus veterum Autorum, Græcorum maxime, ut vel ex inſcriptione conſtat, obſcura loca lucem, affecta medelam, accipiunt. In hoc genere profecto, miſcellaneo puta & deſultorio, multos huic ſimiles in Belgio prodiiſſe, non novimus. Aſſiduam & vaſtam Græcorum voluminum lectionem, ſed non ſine cura atque attentione ſuſceptam, felicemque in conjectando dexteritatem, & maturam judicii vim, nemo non deprehendet; videturque Autor aut florem delibatum ſtudiorum ſuorum hic exhibuiſſe, aut, ſi talia plura domi habet, qualia hæc ſunt, ut credibile eſt eum habere, velitque ea aliquando in lucem proferre, (quod ipſum facere, nos quidem, ut qui maxime, cupimus, & propediem facturum læti accipimus,) ad Criticorum, quotquot magni fuerunt, ſodalitium jure merito adſpirare.

Peritus artium, quibus opinio & ſtudia hominum occupantur, præfixit Vir Clariſſ. operi ſuo, quod *Pindarus* ait,

 Tη-

τηλαυγὲς πρόσωπον, peringenioſam de Lexico *Hippocratico*, quod *Erotiano* tribuitur, obſervationem; e qua, quanta cum cura & ſedulitate *Hippocratem* triverit, medicorum patrem, ipſe medicus, appareat. Negat, Lexicon illud olim ab Autore in eum ordinem, quem hodie præfert, digeſtum fuiſſe, idque rationibus evincit tam luculentis, ut mirum ſit, eruditorum hominum, qui librum iſtum tractarunt, neminem id deprehendiſſe. Claris verbis improbat *Erotianus* in Præfatione morem ſui quoque temporis, quo Lexica in ordinem alphabeticum coguntur; eoque nomine *Glauciam* & *Epiclem* nominatim taxat; ſe itaque ita inſtituiſſe ſuam operam ait, ut, perſequens librorum *Hippocraticorum* ſeriem, gloſſas ſuo quasque loco explicet, indicio identidem addito, ubi ad novum librum tranſitus fiat. Quorum omnium nihil præter veſtigia in editis apparet, e quibus intelligas, fuiſſe ævo ſeriore hominem, qui conſilium ceperit non optimum, ordinem veterem, quem nullum reputabat, ad utilitatem ampliorem reformandi; laudandus in eo, quod non omnes antiqui inſtituti notas deleverit; neque exacte alphabeti ductum fuerit ſecutus, ſed tantum excerpſerit primo quidem omnes voces, ab A incipientes, eo ordine, quo in vetere *Erotiano* occurrebant: deinde autem B ſimili ratione, tum Γ, & ſic porro. Quod perquam utile eſt ad indaganda loca *Hippocratis*, quæ ſcrutantium, & *Foeſii* maxime, diligentiam adhuc effugerunt; & Noſtro ſane hoc in negotio egregie profuit, & præterea ſæpe indicium corruptelæ, *Hippocrati* adſperſæ, fecit. Cujus rei exempla quædam mox afferemus. Duxit quoque Noſtrum hæc obſervatio eo, ut ordinem librorum *Hippocraticorum* veterem, qualem certe affectatus fuit *Erotianus*, deprehenderet ab editionum noſtrarum diſpoſitione diſcrepantem; quem exhibuit *pag. 9*. Hanc ſuam obſervationem exemplis confirmare pergit *pag. 11*, unde nos ſpeciminis gratia illud transferemus. Exſtat apud *Erotianum* gloſſa: Συνθεῖν, συντρέχειν, cui *Foeſius* locum non aſſignavit. Noſter autem, ductu ſuæ obſervationis, deprehendit, eam aut ad librum *de Fracturis*, aut ad illum *de Articulis*, pertinere, quando quidem

dem præcedens gloſſa Στερήριςαι in illo, ſequens autem Στρωτῆρα in hoc, reperitur. Refert ipſe ad Librum *de Fract.* *pag.* 775, *C*, edit. *Foeſianæ*, quam ubique citat. Ubi male proſtat ξυνδεῖν, quod *Foeſius*, vitium ſentiens, in ξυντρίχειν mutaverat, recte quidem, quod ad ſenſum: at *Hippocratis* manus dederat ξυνθεῖν, ut *Adrianus* noſter ex *Erotiano* deprehendit. Eadem *pag.* 11 emendat *Erotianum*, qui Ἀπαυρίσκεται per ἀπολλύεται reddit. Quod Noſter non probans, putat, pro ΑΠΟΛΛΥΕΤΑΙ reponi debere ΑΠΟΛΛΥΕΤΑΙ. Facillima profecto & ſpecioſa conjectura Cui tamen diffidere incipias, locum *Hippocratis*, quem ipſe ibidem excitavit, *Lib. IV de morbis* conſiderans, in quo ἀπαυρίσκεται non poteſt non idem eſſe, atque ἀναλίσκεται, ἀπόλλυται, *diſſipatur*, *diſtributum ſe perdit*. *Pag.* 12 indicat fontem gloſſæ *Erotiani*, & *Hippocratem* præclare emendat. Apud illum quidem exſtat gloſſa: Πηρῖνα τὸν ὄσχεον, vel τὸν περίναιον: inter duas alias, quarum præcedens Πικερίῳ *pag.* 614, ſequens autem *pag.* 623, *Hippocratis Foeſiani* legitur. Jam ex regula ſua didicit Noſter, gloſſam *Erotiani* ad locum aliquem *Hippocratis*, intra duas illas paginas interceptum, pertinere. Invenit quoque feliciter *pag.* 622 *lin.* 13, ubi pro πηρῖνα, vetere gloſſa, ſcholion ejus περίναιον hodie in libris proſtat; quemadmodum in aliis quoque Autoribus ſæpe contigit.

Et iſta quidem ex *primo Capite* decerpſimus. *Secundo* varios ſaltuatim attingit Autores, ea occaſione, quod exemplis demonſtrare ſtudet, vetuſtam in ſcribendo negligentiam diſtinctionum ſæpe anſam erroribus librariorum dediſſe. Inter alia elegans eſt, quod *pag.* 15 ad *Q. Calabri Lib. XII verſ.* 131 habet ὑποκριθέντι. Qua fuit Noſter perſpicacia, vidit duas voces hic loci colliquatas in unam, & literas Ο & Θ permutatas, adeoque loco pravi ὙΠΟΚΡΙΘΈΝΤΙ legendum eſſe Ὑ Π' ὈΚΡΙΌΕΝΤΙ. Neque minus lepida eſt ad *Dionis Caſſii Lib. XLVIII pag.* 382 obſervatio, quæ *pag.* 20 profertur. Vulgati libri dant ἐγένετο μὲν καὶ ἐνιαυρίοις τοῖς παρθένοις κύησις. Pulchre vidit Noſter, corruptum

EN-

ΕΝΙΑΤΡΙΟΙΣ rite dividendum, & leniſſima correctione in ἘΝ ἸΑΤΡΊΟΙΣ refingendum eſſe. Mireris, tam facilem rem & in propatulo poſitam interpretes *Dionis* omnes, etiam recentiſſimum, Hamburgenſem, præclare cetera de illo Autore meritum, fugiſſe. *Capite tertio Pollucem* potiſſimum tractat, cujus illud τὰς ἑκατέρας τῆς γλώσσης κοιλότητας χηραμὺς καλῦσιν (locus eſt *Lib. II Segm.* 107,) recte quidem emendat *pag.* 25, pro ſecunda voce ἑκατέρως legens. At explicatio, quam dat, loci nondum potuit aſſenſum a nobis impetrare. Utrumque linguæ cavum putat eſſe ſpatium inter ipſam & palatum; alterum inferius a lingua cum maxilla inferiore formatum. Putemus, commodius geminum illud cavum, quod linguæ ſubjacet, frenulo, ceu pariete intergerino, diſſeptum, deſignari. *Capite quarto* de pagis Atticis agit; *quintum* ſimilis pæne argumenti eſt, totum geographicum; & illuſtrandæ Tabulæ *Peutingerianæ* deſtinatum. Veteri Geographiæ multum operæ impendiſſe Virum Clariſſ. novimus ex illis, quæ ad *Stephanum Byzantinum* in poſtremis *Tomis Obſervationum Miſcellanearum Criticarum Amſtelodamenſium* dedit. Intelligas quoque ex illis ejus notatu dignis verbis, quibus *Caput* iſtud orditur: *Neglectum adeo jacere Geographiæ veteris ſtudium, ſæpe indignabundus miror, maxime cum tot & tanta reſtent perficienda, atque e tenebris eruenda.* Sed properamus ad *Caput ſextum* & *ſeptimum*, quibus noſtram excerpendi diligentiam infigemus. Tam enim plena ſunt bonarum rerum, ut vel ſola valeant Virum lectoribus commendare. In *Hippocrate* occupantur ambo, non ſola quidem, nam & *decimum tertium*, item *vigeſimum*, eidem impenſa fuerunt, & alibi paſſim navata opera. Sed curandum nobis eſt, ne nimii ſimus. Cupidis harum elegantiarum ſalivam moviſſe, ſatis eſto.

Prima itaque *Obſervatio*, quæ *ſextum Caput pag.* 44 auſpicatur, eſt ad locum *Hippocratis* Libro *de aere, aquis, & locis*, *pag.* 281, *C*, ubi vulgatum eſt: ἃ εἰκὸς γενέσθαι ἢν μή τις ταῦτα πρότερον εἰδὼς πρόφρωντις ῇ. Ultimas tres voces in unam contrahit Noſter, προφροντίσῃ, ſcite profecto. Locum, qui *pag.* 283, 47, ſic proſtat editus, σπλῆνας μὲν αἰεὶ μεγάλους εἶναι καὶ μεμυωμένους, recte reſtituit *pag.* 45, ulti-

ultimam vocem in μεμωλωμένως mutans, id eſt, *induratos, ſcirrhoſos*, & eadem *pagina* ἰδίει *ſudat*, pro vulgato δίλει (*pag. Hippocr.* 285, 21,) ; *pag.* 50 *ſeq.* proponit hariolationem ad *Hippocratis* locum *pag.* 290 *lin.* 40: τῶν τοιέτων ἀνθρώπων ἀνάγκη ἐρημῶσθαι τὴν γῆν. Quibus in verbis non facile quis offendat, neque ipſe Noſter quidquam motum iviſſet, fuiſſet abſque *Erotiano*, qui gloſſam habet: Ἀράβη, βλάβη, quam, cum didicerit ex regula ſua, ad ſpatium pertinere, *pag.* 290 & 292 incluſum, non inveniens commodiorem locum, huc infercit, expulſo ἀνάγκη. Erunt procul dubio, quibus ea quidem conjectura non arrideat. Sed neque ipſe Autor multum ei tribuere videtur. Certius eſt, & dubio potius, quod ad initium *ſeptimi Capitis pag.* 55 proponitur. Legitur *Epidem. V pag.* 1153, *D*, de infortunio ſutoris cujusdam hæc narratio: ὁ σκυλεὺς κάσσυμα κεντῶν ὁ ἐπὶ τῷ πιτύῳ, ἐκέντησεν αὐτὸν ἐπάνω τῦ γόνατος ἐς τὸν μηρὸν, καὶ ἔβαψεν ἐς δάκ]υλον. Exhibent quidam Codices pro quinta voce & ſequentibus ἐν τῷ ὀπιτίῳ. Unde Noſter efficit κεντῶν τῷ ὀπητίῳ, *perforans ſubula*. Eſt enim ὀπήτιον *ſubula*. Æque certum eſt, quod *pag.* 58 corrigit ἈΚΡΟΠΛΟΌΟΥΣ in *Prædict. II pag.* 95, *E*, pro ἈΚΡΟΠΑΘΟΥΣ, quod ibi vitioſe legitur. Opponuntur enim cancri ἀκρόπλεοι, *ſuperficiarii*, τοῖς ὑποβρυχίοις, *occultis*. Æque etiam certum eſt, quod *pag.* 59 corrigit κῦλα, pro vulgato κύκλα, in iſtis *Epidem. VII pag.* 1211, *C*, καὶ τὰ κύκλα τῶν ὀφθαλμῶν ἐπῴδει. Etiam extra controverſiam eſt, quod *pag.* 60 proponit, γάγγλια ſcribendum eſſe pro vulgato τάγγαι, in *Epidem. Lib. II pag.* 1002, *C*.

Mittimus alias bonæ frugis obſervationes, a Noſtro ad *Hippocratem* allatas, jam propoſituri alias ejusdem, in quibus nobis quidem a recta via deflexiſſe videtur. Quæ in fine libri monuit, tantam, produnt, ejus æquitatem atque modeſtiam eſſe, ut diſſenſum ferat. Quod fiduciam nobis facit, fore, ut judicium noſtrum, ambitione, moroſitate, & carpendi libidine, liberum, humaniter accipiat. Non omnia preſſo pede perſequemur. Nimium id & ab hoc loco alienum eſſet,

E e Spe-

Specimen ſaltem dabimus. Primum itaque ad *pag.* 24 notamus, locum *Pollucis*, noſtra quidem opinione, absque cauſa tentatum fuiſſe. Ait *Pollux Lib. II ſegm.* 44: *Involvunt cerebrum duæ membranæ*, ἡ μὲν ἔνδοθεν ἐρυθροτέρα, ἡ δὲ ἔξωθεν ςερεωτέρα, *interior magis rubicunda, exterior magis robuſta.* Animadvertit Vir Clariſſimus, oppoſitionem hanc non omnino congruam eſſe, ideoque pro ἐρυθροτέρα ſufficit ἐλαφροτέρα. Verum longe abit hæc a vulgata ſcriptura; neque evictum eſt, *Pollucem* oppoſita duo prædicata commemorare voluiſſe; quod ſi voluiſſet, potius ἀραιοτέρα dixiſſet. Atqui non opus illis. *Pollux* naturam rerum ſatis habuit indicaſſe. Pia mater profecto tot obſita eſt exſtantibus & plenis cruore vaſis, ut ejus quaſi character diſtinctivus ſit rubedo, & ab hac nota ſtatim ſe prodat conſpectui. Duræ autem matris propria qualitas eſt durities, & tenacitas; unde ipſi quoque nomen. *Pag.* 44 ſollicitat vocem σπάσματα in illo *Hippocratis pag.* 282 *lin.* 42: ὑπὸ γὰρ βίης ῥήγματα ἴσχυσιν καὶ σπάσματα, & mallet χάσματα. Atqui *Hippocratica* ea vox non eſt, & vel admiſſa quoque faciet Coum noſtrum ταυτολόγον. Nam, ſi recte reputes, redit utraque vox ad eundem ſenſum. Nihil itaque mutandum cenſemus. Sunt σπάσματα diſtenſiones partium ſeu carnearum, ſeu membranoſarum, immodicæ, ultra tonum ſpaſmi. *Pag.* 49 ſubrogatum it ἐυοργητότερα vulgato ἐυεργότερα, in illis *Hippocratis pag.* 288, 40: τὰ ἤθεα τῶν ἀνθρώπων ἠπιώτερα καὶ ἐνεργότερα. Credimus, emendationi ſatisfactum, ſi ἐυεργότερα reſcribatur, aut ſaltem, ad noſtri ductum, ἐυοργότερα. Quidni enim εὔεργος ſignificare poſſit *benefaciens*, ideoque ἐυεργότερος, *beneficentior*, quando ἄεργος, περίεργος, σύνεργος, habemus? *Pag.* 50 monet ad illud *Hippocratis pag.* 290, 16: τῷ ἠέρι χρώμενοι οὐ λαμπρῷ, ἀλλὰ χνοώδει τε καὶ διερῷ, pro ultima voce habere *Erotianum* λιβρῷ. Sed, deſerto ſuo *Erotiano*, facit cum vulgata, præter morem ſuum. Quod ut faceret, ratio nulla ipſi erat, quantum nos quidem intelligimus. Quid enim? Vox rara, & forte nuſpiam, niſi hic, obvia, λιβρὸς. poteſtne ſecundum Grammaticam idem atque διερὸν, *humidum*, non ſignificare?

Cogi-

Cogitaſſet modo Vir Claſſ. notiſſimam vocem λειμὼν, quæ notat ἀνθηρὸν καὶ ὑγρὸν τόπον. Cogitaſſet λιβὰς, λιβάδιον, & cetera. Sin *Heſychius* λιβρὸν per διυγρὸν explicat. Porro tentat in eadem theſi ſanam, noſtra quidem ſententia, vocem χνοώδει, quæ *Lindenium* quoque tam male habuit, ut in ſua editione γνοφώδει pro ea reponeret, ingenioſe, non tamen recte. Noſter autem mavult ἀχλυώδει, quod eodem redit, quo *Lindenianum* iſtud. Verum ἀὴρ χνοώδης eſt *aer muccidus*. Talem aerem agnoſcas ex parietibus ædificiorum, quibus præſertim in ſoli vicinia viridis aliquis mucus & lanugo ab humiditate obrepit, δρόσος καὶ χνοῦς, ὥσπερ μήλοισιν, ἐπανθεῖ, ut ait *Ariſtophanes* in *Nubibus*. Nemo facile noſtratium non intellexerit vernaculam dictionem *eine beſchlagende Lufft*, *eine ſchimmelige Lufft*, *dumpſige Lufft*. *Pag. 52* vocem ὀλώδεα invectum it loco editi ὀδώδεα, in illis *Hippocratis pag. 295, 4*, ὕδατα κρηναῖά τε καὶ ςάσιμα πίνοιεν καὶ ὀδώδεα, citatque Autorem *Galenum*, qui gloſſam, huc, ut ait, referendam, Ὀλώδεα, θολερὰ ἢ μέλανα, habet. Atqui ΟΛΩΔΕΑ iſtud *Galeni* prava ſcriptio eſt recti ΘΟΛΏΔΕΑ, quod *Galenus* in ſuo *Hippocrate* videtur inveniſſe. *Pag. 53* obſervat, quosdam Codices eadem *Hippocratis Foeſiani pagina lin. 6* pro λείην habere λίσσην, & hoc præfert illi; quia λεῖος *planum* notet, quod cum præcedente ὑψηλὴν pugnet (tanquam in editioribus quoque terris vaſtæ planities eſſe nequeant); λίσσος autem *levem*, *glabrum*, notare. Atqui λεῖος id ipſum quoque non minus notat. Accedimus ad locum memorabilem *Hippocratis*, de quo Vir Clariſſ. bene mereri voluit *pag. 56* & ſequentibus. Neque diffitendum, recte nonnulla eum obſervaſſe. Sunt tamen tam prava, quæ ipſius acumen prætericrunt, quam proba, quæ præſtiterat non attrectaviſſe. Quod quo melius pateat, adſcribemus totum locum, ipſius exemplum imitantes. Exſtat *Epidem. Lib. V pag. 1155, F*: Ὁ Ἐνιάτης ἐν Δήλῳ ἀκοντίῳ πληγεὶς ὄπισθεν τοῦ πλευροῦ κατὰ τὸ ἀριςερὸν μέρος, τὸ μὲν ἕλκος ἄπονος. Τρίτῃ δὲ γαςρὸς ὀδύνη δεινή. Ὀυχ ὑπεχώρεε. Κλυσθέντι δὲ κόπρος ἐς νύκτα. Ὀυ κόπος διαλιπών. Ἕδρη εἰς τοὺς ὄρχιας. Τετάρτῃ καὶ

 ἥβην

ἥβην καὶ κωλίην πόνος κατεῖχε. Ζῶν ἀτρεμεέειν οὐκ ἠδύνατο. Χολώδεα ἤμεσε καταχορέα. Ὀφθαλμοὶ οἷοι τῶν λιποθυμεόντων. Μετὰ τὰς πέντε δὲ ἐτελεύτησε. Θερμὴ λεπτή τις παρῆν. Graphica deſcriptio, quales ſunt *Hippocratea* pleræque. Formabimus jam de cauſa judicium, in naturam morbi inquirentes, ad quam videtur *Aſclepiadens* noſter non ſatis attendiſſe. Procul dubio ictus homo, de quo Cous narrat, ita fuerat, ut ferrum a tergo per infimas coſtas ſiniſtri lateris lobumque pulmonis & carneam partem diaphragmatis in abdomen, aut colon, penetraret, magno vaſe non læſo. Unde magna ſubitaque exinanitio non fuit; & tertio demum die cœpit dolor in ventre, cruore effuſo, ut in loco calido & clauſo, ignem concipiente, atque ad putredinem vergente. Inde tertia nocte cœperunt ſcroti contenta dolere, gangræna peritonæum circa decurſum vaſorum ſpermaticorum & annulum, & a colo inde usque ad ſphincterem ani, atrodente. Promanavit inde ſerpens gangræna ad ductum peritonæi per regionem pubis, & tenuia inteſtina verſus umbilicum. Hic homo ſæviente adhuc gangræna periit. Hinc eſt, quod *Hippocrates* ait, eum, quamdiu viveret, requieſcere non potuiſſe. Tales nempe ægri incredibile anguntur & jactantur inquietudine, clamantque per delirium, ſe vivis carbonibus intus uri. Alias ſolent paulo ante mortem, partibus jam extinctis, omnia ſymptomata graviora remittere, redire quies, & æger ſibi atque amicis ad ſanitatem ſpectare. His præmiſſis, facile jam erit, ſupra ſcripta verba recte percipere, &, ubi oportet, reformare. Similis exſtat locus, aut, ut rectius dicamus, reperitur hic idem caſus, *Epidem. Lib. VII pag. 1218, B*, unde recte Noſter pro Ἐνήτης emendat Ἀινήτης. Ex eodem loco in noſtro repoſitum : κόπρος ἦν, & καὶ ὁ κόπος διαλιπών. *Libro VII* habetur ἕδρη ἔξω εἰς τοὺς ὄρχιας, quod aliqui verterunt *ſedes extra in ſcrotum prolapſa eſt*, quos Noſter merito caſtigat; ipſe, reſcribi debere ἕδρη ἔξω εἰς τοὺς ὀσφύας, exiſtimans, quo deſignetur, ſedem doloris in lumbos extro verſum fuiſſe. Tandem pro κατεῖχε, ζῶν, deleta diſtinctione, una voce legit καταυγίζων cum *Lindenio*. At nos quidem, motibus illis opus eſſe,

eſſe, non putamus, & jam noſtram de loco præſente ſententiam expoſitum imus. Et primum quidem offendit τὸ μὲν ἕλκος ἄπονος dictio, in cujus poſtrema voce vitium non eſt, quod credidit Vir Clariſſimus; quapropter etiam ἄπονον reſcribi vult: ſed reſidet in ἕλκος, cujus loco ſubſtitui debet εὐθύς. *Æger τὸ μὲν εὐθὺς protinus quidem a vulnere erat absque doloris ſenſu, verum tertio die gravis incumbebat dolor.* Dein ſic interpungendum eſt: οὐχ ὑπεχώρεε (ſubint. ἡ γαστὴρ,) κλυσθέντι δὲ, (ſubintell. ὑπεχώρεε,) *non ſeceſſit* (alvus) *at clyſteriſato* (ſeceſſit). Tum ſic ordinanda verba, κόπος ἐς νύκτα οὐ διαλιπὼν ἔδρη εἰς τοὺς ὄρχιας. *Dolor ſub noctem non remittens evadebat in ſcrotum,* vel *in teſticulos.* Primum quidem κόπρος vitioſum delevimus, & adſcriptam a docto quodam viro ejus emendationem κόπος, quæ ab imperito librario, ſervata prava lectione, in textum loco non ſuo intruſa fuerat, repoſuimus. Dein ἔδρη ſcripſimus pro ἕδρη. Eſt illud Imperfectum Ionicum pro ἔδρας, a verbo antiquato δράω, δρῆμι, δίδρημι; unde δραπέτης, δρασμὸς, ἀποδιδράσκειν, διαδιδράσκειν, & alia. Reliqua ſupra ſcripti *Hippocratici* loci omnia ſana ſunt.

Volebamus in his recenſioni noſtræ finem facere, verentes, ne ſint, quibus aut copia tædium, aut noſtrum hoc de novis libris cum judicio & animadverſione exponendi genus, bilem moveat. Sunt profecto, quod ſæpe intelleximus, homines titillationem non ferentes, qui vel imminentes digitos, multo magis attactum, extimeſcunt; qui, occupati ſua opinione, adverſus diſſentientes immites, ſi quis vera & recta moneat, tyrannidem in literatos, & piraticam in recens prodeuntes libros exerceri, clamant. At invitati tamen *Hippocratis* merito & ſuavitate, unum ſaltem adhuc locum, cum pace Clariſſimi noſtri *Adriani*, & Lectorum ſub examen adducemus. Agitatus ille a Noſtro fuit *pag. 166*, & continet deſcriptionem inflammationis uteri. Locus eſt inſignis, quem compendii gratia maxima ex parte tantum Latinum dabimus, Græca non adſcripturi, niſi ubi opus erit. *Quando eryſipelas uterum tenet,* ait Cous *Lib. II de Morb. Mulier. pag. 663,*

46, tument mulieri pedes, & mammæ, & reliquum corpus, dolor obrepit, & orthopnœa, dolent mollis renum regio, & inferior venter, & ſterni regio, (ſeu pectus,) *& caput,* τρόμος τε ἔχει, καὶ τὰς χεῖρας νάρκη, καὶ τὰς βυβῶνας. Καὶ τὰς ἰγνύας τρέμει. *Interdum quoque vibices lividi apparent in poplitibus. per parva intervalla remittit morbus*, καὶ ἡ χροίη, μάλιϛα δὲ καὶ οἱ μαζοὶ ἀείρονται κατὰ τὴν ὁμοεθνίην, *ſed dolor* (in illis quidem partibus) *non adeo vehemens. Occupat æſtus & rigor febrilis. Vultus rubeſcit, ſitis intenditur*, καὶ τὸ ἧπαρ ξηραίνεται. *Hæc ſi gravidæ accidant, moritur, neque facile evadat.* Hactenus Cous ſenex. Quæ primo loco poſuimus Græca, Noſtrum quidem morata non fuerunt. At certum tamen eſt, ordinem verborum turbatum, & ſic reſtituendum eſſe: τρόμος τε ἔχει καὶ νάρκη τὰς χεῖρας, *manus tremunt & obtorpent. Etiam inguina & poplites tremunt.* In iis, quæ ſecundo loco Græca exhibuimus, offendit Noſtrum, idque merito, vox χροίη, quam in ἀχροίη mutatum it, *color fœdus* (ſubintell. *evadit*). Atqui, admiſſo illo, perit μάλιϛα δὲ, quod indicat, verbum ἀείρονται, *attolluntur*, etiam voci χροίη commune eſſe. Procul dubio ſcripſit *Hippocrates*, non χροίη, *color*, ſed χροτίη, *cutis*. *Cutis, ſed præcipue mammæ, ipſæ turgeſcunt, quandoquidem ſunt* (mammæ ſcilicet) *ejusdem* ἔθνεος, *gentis*. Dicere vult, affecto utero mammas quoque in conſenſum trahi, quando quidem illa duo ejusdem gentis, fœmininæ ſcilicet, ſint, eandem gentem, a maſculina gente diverſam, conſtituant. Maxime autem ſollicitum habuit Noſtrum vox ἧπαρ, quæ in Græcis, ultimo loco poſitis, habetur. Negat, ſe percipere, quare *Hippocrates*, hepar magis exareſcere, quam alias partes, dicat. Ideoque tentat ἴλαρ, ideo quod ea apud *Erotianum* quidem inter *Hippocratica* vocabula legatur, nullibi tamen hodierni *Hippocratis* exſtet. Et, quod magis, *Galenus* teſtatur, eam *Libro ſecundo* τῶν Γυναικείων exſtare, & τὸ τῆς γυναικὸς αἰδοῖον ſignificare. Quæ Noſter nulli, quam huic, loco congruere exiſtimat. Videtur tamen de ſignificatione oppido rara, quam *Galenus* ei tribuit, addubitare. Quam nos quidem in medio relinquimus litem,

certi,

certi, vocem ἧπαρ hic loci temerandam non eſſe. Quid enim notius, quam veteres officinam & fontem ſanguinis in hepate repoſuiſſe; quo exſiccato, ceterum quoque corpus areſcere & ſitire neceſſe eſt. Ita ratiocinabantur illi veteres.

Sufficiant hæc, ad *Hippocratem* & *ſextum* Noſtri, quem coram habemus, *Libri Caput* diſputata. Jam redimus ad penſum abſolvendum, & breviſſimis præcipua reliquorum *Capitum* argumenta perſtringemus. Octavo itaque videmus *Philoſtratum*, nono *Manilium*, decimo *Argonautica Orphei*, undecimo ejusdem *Hymnos*, duodecimo *Strabonem*, potiſſimum tractatos. *Decimo quarto* & *vigeſimo Hippocratem* illuſtrari, ſupra jam diximus. *Decimum quintum* ad *Polyænum*, *decimum ſextum* ad *Vitruvium*, pertinet, cujus Codicem manu exaratum Noſter in Academiæ Franequeranæ Bibliotheca verſavit. Proximum dicatum eſt Epigrammatibus Græcis, alterum ab eo *Ariſtaneto*. Ultimum ſecundæ decuriæ *Caput* geographicum eſt; *vigeſimo primo* agitatur *Athenæus*; *ſecundo* & *tertio Anthologia* Græca, paucis abhinc annis a *Jenſio* edita; tribus proximis *Heſychius*; *ſeptimo* poſt *vigeſimum Stephanus Byzantinus*; *octavo* & *nono Menandri* reliquiæ. *Capite* porro *trigeſimo* rurſus revocantur ad examen Epigrammata *Jenſiana*. Ultima duo *Capita*, *trigeſimum primum* & *ſecundum*, miſcellanea ſunt, &, præter alios, jam nominatos, *Herodotum*, *Callimachum*, *Senecam Tragicum*, *Nonium*, *Nicandrum*, cum reliquis delibant. Finem faciunt addenda, quibus aut retractantur quædam, aut ab aliis, inſcio Noſtro, jam dudum occupata, cum Autorum elogio indicantur. Eo laude ſunt digniores Noſtri candor, & æquitas, & modeſtia, quo rariores hæ virtutes in Criticis ſunt; quamvis nullum literarum æque atque hoc genus ad errorem proclive ſit, quippe cujus magna pars memoriæ tenacitati debetur. In univerſum, quod jam ſupra pronuntiavimus, ut varietate amœnum, ita uſu egregium, eſt hoc opuſculum, exemplar, quod juvenes literatores imitentur.

THEO-

THEORIÆ SPECULORUM CYLINDRICOrum & conicorum Pars prima, in qua fundamenta generalia ejus demonſtrantur, a GOTTLIEB AUGUSTO MOSDORFFIO.

§. I. *Definitio I.*

Conus eſt pyramis infinitorum laterum, cujus baſis eſt circulus. Et, ſi, baſi manente finita, axis coni ſit infinite magnus, oritur inde cylindrus. Ergo cylindrus eſt priſma infinitorum laterum. Prouti igitur conus eſt, vel rectus, vel obliquus; ita etiam cylindrus in easdem abibit ſpecies. Nobis tamen in ſequentibus tantummodo de rectis ſermo erit; in obliquis enim, ob ejusmodi conorum irregularitatem, determinatio imaginis nimiis difficultatibus eſt obnoxia.

Corollarium.

Quæcunque ergo in ſequentibus de cono demonſtrabuntur, ea valere quoque debent de cylindro, modo ea immutentur, quæ magnitudo axis immutari jubet.


§. II. *Theorema I.*

TAB. II Fig. 1. Si punctum *e* emittat radios in rectam *AG*, hi radii reflectentur ita, ut 1) angulus incidentiæ angulo reflexionis ſit æqualis; 2) cathetus incidentiæ cum radio incidente & reflexo ſit in eodem plano; & 3) radii reflexi in uno puncto collecti videantur, quod tantundem diſtat a plano tangente, quantum punctum radians ab eodem diſtat.

Demonſtratio.

Concipiatur planum *RSgT* tangere conum in recta quacunque *Ag*. Ergo, ſi ex puncto *e* incidant radii in iſtud planum, & ex *e* demittatur ad idem normalis *eS*, patebit ex natura ſpeculorum planorum, omnes radios, in planum *RSgT* incidentes, uniri poſt reflexionem (ſi ſcilicet continuati poſt planum reflectens intelligantur) in uno puncto *n*, quod erit in catheto *eS* continuato, & cujus diſtantia ab *S*, ſive *Sn*, erit = *eS*. Jam vero linea *Pg* eſt in plano tangente *RSgT*. Ergo etiam pars iſta coni, quæ tangitur a plano *RSgT*, & ad quam pertinet recta *Pg*, eſt latus pyramidos, quæ conum conſtituit (§. 1), conſequenter concipienda ut rectilinea. Ergo etiam

TAB: II ad · Nov.



Digitized by Google

etiam radii, in eam incidentes, reflectuntur eodem modo, ut a plano tangente. Hinc omnes radii, ab illa reflexi, colliguntur in unico puncto *n*, & reflectuntur ita, ut angulus incidentiæ angulo reflexionis ſit æqualis, & radius incidens cum reflexo & catheto in eodem plano (per princ. Catoptr.). Q. E. D.

§. III. *Definitio II.*

Lineam *AG*, vel partem ejus *Pg*, quæ radios, ex *e* incidentes, ceu ſpeculum planum, reflectit, in poſterum *lineam reflectentem*, & punctum quodvis ejus, v. g. *P*, *punctum reflectens*, vocabo. Planum vero, quod conum in linea reflectente tangit, *planum tangens* vocabitur. Et, quia radii, a linea reflectente reflexi, in puncto *n* collecti videntur (§. *II*), & tranſeunt quoque per lineam reflectentem *AG*, ſequitur, ut omnes radii, a linea *AG* reflexi, ſint quoque in eodem plano, quod *plani reflexi* nomine in poſterum veniet. Punctum *n* vero *punctum unionis* appellabitur.

§. IV. *Definitio III.*

Ponamus, *P* eſſe punctum reflectens reſpectu radii *eP*, ex *e* emanantis, & ducatur cathetus *aP* per punctum *P*, qui, cum ad lineam *AG*, conſequenter ad coni ſuperficiem, ſit normalis, tranſibit per axem coni *AF* in *V*. Et, ſi per punctum radians *e* concipiatur ductum planum *bgec*, baſi parallelum, & quod lineam reflectentem *AG* in puncto quodam *g* ſecet, deinde punctum *g* jungatur centro *f* recta *fg*, hæcce *fg* cum normali *aPV* erit in eodem plano *Agf*. Conſequenter, ſi utraque producatur verſus *N*, non poſſunt, non in iſto puncto *N* ſibi occurrere; eſt enim *PV* ad *Ag*, & *fg* ad *Af*, normalis. Hancce lineam *gN* in poſterum *lineam determinantem*, & *N punctum determinans*, vocabo.

§. V. *Theorema II.*

Si per radium incidentem *eP* & reflexum *PQ* concipiatur ductum planum reflexionis *QPe*, hocce planum erit ad planum tangens *TgePA* normale, & continuatum tranſibit per punctum determinans *N*, & punctum unionis *n* (§. *III*).

Demonſtratio.

Radius incidens & reflexus cum catheto *Pa* debent eſſe in eodem plano (*§. II*). Jam vero cathetus *Pa* eſt normalis ad lineam reflectentem *Ag*, conſequenter etiam ad planum, quod conum in iſta linea tangit. Ergo etiam planum, quod per rectas *Pe*, *Pa*, *PQ*, ducitur, ad planam tangens erit normale. *Q. E. P.* Cathetus *Pa* tranſit, ſi continuetur per punctum determinans *N* (*§. IV*). Jam vero idem cathetus eſt in plano reflexionis (per *Demonſtr. I*). Ergo etiam planum reflexionis, ſeu quod per radium incidentem & reflexum ducitur, tranſit, ſi continuetur, per punctum determinans *N*. *Q. E. S.*

Planum reflexionis tranſit per punctum radians *e* (per def.), & eſt normale ad planum tangens (per *Demonſtr. I*). Jam vero punctum unionis *n* eſt in catheto *eS*, ex *e* ad planum tangens demiſſo & continuato (*§. III* & *II*). Ergo etiam planum reflexionis tranſit per rectam *eSn*, & punctum unionis *n*. *Q. E. T.*

§. VI. Definitio IV.

Quia planum reflexionis tranſit tam per punctum radians *e*, quam per punctum determinans *N* (*§. V*), ſequitur, ut idem planum occurrat plano *bgc*, quod baſi coni parallelum per punctum *e* ducitur, in recta *eN*, per punctum radians *e* & determinans *N* ducta. Hancce rectam *eN* in poſterum lineam determinatam appellabo (*§. IV*).

§. VII. Theorema III.

Si per punctum radians *e* ducatur planum *bgc*, baſi parallelum, hocce planum occurret plano tangenti *APgT* in recta quadam *Tgq*, quæ erit ſimul tangens puncti *g*, quod eſt in linea reflectente *Ag*, & peripheria circuli *bgc*.

Demonſtratio.

Quia planum *bgc* baſi parallelum eſt, tranſibit illud etiam per lineam reflectentem *Ag*, quæ, cum ſit in plano tangente, tranſire quoque debebit planum *bgc* per planum tangens in recta quadam, ut *Tq*. Jam vero planum, quod conum tangit in linea *AG* ad planum triangulare *AGF*, vel *Agf*, eſt normale.

Ergo

Ergo etiam Tq ad idem eſt normalis, ideoque quælibet recta, quæ in plano Agf ad lineam Tq ducitur, ad eandem eſt perpendicularis, conſequenter, cum ſemidiameter gf ſectionis bgc pertineat quoque ad planum Agf, erit etiam gf ad Tq perpendicularis, ideoque Tq tangens puncti g. *Q. E. D.*

§. VIII. *Theorema IV.*

Linea RPS, in qua planum reflexionis planum tangens ſecat, tranſit per punctum q, in quo linea determinata eN & tangens Tq puncti g ſeſe decuſſant.

Demonſtratio.

Quia planum reflexionis tranſit per rectam eN (§. VI), omnes quoque rectæ, in eodem ductæ, per eandem eN (continuatam, ſi opus ſit,) tranſire debent. Ergo quoque linea RS ſecat lineam determinatam eN. Jam vero RS pertinet quoque ad planum tangens $APgq$ (per hypoth.). Et, quia Tq etiam ad idem planum pertinet (§. VII), occurrent hæ duæ rectæ ſibi in quodam puncto, quia planum reflexionis $QPNe$ verſus planum $tgqN$, vel bgc, ſemper ſive ſub angulo finito, ſive infinite parvo, inclinatum eſt. Ergo, quia Tq & eN ſunt in eodem plano $bgec$ (§. *cit.*) & RS ſecat tam lineam Tq, quam eN, fieri aliter non poterit, quin RS tranſeat per punctum q utrique commune. *Q. E. D.*

§. IX. *Lemma I.*

Si duo plana $ABHE$ & $ADFE$ verſus aliud $ACGE$ ita inclinata ſint, ut anguli, quos perpendiculares ex puncto quodam iſtius lineæ, in quo ſeſe ſecant, v. g. I in iſtis planis erectæ, (v. g. Ir, Im, Io,) ſint æquales, id eſt, ut ſit $rIm = mIo$, etiam plana $ABHE$ & $ADFE$ verſus tertium $ACGE$ æqualiter ſunt inclinata, anguloſque æquales intercipiunt, & vice verſa. TAB. II Fig. 3.

§. X. *Theorema V.*

Si per punctum radians e & lineam reflectentem AG concipiatur ductum planum AGe, & aliud planum AGn ducatur per eandem lineam reflectentem & punctum unionis n: hæcce duo plana cum plano tangente AGq, vel AGS, angulos æquales intercipiunt. Fig. 2.

 Demon-

Demonſtratio.

Planum, quod per punctum radians *e* ducitur, eſt illud ipſum, in quo ſunt radii ex *e* incidentes in lineam *AG*, & planum *AGn* eſt idem cum plano reflexo, quod continuatur ad punctum *n* (*§. III*). Ponamus jam, radium *eP* incidere in punctum *P*. Ergo reflectetur *eP* ita, ut ſit $ePS = QPR$ (*§. II*), &, quia *QPR* verticali *SPn* æqualis, erit etiam $ePS = SPn$. Quod quam valeat de omnibus radiis, in plano *eAG* ductis (*§. cit.*), ſequitur, illud valere quoque de radio, ita in lineam *AG* incidente, ut ad eandem *AG* ſit perpendicularis. Ergo in iſto puncto radius incidens & reflexus, ſi ad punctum *n* continuetur, æquales angulos cum linea in plano tangente intercepta includunt, ideoque plana *AGe* & *AGn*, in quibus eſt radius incidens & reflexus, cum plano tangente æquales includunt angulos, & æqualiter verſus idem ſunt inclinata (*§. IX*). *Q. E. D.*

§. XI. Theorema VI.

Punctum radians *e*, viſum per radios, a linea *AG* reflexos, oculo quomodocunque ſuper baſin coni elevato apparere debet in puncto unionis *n*.

Demonſtratio.

Objectum in eo loco collocatum apparet, in quo duo, vel plures, radii, ab eodem egreſſi, & in oculum incidentes, uniti videntur (per princ. Catopr.). Jam vero omnes radii, in lineam *AG* ex puncto *e* incidentes, reflectuntur ita, ut continuati in puncto *n* concurrant (*§. II*). Ergo, ſi oculus v. g. in *Q* conſtitutus ſit, & radii in illum incidant, videbuntur oculo radii iſti ex puncto *n* egreſſi, ideoque punctum radians *e* in eodem puncto *n* conſtitutum apparebit. *Q. E. D.*

Corollarium.

Quia *n* eſt in catheto *eSn*, ex puncto *e* in planum tangens demiſſo (*§. III & II*), hicce cathetus autem eſt ſub planum *bgec* baſi parallelum depreſſus, (eſt enim catheto *Pa* parallelus, qui cum ſectioni *bgc* occurrat in *N*, debebit idem etiam baſi *BGC* occurrere, ideoque etiam *eSn* eidem occurret,) ergo etiam punctum unionis *n* ſub idem planum *bgc* depreſſum eſt.

eſt. Hinc imago puncti *e* videbitur minus elevata, quam ipſum punctum radians. In cylindro vero ob verticem *A* infinite remotum (§. I) ſit *AG* parallela axi *AF*, hinc planum tangens lineam *AG* eſt ad planum *BGC* & planum *bgc* baſi parallelum perpendiculare, ideoque cathetus *eSn*, & cum eo punctum unionis *n*, cadit in planum *bgc*. Hinc altitudo imaginis altitudini puncti radiantis æqualis eſt. Si igitur illud eſt in baſi cylindri, hoc quoque in eadem apparere debebit.

Scholion I.

Sed cave, credas, punctum *n* eſſe verum locum imaginis. Valet enim hoc theorema tantum de illo caſu, ſi objectum per ſolos radios, in lineam *AG* incidentes, videtur. Si enim plures radii etiam in cetera puncta ſuperficiei conicæ incidunt, locus imaginis inde inſigniter mutatur. Noſtrum igitur erit, in ſequentibus oſtendere, ubinam videatur punctum *e*, ſi oculus latitudine gaudeat, ut etiam radios in alias lineas, ab *AG* diverſas, incidentes ſimul capere poſſit.

Scholion II.

Planum reflexionis *QRPSe* ſi continuetur per conum, orietur inde aliqua ſectionum conicarum. Unde factum, ut nonnulli Catoptricorum in eam inciderent opinionem, radios, a punctis illius ſectionis reflexos, colligi in uno puncto, uti in *Fig. 4* reflexi *Wg*, *wG*, incidentium *eg*, *eG*, colliguntur in *F*, & hanc ob cauſam imaginem elevatam apparere, punctumque *I* eſſe punctum cauſticæ iſtius ſectionis conicæ, quæ in determinato caſu oriatur. Sed, hac ratione verum locum imaginis non inveniri, non modo exinde patet, quia, ſi oculus & punctum radians cum axe coni ſunt in eodem plano, planum reflexionis ſecat conum in triangulo, & hinc imago puncti radiantis ſubter baſin, vel planum *bgc*, depreſſa apparere debet, cum tamen, teſte experientia, eadem ſit altius elevata; verum etiam in §. *ſeq.* demonſtrabitur.

§. XII. Theorema VII.

Locus imaginis in ſpeculo conico determinari non poteſt ex natura ſectionis conicæ, in qua planum reflexionis conum ſecat, niſi ſectio ſit circulus. TAB. II Fig. 2.

Demonſtratio.

Si duo radii *OP*, *op*, imaginem in oculo efficere debent, requiritur, ut ſeſe in puncto quodam, ut *I*, interſecent, & conſequenter ſint in eodem plano. Jam ponamus, puncta *p*, *P*, eſſe in ſectione conica per *p*, *P*, *e*, ducta, ergo puncta iſta ſunt quoque in eodem plano. Si igitur oſtendi poſſit, hoc fieri non poſſe, ſi radii reflexi *OP*, *op*, ſibi in *I* occurrere debent, ſequetur etiam inde, iſta puncta in eadem ſectione conica eſſe non poſſe. Oſtenditur vero illud hoc modo: Incidens *Pe* & reflexus *OP* cum catheto *Pv*; & *op*, *pe*, cum catheto *Vp* ſunt eodem plano (*§. II*). Jam vero catheti *Pv*, *pV*, ad lineas *Ag*, *AG*, id eſt, ad coni ſuperficiem, ſunt perpendiculares, & tranſeunt per axem *Af*. Si igitur *p* & *P* ſunt puncta ſectionis conicæ, erunt catheti *Pv*, *pV*, ſimul normales iſtius curvæ, ergo datur ſectio conica, cujus normales tranſeunt per eandem rectam, ipſi curvæ in ſublimi poſitam. Quod cum fieri nequeat, niſi in circulo, ſi iſta recta per centrum tranſit, ſequitur, ut etiam puncta *p* & *P* non ſint in eadem ſectione conica per punctum radians *e* & reflectens *P* ducta; ideoque etiam ex natura illius ſectionis locus imaginis inveniri nequit. *Q. E. D.*

Scholion I.

Caſus, in quo dicta ſectio ſit circulus, occurrit in cylindro, ſi oculus & punctum radians æqualiter ſunt elevata. Qui cum maxime particularis ſit, quilibet facile perſpiciet, hoc modo locum imaginis univerſaliter determinari non poſſe. Interim tamen, quia negari nequit, ſi unicus tantum radius, ut *PO*, reflectatur a puncto *P*, & planum reflexionis continuetur per conum, oriri inde ſectionem conicam, cuilibet etiam patet, reflexionem in ſpeculis cylindricis & conicis fieri ut in ſpeculo ex ſectione aliqua conica parato. Nam *P* eodem modo reflectit radium *eP*, ſive pertineat ad conum *Abc*, ſive ſit in ſectione quadam conica. Modo illud non extendatur ad locum imaginis, quia tunc duo, vel plures, radii incidentes ſupponendi ſunt, quorum puncta reflectentia non eſſe in eadem ſectione, demonſtravimus.

Scho-

Scholion II.

Suppoſuimus, punctum radians *e* eſſe in baſi coni, quamvis demonſtratio maneat eadem, licet *e* ſit ſuper eam elevata, modo tunc pro baſi aſſumatur planum baſi parallelum & per punctum *e* ductum, ubi in *Fig. 1.* Id quod hic generatim monemus. Infra enim ſæpius punctum radians in baſi conſtitutum ſupponemus, & nihilo minus ob identitatem demonſtrationis theoremata fient univerſalia.

§. XIII. Definitio IV.

Si planum reflexum continuetur a linea *AG* verſus punctum unionis *n*, fieri aliter non poterit, quin iſtud planum ſecet in aliqua linea v. g. *gM*, planum *bgc*, baſi parallelum. Hancce lineam *gM*, quæ a puncto *g* & linea determinata *eN* intercipitur, vocabo *lineam ſectionis*. TAB. II. Fig. 1.

Corollarium.

Ergo linea ſectionis *gM* pertinet tam ad planum reflexum *QPMg*, quam ad planum *bgc* baſi parallelum, ideoque tranſit per punctum *M*, in quo radius reflexus *QPn* occurrit lineæ determinatæ *eN*.

§. XIV. Theorema VIII.

Angulus *qgM*, quem linea ſectionis *gM* cum tangente *Tq*, puncti *g*, includit, eſt valoris conſtantis.

Demonſtratio.

Omnes radii, ex *e* emanantes, a linea *AG* reflectuntur ita, ut continuati concurrant in puncto *n* (*§. II*). Ergo ſunt omnes in eodem plano, ideoque planum per lineam *AG* & radium reflexum quemcunque ductum ſemper tranſit per lineam *gM*. Hæc ergo ſitum ſuum non mutat, licet punctum reflectens *P* mutetur. Ergo, cum nec planum tangens lineæ reflectentis variet, obtinebit quoque linea *Tgq*, in qua planum tangens occurrit plano *bgc*, ſitum conſtantem. Ergo quoque angulus *qgM*, quia ab utraque intercipitur, eſt valoris conſtantis. *Q. E. D.*

Scholion.

Notandum tamen, eum tantum eſſe conſtantem reſpectu lineæ reflectentis *AG*. Si enim alia linea reflectens ſupponatur, etiam hic angulus variabit.

§. XV.

Digitized by Google

§. 15. *Lemma II.*

TAB. II Fig. 3. Si in medio trium planorum, æqualiter verſus ſe invicem inclinatorum, ducatur recta *Im* ita, ut ad lineam *AE*, in qua coeunt tria iſta plana, ſit perpendicularis, deinde per iſtam perpendicularem *Im* ducatur aliud planum *Inp*, tria plana *ABHE*, *ACGE*, *ADFE*, oblique ſecans, anguli *pIm* & *mIn* erunt æquales.

Demonſtratio.

Concipiantur iſta tria plana eſſe ſimilia, æqualia, & parallelogramma, & ducantur in planis *ABHE* & *ADFE* ad lineam *AE* perpendiculares *Ir* & *Io*, quæ erunt $= Im$. Et, quia plana extrema verſus medium æqualiter ſunt inclinata (per hyp.), erunt quoque anguli *rIm*, *mIo*, ab iſtis perpendicularibus intercepti, æquales (§. *IX*). Hinc in triangulis *rIm*, *mIo*, præter latera *Ir*, *Im*, *Io*, æquales ſunt anguli *rIm*, *mIo*, ideoque etiam $rm = mo$. Porro, quia *AE* perpendiculariter inſiſtit rectis *Ir* & *Io*, (per hyp.) & *BH*, *DF*, ad *AE* ſunt parallelæ, erunt quoque hæ lineæ ad rectas *Ir*, *Io*, vel totum planum *Iro*, perpendiculares, hinc $prm = mon$, nec non *Irp* & *Ion* ſunt anguli recti & conſequenter æquales. Eſt igitur in triangulis *rmp* & *mon*, $rm = mo$, $prm = mon$, & *rmp* verticali *nmo* æqualis, ergo etiam $pm = mn$, & $pr = on$. Cum itaque in triangulis *Irp*, *Ion*, ſit $Ir = Io$, $pr = on$, $Irp = Ion$, erit etiam $Ip = In$, hinc in triangulis *Imp*, *Imn*, omnia latera ſunt æqualia, ideoque angulus $pIm = mIn$. Jam vero magnitudo planorum ad magnitudinem angulorum, quos intercipiunt, nihil confert, ergo etiam de quibusvis planis, rectilineis tamen, idem valet, quod ſit $pIm = mIn$. *Q. E. D.*

§. XVI. *Theorema IX.*

Angulus *qgM*, quem linea ſectionis *gM* cum tangente *qg* includit, eſt æqualis angulo *qge*, quem eadem tangens includit cum recta *ge*.

Demonſtratio.

Fig. 3. Planum triangulare *Agf* ad planum *bgc* eſt perpendiculare, quia conus ſupponitur rectus (§. *I*). Jam vero *gq* eſt per-

perpendicularis ad gf (§. *VII*), ergo gq quoque ad totum planum Agf, ideoque etiam ad lineam Ag eſt perpendicularis. Ergo, quia angulus, quem planum radiorum incidentium egP includit cum plano tangente qgP, eſt æqualis angulo, quem idem planum tangens intercipit cum plano reflexo & continuato PMg, (§. *X* & *XIII Cor.*) & planum egM (quod eſt idem cum plano bgc verſus e continuato) tranſit per rectam gq, quæ ad lineam reflectentem Ag, in qua concurrunt iſta tria plana, perpendicularis eſt (per *Demonſtr.*), eademque plana oblique ſecat, erit etiam $egq = qgM$ (§. *XV*). *Q. E. D.*

Corollarium I.

Quia eq : ſin. $egq = ge$: ſin. gqe (vel gqM) & $egq = qgM$, erit etiam $eq : ge =$ ſin. qgM : ſin. gqM. Jam vero etiam $qM : gM =$ ſin. qgM : ſin. gqM; ergo $eq : ge = qM : gM$. Hinc, cum ob $ePq = qPM$ (per *Dem.* §. *VIII*) eodem modo habeatur $eq : qM = eP : PM$, erit $ge : gM = eP : PM$.

Corollarium II.

Si igitur producatur gM verſus W, erit etiam $TgW = Mgq = egq$, hinc Wg poteſt haberi pro reflexo, & eg pro incidente.

Scholion.

Sed probe notandum, rectam Wg non eſſe radium reflexum, eg enim in cono ſurſum reflectitur, quia normalis ad punctum g cum normali PV parallela, ideoque planum reflexionis verſus planum bgc inclinatum eſt. Interim tamen Wg gaudet qualitate radii reflexi, & hinc pro tali ad inveniendas reliquas ejus affectiones haberi poteſt.

§. *XVII. Lemma III.*

Si a puncto quodam e ducantur radii eg, eG, ad circulum $bGgc$, eorum reflexi Wg, $\mathfrak{w}G$, ſi continuentur, ſibi in puncto quodam F occurrent, & quidem ita, ut, ſi radii eg, eG, ſint admodum vicini, diſtantia foci gF ſit $= \frac{eg.\ Ng}{3eg + eN}$. Demon- TAB. II Fig. 4.

Gg ſtra-

ſtrationem hujus theorematis habet *s'Graveſande* in *Elem. Phyſ. Lib. V Cap. XV §. 3288 ſeq.*

§. XVIII. Theorema X.

TAB. II Fig. 2. Punctum radians *e* ab oculo, ſuper baſin coni, vel planum per *e* ductum, & baſi parallelum, elevato, poteſt videri ſuper idem elevatum.

Demonſtratio.

Ponamus, ex *e* incidere innumeros radios in lineam reflectentem *Ag*. Ergo reflectentur omnes uti a ſpeculo plano (*§. II*), & formabunt planum reflexum *QAgW* (*§. III*). Idem valet de radiis, ex eodem puncto *e* in lineam reflectentem *AG* incidentibus. Horum enim reflexi pariter conſtituunt planum quoddam reflexum *qAGw*. Quia *Wg*, *wG*, ſunt lineæ, in quibus plana reflexa occurrunt plano *bGge*, ſequitur, ut eædem rectæ, *Wg*, *wG*, ſibi in puncto quodam, ut *F*, occurrant (*§. XVI Cor. II* & *§. XVII*). Ergo etiam plana reflexa *QAgW*, *qAGw*, ſibi in eodem puncto occurrere debent. Jam vero eadem plana reflexa tranſeunt quoque per verticem *A*, tranſeunt quoque per verticem *A*, tranſeunt enim per lineas reflectentes *Ag*, *AG*, (*§. III*) & hæ in vertice *A* deſinunt. Ergo plana *QAgW* & *qAGw* tranſeunt per puncta *F* & *A*, ideoque per rectam *AF*, quæ dicta puncta jungit. Ponamus jam, oculum eſſe in *Oo*, ergo in illum incident duo, vel plures, reflexi *OP*, *op*, incidentium *Pe*, *pe*, &, quia iſti reflexi ſunt in planis reflexis *QAgw* & *qAGw*, ſequitur, ut ſibi quoque occurrant in linea *AF*, & quidem in puncto *I*, quod determinatur, dum unus radiorum reflexorum *OP*, vel *op*, ad lineam *AF* producitur. Radii igitur *OP*, *op*, videbuntur oculo ex *I* egreſſi, ideoque punctum radians *e* in *I* apparebit. Si igitur oculus decenter elevatus ſit, fieri poterit, ut etiam imago *I* elevata appareat.

Corollarium I.

Fig. 4. Quo magis igitur elevatur oculus *O*, eo magis quoque punctum *I* elevabitur. E contrario autem, ſi oculus deprimatur, deprimetur etiam punctum *I*, id quod experientiæ egregie reſpondet.

Corol-

Corollarium II.

Quia $gF = \frac{eg.\ Ng}{3eg + eN}$ (§. *XVII*) & $eN = Ng + eg$, erit $gF = \frac{eg.\ Ng}{4eg + Ng}$. Si igitur *e* infinite remotum ſit, fiet $eg = \infty$, unde $gF = \frac{Ng}{4}$. Jam vero $Ng < RL$, ergo etiam $\frac{Ng}{4} < \frac{RL}{4}$. Linea *AF* igitur, quippe quæ per punctum *F* tranſit, ſuperficiei, quam axi, ſemper eſt propior, niſi *ge* axi *Re* ſit admodum vicina, & *e* infinite remotum, quo in caſu ſit $Ng = RL$. Et, cum de cylindris valeant omnia, quæ de conis demonſtrantur (§. *I Cor.*), erit etiam in his imago ſuperficiei, quam axi, propior, id quod jam obſervavit perilluſtris *de Wolff* in *Elem. Catoptr.* §. *269*.

Corollarium III.

Quia planum reflexum *AQWg* continuatum tranſit per punctum *F*, & per verticem *A*, ſequitur, ut etiam tranſeat per rectam *AF*. Hinc imago *I* videtur in plano reflexo, poſt lineam reflectentem *Ag* continuato.

Scholion.

Dixi, fieri poſſe, ut imago elevata appareat. Quamvis enim in cylindro imago ſemper erecta appareat, tamen in cono ſtricte ſic dicto dantur caſus, in quibus imago *I* vel in ipſo plano *bgc*, vel etiam ſub illud, depreſſa videtur. Ultimus enim radius *eg* in cono surſum reflectitur v. g. in *z*, quia linea reflectens *Ag* verſus planum *bgc* inclinata eſt. Hinc, ſi reflexus *zg* continuetur, ut lineæ *AF* occurrat, hoc fieri nequit, niſi in puncto *φ*, quod eſt ſub plano *bgc*, quia *F* & *g* ſunt in ipſo illo plano, & *z* ſuper illud elevatum. In cylindro vero alia eſt ratio. Nam, cum in hoc linea reflectens *Ag* ſit axi *Af* parallela (§. *I*), conſequenter ad planum *bgc* perpendicularis, erit *Wg* radius reflexus, hinc ſi oculus ſit in *w*, punctum radians *e* videtur in *F*, ideoque in ipſa baſi. Oculo ergo ſuper *W* elevato, imago non poteſt non ſuper *F* elevata apparere. Quæ omnia quoque confirmat experientia.

§. XIX. Definitio V.

Lineam *AF*, in qua videtur imago puncti *e*, in ſequentibus *lineam repræſentantem* appellabimus. Punctum *F* vero, in quo linea repræſentans plano *bgc* occurrit, vocabimus *focum* puncti *e*, quia *F* re vera eſt punctum cauſticæ circuli *bgc*. (*§. XVIII, XVII, & XVI, Schol.*)

Corollarium.

Si ergo determinetur focus *F* radiorum incidentium *eg*, *eG*, per formulam, *§. XVII* datam, deinde per *F* & verticem *A* ducatur *AF*, erit hæc linea repræſentans, in qua videtur imago puncti *e*. Vertice *A* vero infinite remoto, *AF* cum axe *Af* debet eſſe parallela.

§. XX. Theorema XI.

TAB. II Fig. 1. Si recta *eg* in baſi coni, vel plano, eidem parallelo, ita collocetur, ut punctum *e* videatur per radium, ex puncto *P* ad oculum in *Q* reflexum, alterum vero extremum *g* tranſeat per punctum infimum lineæ reflectentis *Ag*, dico 1) totam lineam *ge* viſum iri ab oculo in *Q* conſtituto, & 2) imaginem ejus apparituram in eodem plano.

Demonſtratio.

Quia punctum *e* videtur ab oculo per radium ex *P* reflexum (per hyp.), erit angulus $QPR = ePS$ (*§. II*); conſequenter etiam $TgW = egq$ (*§. XVI Cor. II*). Hinc plana *egP* & *WgPQ* cum plano tangente *RPSgT* æquales angulos includunt (*§ X*). Jam ponatur, punctum quodvis *z* emittere radios in lineam *Ag*, qui, cum ſint in eodem plano *egP* (*§. XIV*), erunt etiam reflexi in eodem plano *QPgW*. Sed hoc tranſit per oculum in *Q* (per hyp.). Ergo tranſit etiam planum reflexum radiorum, ex *z* egredientium, per eundem oculum, ideoque punctum *z* ab oculo in *Q* videri poteſt. Quod cum valeat de omnibus punctis lineæ *eg*, ſequitur, ut etiam tota recta *eg* ab oculo *Q* videatur. *Q. E. P.*

Punctum

Punctum *e* videtur in plano reflexo *QPgW*, poſt planum tangens continuato (*§ XVIII Cor. III*). Sed planum reflexum radiorum, ex *z* egredientium, coincidit cum plano *QPgW* (per *Dem. I*). Ergo etiam *z* videtur in plano *QPMgW*. Tota igitur linea *eg* conſpicitur in eodem plano *QPMgW*. *Q. E. S.*

Corollarium. I.

Si igitur longitudo lineæ *eg* ſit ſufficiens, & oculus decenter elevatus, fieri poterit, ut imago tranſeat per verticem coni *A*. Nam planum reflexum per eundem verticem tranſit (per *Dem. §. XVIII*).

Corollarium II.

Cum ad peripheriam *bgc* innumeræ lineæ eodem modo duci poſſint, quæ ſingulæ ab oculo *Q* videri poſſunt; orietur inde in ſpeculo imago in planitiem extenſa, quæ ſuperficiem corporis cujusdam curvilinei repræſentabit. Et omnis recta, quæ in eodem plano *bgc* jacet, ut in eadem ſuperficie depicta apparebit. Unde ſæpius fieri poteſt, ut imago ejus ne quidem in plano depingi poſſit, Eos igitur tantummodo caſus in ſequentibus conſiderabimus, in quibus imago in ſuperficie plana delineari poteſt.

Scholion.

Quia igitur omnia objecta, in plano *bgc* delineata, videntur ope linearum, a puncto radiante ad lineam reflectentem ductarum, haud immerito iſtæ lineæ in poſterum *objectivarum* nomine nobis venient. Lineam *Wg* antem, quæ a parallela *QW*, ex oculo *Q* cum linea reflectente ducta, abſcinditur, *ſubocularem* appellabimus.

LAZARI BENEDICTI MIGLIORUCCII, Patricii Tifernatis, ac Florentini Juriſconſulti, & Oratoris Clariſſimi, Orationes, habitæ in celeberrima Univerſitate inclytæ urbis Piſarum, dum ibidem publici Interpretis Sacrorum Canonum munus exerceret, nunc primum editæ.

Tomus I.

Florentiæ, typis Cajetani Albizzinii, 1747, 8 maj.
Plag. 14.

Orationes *Miglioruccii*, doctiſſimi Viri, plurimæ ſunt, quarum pars maxima per Comitem *Ge. Azzonem Miglioruccium de Petrella*, Patricium Polonum & liberum Baronem Palatinatus Cracovienſis, Autoris ex fratre *Dominico Maria* nepotem, ad typographum pervenit, qui reliquas etiam a poſſeſſoribus humaniſſime efflagitat, per quos profecerit, paſſim indicaturus. Ac ſane ipſa flagitat Viri non conſultiſſimi tantum, ſed facundiſſimi etiam, memoria, quæ & illam vitæ commemorationem, cui locus datus in Ephemeridibus Venetis *Tom. XXXVII Art. XIII*, aliamque, paulo locupletiorem, his præfixam Orationibus, ſuo jure obtinuit. Originem is debet antiquiſſimæ ac nobiliſſimæ familiæ urbis Tiferni, ſeu civitatis Caſtelli, natus Florentiæ A. 1663 die 13 Nov. patre *Andrea Ludovico*. Studiis operam dedit Florentiæ ac Piſis eodem anno 1686, & Juris Doctor & ſacrorum Canonum Lector creatus. Multa ſunt illius Carmina, partim Italice, partim Latine, ſcripta, quorum pleraque publicam nondum lucem viderunt. In editis exſtat elegans laudatio, verſu Latino heroico, ad *Ant. Magliabechium*, ubi agitur de opere *Guil. Ern. Tentzelii*, quod *de Sceleto elephantino, Tonnæ nuper effoſſo*, inſcribitur. Laudantur quoque Epicedium in funere *Franc. Redii*, Patricii Aretini, eodem metro, & egregia duo Epigrammata in *Caſim. Lubienski*, & *Chriſtoph. Szembek*, Antiſtitum Cracovienſis ac Varmienſis, inſignia. Sed potiores laudes oratione libera obtinuit. Qua præſertim lucubratæ Inſtitutiones Juris Canonici adeo ſe *Innocentio XIII* probarunt, ut antiſtitem Aretinum *Migliorуccium* deſignaret, qui vero morte fuit occupatus A. 1724 die 23 Jun. Ejusdem ſtili ſpecimina ſunt, quæ hic legun-

leguntur, XV Orationes, quæ, cum in Doctorum creatione potiſſimum habitæ ſint, ad temporis ordinem ſunt digeſtæ. Sunt autem in laudem 1) *Joſephi* quondam *Dominici* Pag. 1.
Bolognini, Collenſis; 2) *Sigiſmundi Landini*, Florentini; 8.
3) *Andreæ Pulidori*, Emporienſis; 4) *Jo. Baptiſtæ Ada-* 17.
mi, Liburnenſis; 5) *Philippi Mei*, Collenſis; 6) *Ant.* 27. 34.
Gaſparis Fabri, Florentini; 7) *Petri Mariæ Bardi*, 45. 56.
Florentini; 8) *Jo. Mariæ Scappini*, Emporienſis; 9) *Ju-* 63.
liani Vanghetti, Emporienſis; 10) *Franc. Mar. Ciam-* 72. 82.
polini, Florentini Lectoris extraordinarii Juris Canonici; 92.
11) *Petri Franc. Mormorai*, Florentini, deinceps Auditoris, 105.
& Conſiliarii S. C. M.; 12) *Hier. Mannucci*, Canonici 116.
Pratenſis; 13) *Jul. Caſ. Philippini*, Sacerdotis Florentini;
14) *Marci Ant. Senzi*, Florentini; & 15) *Nic. Forti-* 133. 144.
guerræ, Piſtorienſis, omnes intra annos a 1689 ad 1695 ha-
bitæ. Illas omnes antecedit Oratio *Franc. Corſigniani*, 178 ſeq.
cum is ipſi Autori noſtro lauream Doctoris tradidit. Sequuntur autem Noſtri jam laudata Epigrammata, utrumque ſedecim impariter junctis verſibus compoſitum. Inter Orationes primum dignitatis locum, quæ ordinis ultimum, occupat, in promotione Abbatis *Fortiguerræ*, coram primario Piſarum antiſtite, dicta; quam & pluri- 163.
bus obſervationibus in fine ſtipatam invenimus. Patet ex iisdem, quam diligens Noſter fuerit tum principis Oratoris Latini, tum aliorum, imitator. Statim initium, ut aliarum alia, *Ciceronianæ* orationis pro Rege *Dejotaro* exordium exprimit. Ita vero Noſter: ***Cum in omni laudatione quærere ſtudioſe ſoleo, quomodo cultu aliquo & apparatu verborum merita deſcribam adoleſcentium, qui, emenſo ſtudiorum curriculo, ad hanc ampliſſimam dignitatem obtinendam acceſſerint; tum hoc tempore intelligo uſitato genere ſermonis utendum non eſſe, ſed majore conatu laborandum, ut oratio pluribus ornamentis effloreſcat ac redundet.*** Ejusdem generis ſunt, quæ paulo poſt 146.
ad Antiſtitem ſuum accommodat, ***qui te præſente loqui***

non

non audet, tuam ignorat humanitatem; ubi quidem alteram partem, diverſi contextus & hiatus evitandi cauſa, omiſſam videmus: *qui apud te dicere audet, tuam ignorat magnitudinem.* Sic & *Senecæ* atque aliorum ſententias maſcule æmulatur. Neque figuris iſthæc oratio ſub-
Pag. 147 ſeq. limioribus deſtituitur. Surgit e. g. Academia Intronatorum, & quærit: *Quid opus conjecturis? An non toti hi parietes ejus* (Candidati) *vocibus circumſonarunt? Quam ſæpe mentis viribus excitatus carmina effudit, tanta venuſtate ac lepore, ut ei viderentur Muſæ omnes*
148. *blandiſſimas artes infudiſſe! Quam ſæpe verbis lectiſſimis orationem inſtruxit, in qua, prout varium dicendi genus efflagitat, aut acer, vehemens, citatus, velox, aut robuſtus, generoſus, exaggeratus, excelſus, aut comtus, floridus, pictus, ornatus, aptiſſime, ubi opus erat, ſeſe compoſuit ad luctum atque mœrorem, nunc lætitiam expreſſit, & gaudium, nunc blande ac leniter in animos ſeſe inſinuans, nunc, inſtar Olympii Periclis, tonitru velut quodam, omnia permiſcens!* Ubi ſimul, ad diſtinctionem quod at-
166. tinet, ipſe monet Autor: *Hanc figuram didici ab eruditiſſimo omniumque, quos audierim, eloquentiſſimo viro, D. Franc. Corſigniani, Piſanæ Academiæ digniſſimo anteceſſore.*
151. Dum deinceps familiam Candidati laudat, tanquam inſi-
152. gnis Poeta, præcinentibus lyris & Muſarum comitatu, *Michael Fortiguerra* introducitur. Hic ille dicitur fuiſſe, qui tantam in opinionem famamque pervenerat, ut nunc Mantuam ſtipendiis arceſſitus, inuſitatos honores fuerit
170 ſeq. aſſecutus. Tacemus reliquas figuras atque imitationis, ipſius etiam *Homeri* ac *Platonis*, cum Græca vix intelligeret, verſionum notas: quoniam ex ungue cognoſcere leonem ſufficiet. Bene igitur faciet, & doctis ad unum omnibus rem gratam præſtabit, maxime vero utilis juventuti erit, typographus, ſi, quicquid aliarum docti hujus Viri Orationum in ſcriniis Italorum latet, id ut brevi in lucem & conſpectum omnium veniat, ſua & cura & opera effecerit.

✡ ✡ ✡

Digitized by Google

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Maji Anno MDCCL.

SANCTORUM CONCILIORUM ET DECRE-torum Collectio nova, ſeu Collectionis Conciliorum, a P. P. PHILIPPO LABBEO & GABRIELE COS-SARTIO, Societatis Jeſu Presbyteris, primum vulgatæ, dein emendatioris, & amplioris, opera NICOLAI COLETI, Sacerdotis, Venetiis recuſæ, Supplementum, in quo additamenta, variantes lectiones, & emendationes ad Concilia Veneto-Labbeana, nova itidem Concilia, ac Decreta permulta, exhibentur, opera & ſtudio JOANNIS DOMINICI MANSI, Lucenſis, Clerici regularis Congregationis matris Dei.

Tomus I.

Lucæ, ex typographia Joſephi Salani & Vincentii Junctinii, 1748, fol.

Alph. 7 plag. 13.

Quanquam *Nicolai Coleti*, Viri doctiſſimi, quam in evulgandis Conciliorum actis adhibuit, diligentia omni laude & applauſu merito celebranda ſit; tantum tamen abeſt, ut ab omni parte abſoluta ejus videri poſſit editio, ut, multis eandem laborare nævis, adeoque ſupplementum & emendationem eruditorum utique deſiderare, Reverendus

 hujus

hujus libri Autor ex vero judicet. In temporum enim ratione conſtituenda, admodum confuſe, & ſæpe minus accurate, Venetus Conciliorum editor verſatus eſt, nova ſubinde Concilia, nunquam certe coacta, confinxit, multa autem, quibus augeri poterant Conciliorum acta, neglexit. Cum ergo *Franciſcus Salmonius*, Ordinis Theologici apud Pariſienſes Doctor, datam eruditis de ſupplendo *Labbei* & *Coſſartii* Opere fidem non liberaſſet; Rev. Autor ad ea, quæ, non quidem in *Labbeana*, (quamvis & eam ſubinde ſuppleat & emendet,) ſed in Veneta potiſſimum *Coleti*, editione deſiderantur, addenda & emendanda, gratiſſimo eruditis conſilio, ſemet accinxit. Uſus eſt hanc in rem nova Conciliorum Angliæ collectione, quam anno hujus Seculi triceſimo ſeptimo *Daniel Wilkinſius* publici juris fecit, *Coleto* non viſa. Collectionem inſuper veterum monumentorum, *Martenii* & *Durandi*, ejusque præſertim *Tomum VII* & *VIII*, una cum collectione Conciliorum Hungaricorum, a P. *Peterfy*, Societatis Jeſu, A. 1742 edita, in rem ſuam convertit. Neque in eo ſubſtitit Rev. Autoris labor, qui etiam anecdota, a *Lunigio*, *Ludewigio*, *Leibnitio*, aliisque, edita, conſuluit, quorum ope & plurima, e tenebris protracta, luci reſtituit, & Concilia, jamjam ab aliis edita, mirifice adauxit. Variis etiam opus ſuum exornavit Diſſertationibus, quibus,quo anno Concilium quodque fuerit coactum, conſtituit. Emendavit denique Canonum, qui proſtant, plurimorum textus, eaque in re editos non ſolum, verum & manu ſcriptos, Codices ſibi adjumento fuiſſe, fatetur, eosque inſigni numero in Præfatione, libro præmiſſa, laudat. Ordo, ſecundum quem totus liber digeſtus eſt, ſeriem Romanorum Pontificum ſequitur. S. *Petro* primum inter eos locum tribuit Rev. Autor, id quod nemini mirum videri debet, cum ſententia de *Petri* præſulatu Romano, tanquam ſanctiſſimum fidei dogma, a Pontificiis credatur, etiamſi Proteſtantes eruditi ejus vanitatem clariſſime demonſtrarint. Interim tamen *Petro*, *Lino*, *Cleto*, & *Clementi*, certas annorum notas adſcribere, aut, quo ordine ſederint, conſtituere, non audet. Fragmenta *Clementis*

Epi-

Digitized by Google

Epiſtolæ II ad Corinthios primo loco comparent, quæ jamjam *Grabius* in *Spicilegio Patrum Tom. I pag. 288*, quem etiam Rev. Autor citat, edidit. De *Conſtitutionibus*, quæ vulgo *Apoſtolicæ* audiunt, Diſſertationem Autor poſtea addit, quas ab Apoſtolis neutiquam eſſe confectas, certiſſimis argumentis, quæ ex ipſis earum contentis depromta ſunt, demonſtrat. Intra annum 309 & 325 compilatas easdem eſſe, haud pœnitendis contendit rationibus, quæ nobis ſententia propius ad verum videtur accedere, quam illa *Grabii*, qui in *Spicil. Patr. Tom. I pag 45*, ante A. C. 120 hoc factum eſſe, lectoribus perſuaſit. Fragmenta quædam decretalium, ab antiquiſſimis Romæ Pontificibus datarum, Collectioni ſuæ inſeruit Rev. Autor, quamvis, epiſtolas illas adulterinas eſſe, in Præfatione, libro præmiſſa, conceſſerit. Idem dicendum eſt de Synodo incerti loci in Græcia, ad conferendum Archiepiſcopo Seleucienſi jus patriarchale per totam Aſſyriam, Mediam, & Perſidem, quæ circa finem Seculi ſecundi celebrata fertur, habita, cum, patriarchalem dignitatem multo ſerius introductam eſſe, inter omnes conſtet. Cumque & Celeb. *Aſſemanus* in cenſura, Epiſtolæ ſynodicæ adjecta, idem jam oſtenderit; mirum videri poterat, Rev. Autorem ejusmodi quisquiliis opus ſuum eruditum conſpurcaſſe. Cum diſputationes inter orthodoxos & hæreticos, publica autoritate inſtitutæ, utique locum inter acta Conciliorum mereantur, Rev. Autor acta diſputationis *Archelai*, Epiſcopi Meſopotamiæ, contra *Manetem* habitæ, collectioni ſuæ merito inſeruit, cum in aliis Conciliorum editionibus eadem deſiderentur. *Labbei* enim tempore nondum edita fuit integra ea diſputatio, Venetus vero collector, *Labbeum* duntaxat ſecutus, eandem oſcitanter omiſit. Edidit autem A. 1698 integra ejus diſputationis acta e Codice MSto *Laurentius Alexander Zacagni*, quæ editio, Præfatione & Notis minime refectis, hic jam comparet. Concilium Eliberitanum A. 309 fuiſſe congregatum, Autor contendit, ejusque Canonum epitomen, e libro MSto editam, cum Lectoribus communicat, obſcuris Concilii iſtius Canonibus aliquid lucis per

Pag. 2. 3. 9. 16. 128.

per hanc epitomen affundi poſſe, exiſtimans. Utque, ad quem Canonem unaquæque pertineat epitome, eo facilius intelligatur, numerum eorum ad latus uniuscujusque epitomes indicavit. Hiſtoriam Concilii cujusdam Seleucienſis, in Perſide habiti, & adhuc ignoti, ex *Joſephi Simonii Aſſe-*
Pag. 133. *mani Bibliotheca Orientali* hic adſtruxit. Epiſtolam *Julii*, Epiſcopi Romani, ad *Dionyſium*, Alexandrinum Epiſcopum,
147. integram apponit, eamque, *Eutychetis* quippe erroribus faventem, adulterinam & confictam eſſe, adverſus *Gennadium* & *Centuriatores Magdeburgicos*, qui *Cent. IV Cap. 10* contra-
151. rium defenderunt, comprobare annititur. Concilium Sardicenſe, quod A. 347 habitum fuiſſe, hucdum crediderunt eruditi, anno 344 Rev. Autor, prolatis quamplurimis hanc in rem
174. argumentis chronologicis, aſſignat. Concilii vero Sirmienſis epocham, *Philoſtorgium* ſecutus ducem, ad A. 358 refert.
183. Plurima etiam, in cauſa *Athanaſii* tunc temporis coacta, Concilia enarrat, atque, quo tempore Synodi, hac occaſione habitæ, congregatæ fuerint, eo facilius lectorum animis inſinuaret, tabulam chronologicam, eadem uno intuitu exhiben-
204. tem, appoſuit. Epiſtolas denique tres, ad Concilium Sardicenſe ſpectantes, & ab Ill. *Maffæo* editas, hic inſeruit Rev. Au-
211. tor. Fragmentum verſionis Latinæ Canonum Concilii Con-
248. ſtantinopolitani I e Codice MSto exhibet, quamvis illud admodum breve ſit, epitomas quinque priorum Canonum duntaxat complectens, eamque ipſam verſionem e textu quodam a Græculo ſequioris ætatis concinnatam eſſe, Rev. Autor moneat. Cum *Flavianus*, Conſtantinopolitanus Præſul, A. 450 vita functus eſſet, *Anatolium* quendem in ejus locum fuiſſe ſurrogatum, idem obſervat. Ad *Leonem* Romanum is deinde literas dedit, in quibus, qua ratione peracta fuerit ejus electio, declaravit. Has ipſas literas, a Conciliorum collectoribus omiſſas, ex *Cotelerii monumentis Eccleſiæ Græcæ* Autor hic
306. exhibuit. Utique autem inſignis pretii ſunt iſtæ literæ, cum ex illis diſcamus, *Theodoſium* Imperatorem plurimam iſtius electionis curam in ſe ſuſcepiſſe, ejusque autoritate Clericos iſtius urbis novum conſtituiſſe Præſulem. Verſionem Latinam Canonum Chalcedonenſium, e Codice MSto deprom-

tam,

tam, lectoribus propinat Autor, quam, ab illa, quæ in collectione *Iſidori Mercatoris* legitur, nonnihil diſcrepare, fideliter tamen in illa Canones in Latinam linguam eſſe converſos, Autor nos docet. Concilium hoc œcumenicum anno Pag. 829.
quingenteſimo fuiſſe habitum, interpres ille antiquus ſtatim ſub initium dicit. Veteres autem, in annis ſupputandis, numeri rotundi exprimendi cauſa, diligentiorem annorum notationem neglexiſſe, obſervat. Ab homine interim barbaro & vehementer indocto profectam eſſe illam interpretationem, latinitas valde inquinata, & orthographia corrupta, loquitur. Certe phraſes, *pro turpitudinem lucri*, *de ruſticas parochias*, vox *anathematizare*, & innumera hujus furfuris alia, ex omni parte hic circumſtrepunt, unde vix Rev. Autori adſtipulamur, quando, antiquiſſimam eſſe illam verſionem, dictitat. In Codice quodam MSto Bibliothecæ Venetæ S. *Marci* Canones iſtius Concilii paulo aliter,ac in editis, eſſe ratione numeri diviſos, monet, inſuperque, in Bibliotheca Vindobonenſi, inter monumenta, ad Concilium Chalcedonenſe ſpectantia, Epiſtolam *Leonis* Papæ, nondum editam, aſſervari, narrat.
Cum Catalogus Epiſcoporum, qui Concilio Romano, A. 465 336.
celebrato, ſubſcripſerunt, in editis vehementer corruptus ſit & obſcurus; Rev. Autor ex Codice Lucenſi, Seculo undecimo, ut videtur, ſcripto, eundem edidit, ſimulque *Chriſtiani Lupi* ejusdem Catalogi editionem, ex Codicibus Vaticanis
erutam, eidem adjunxit, ut e tribus mendoſis unus emaculatior 340.
Catalogus ab eruditis poſſit confici. De Autore Decreti, quod in Concilio Romano, circa annum 496 habito, de libris probandis reprobandisque confectum eſt, inſignem inter eruditos agitatam eſſe controverſiam, Rev. Autor monet. *Gelaſio* illud a Conciliorum collectoribus tribuitur, cujus rei fidem facit *Burchardus Wormatienſis*, *Gratianus*, & Manuſcripti Codices plerique. In quibusdam tamen Codicibus, a Rev. Autore citatis, illud ipſum Decretum modo *Damaſo*, modo *Hormisdæ*, adſcriptum eſt. *Chifletius*, in Jurenſi nongentorum annorum Codice idem Decretum offendit, cumque emendatiſſimum omnium, quæ adhuc prodierant, exempla-

emplarium judicaret, illud quidem, in ſuis ad *Vigilium Tapſenſem* notis, edidit. Cumque *Hormisda* Papæ in illo Codice adſcribatur; ex eo ſententiæ, de *Hormisda*, Decreti illius conditore, ſumma acceſſit autoritas. Ubi autem poſtea *Fontaninus* idem Decretum e Codice Vaticano nongentorum annorum in ſuo *de antiquitatibus Hortæ* Commentario produxit, omnem jam controverſiam de Autore opuſculi compoſitam eſſe, eruditis viſum eſt, cum illud in dicto Codice *Gelaſio* adſcribatur. Quamvis autem exemplar, quo uſus eſt *Fontaninus*, aliis multo ſincerius ſit, multosque locos, a recentioribus additos, reſecet; in iis tamen, quæ communia cum ceteris habet, ſæpe *Chifletiano* Jurenſi cedit, in quo lectio probatior eſt. Deſiderarunt igitur eruditi tertium aliquem paris antiquitatis Codicem, qui & cum MSto Vaticano conſpiraret, & ſinceras *Chifletii* lectiones oſtenderet. Ejusmodi ergo exemplar in Codice Lucenſi antiquiſſimo, quod itidem *Gelaſium* Decreti conditorem facit, Rev. Autor nactus, ſæpe dictum illud Decretum ad Codices Vaticanum, *Chifletianum*, & Lucenſem, tribus hiſce ſchematibus
Pag. 357. juxta ſe collocatis, hic exhibuit. Inſuper Virum Clariſſ. *Joſephum Blanchinium* in Prolegomenis ad *IV Volumen Anaſtaſii Bibliothecarii* itidem hocce Decretum e Codice Florentino evulgaſſe, eamque editionem, quoad Catalogum ſacrorum librorum, a Vaticano Codice nonnihil diſcrepare, Rev. Autor notat. Cum autem in illo Decreto varia ſcripta, Chriſto & Apoſtolis tributa, pro apocryphis recte habeantur; utique multæ grates Rev. Autori debentur, qui nobis præclarum illud monumentum emendatius longe, quam antea legebatur, exhibuit. Motus, per Origeniſtas in Eccleſia quondam ſuſcitati, variis Conciliis, ideo coactis, præbuerunt materiam. Cum vero,
426. harum Synodorum hiſtoriam variis adhuc laborare defectibus, intelligeret Autor, peculiarem de hoc argumento Diſſertationem huic operi inſeruit, in qua de Synodis, quas editores Conciliorum aut neglexerunt, aut ad juſtum tempus non retulerunt, accuratiſſime diſputat. Varia Pontificis *Zachariæ* decreta, quæ de gradibus prohibitis præcipiunt, apud *Gratia-*

Digitized by Google

Gratianum hinc inde comparent, & notatu digniſſima ſunt, multo integrius, quam antea factum fuerat, e Codicibus Manuſcriptis evulgavit Rev. Autor. De Synodis, in Germania, Pag. 548.
Gallia, & Italia, a S. *Bonifacio* & S. *Zacharia* habitis, in peculiari Diatriba idem diſputat, ſingulis Conciliis epochas ſuas ſumma cum diligentia aſſignat, utque omnem ejus ſententiam 551.
uno quaſi intuitu cognoſcere poſſint lectores, tabulam chronologicam Conciliorum & Epiſtolarum S. *Zachariæ* & S. *Bonifacii* Autor appoſuit. Libellum pœnitentialem, qui ſub 556.
Bedæ nomine vulgo circumfertur, genuinum quidem eſſe, ſed interpolatum, judicat, unde, illud ipſum opus ex *Martenii Theſauro anecdotorum* multo ſincerius, quam huc usque legebatur, hic evulgavit. Concilii Lateranenſis, A. 774 habiti, 564.
in quo *Carolo M.* jus datum eſt, ut Pontificem Romanum & Epiſcopos conſtitueret, acta ſuæ collectioni quidem inſeruit, illam tamen Synodum, mala fraude confictam, & *Sigebertum*, ex quo quippe ejus hiſtoriam diſcimus, interpolatum a recentioribus eſſe, perſuadere lectoribus ſtudet. *Baronii*, *Pagii*, 721.
aliorumque curiæ Romanæ gnathonum, ea jam fuit fabula, quam, adjectis aliis quibusdam argumentis, Autor repetiit. Tantum interim abeſt, ut ei ſuffragemur, ut, nullum plane interpolationis indicium in dicto *Sigeberti* loco deprehendi, & argumenta Autoris facillime confutari poſſe, contendamus. Certe *αὐθεντίαν* conſtitutionis iſtius *Hadriani I*, quæ quidem in illa Synodo facta eſt, viri literatiſſimi, a *Conringio* in Diſſertatione *de Conſtitutione Epiſcoporum Germaniæ* §. 26 citati, ſatis ſuperque vindicarunt. Conſtitutiones *Caroli M.* eccleſiaſticas Autor affert nonnullas, de epochis earundem prius diſputans. De Conciliis, in cauſa *Nicephori*, 751.
qui iconoclaſtis ſeſe opponebat, Conſtantinopoli celebratis, admodum accurate diſputat, plurimosque aliorum errores, 776.
qui eadem Concilia nunc inter ſe confuderunt, nunc in anno, quo congregata feruntur, hallucinati ſunt, detegit. Varia tandem, quæ ad acta harum Synodorum pertinent, ab aliis prætermiſſa, ſupplet. Decretum *Stephani IV*, quod apud 779.
Gratianum D. 23 *Can.* 28 exſtat, & jura Imperatorum in electio-

Pag. 787. ctione Pontificis ſtabilit, pro genuino Rev. Autor habet, quamvis *Baronius* & *Pagius*, illud adulterinum eſſe, contenderint. Illud ipſum itidem Decretum, cum Codicibus MStis collatum, exhibet. Homilia quædam *Leonis IV*, circa medium Seculi noni conſcripta, &, quid in celebratione divinorum officiorum obſervandum ſit, præcipiens, magni utique facienda eſt, cum diſciplina Romanæ Eccleſiæ iſtius temporis egregie ex illa poſſit cognoſci. Illa interim in Codicibus Manuſcriptis pariter, ac in editis exemplaribus, vehementer variat. Interpolationis hujus cauſam eam Rev. Editor affert, quod poſt *Leonem* mos obtinuerit, ut hæc ipſa Homilia in Synodis legeretur, ad cleri eruditionem, ex quo factum ſit, ut pro varia locorum diſciplina variaretur, moribus provinciæ, vel diœceſeos, cui tradebatur, accommodanda. Illud ipſum ex titulo, quem in MSto Lucenſi dicta Homilia gerit, conſtare, nos docet, ubi quippe eadem inſcribitur: *Epiſtola Leonis Papæ, in Synodo legenda*. Hinc utique rem eruditis non omnino ingratam feciſſe dicendus eſt Rev. Editor, quando triplex iſtius Homiliæ ſchema, quorum alterum *Labbei* editionem ſequitur, alterum in *Martenii Veter. Monum. Tomo VII* exſtat, tertium tandem ex MSto Codice Bibliothecæ cathedralis Lucenſis Seculi XII deſumtum eſt, hic exhibuit. Cum in Diplomate *Caroli Craſſi*, quod *Ughellius* in

909. *Italia ſacra* protulit, legatur, *Joannem VIII* Pontificem cum iſto Principe Ravennam A. 880 idibus Februarii ſe contuliſſe, eodemque conveniſſe cœtum *multorum venerabilium*

1035. *Epiſcoporum*, Rev. Autor conventui illi Concilii nomen indidit, quamvis nihil uſquam ſub expreſſo Concilii nomine de illo reperiatur. Ipſa Diplomata *Caroli Craſſi*, in illo Concilio data, ex *Ughellii Italia ſacra* hic exhibet, eisque aliud ejusdem Imperatoris Diploma, in eodem Concilio Ravennatenſi datum, in quo decretum pro immunitate eccleſiarum

1039. generatim omnium, & Aretinæ præſertim, fertur, ex *Muratorii Antiquit. Ital. Tomo I* petitum, adjungit. Nomina Epiſcoporum, qui Concilio Moguntino, A. 888 celebrato, interfuerunt, ex *Martenii Veter. Monum. Tomo I* Venetus Concilio-

rum

rum editor recenſuit quidem, cum vero privilegium, pro Corbejenſibus & Herivordienſibus monachis in dicta Synodo conditum, ex quo nomina iſtorum Præſulum Venetus deſumſit, & quod partem Concilii iſtius conſtituit, edere neglexiſſet, Rev. Autor, defectum illum ſuppleturus, integrum privilegium ex *Mabillonii Annal. Benedict. Tomo III* hic exhibuit. Inſuper, Concilium iſtud ſub finem menſis Junii fuiſſe congregatum, argumentis ſat validis, quæ jamjam in annotationibus ad *Pagium* attulerat, evincit. Synodum Metenſem A. Pag. 1056.
888 itidem celebratam fuiſſe, communis eſt eorum, qui Concilia ediderunt, ſententia, qui etiam eandem Synodum poſt Moguntinam collocant, eamque aut Calendis Maji, aut Martii, cœpiſſe, ſtatuunt. Cum autem Synodo huic interfuiſſe legatur *Dodo Virdunenſis*; exinde ſequi, Rev. Autor demonſtrat, Concilium hoc Moguntina Synodo poſterius eſſe, cum *Dithmarus* quidam Verdunenſibus ſacris tempore Moguntini Concilii præfuerit. Magis igitur ipſi arridet *Sigonii* conjectura, qui, *Dodonem Dithmari* ſucceſſorem fuiſſe, Synodumque Metenſem A. 890, quo menſis Martii exordium in diem dominicam incidebat, coactam fuiſſe, contendit. Acta Concilii Neſtorianorum, in urbe *Bagdad* A. 900 cele- 1061.
brati, in quo & errores horum hominum de duabus perſonis in Chriſto ſtabiliuntur, & diſciplina eccleſiaſtica ordinatur, ex *Aſſemanni Bibliothec. Orient.* apponit. *Leonem Sapien-* 1088.
tem, qui, uxore tertia defuncta, quartas celebraverat nuptias, *Nicolaus* Patriarcha, cum diſciplinæ eccleſiaſticæ contraria ea res videretur, excommunicavit, qui ideo paulo poſt ſolum vertere, *Euthymio* quodam in ejus locum ſubſtituto, coactus eſt. *Leone* fatis functo, *Nicolaus* quidem, depoſito iterum *Euthymio*, ſedem patriarchalem, veluti poſtliminio, impetravit, ſchiſma autem, ea occaſione ortum, nondum coaluit. Tandem vero anno mundi 6428, *menſe Julio*, *indictione VIII*, *die dominica*, *totius Eccleſiæ a Romano Imperatore initam eſſe concordiam, cunctis Metropolitis & Clericis, qui a Nicolai Patriarchæ partibus diviſis ſteterant, in concordiam redeuntibus*, *Leo Grammaticus* in *Chronographia* teſtatur. Operis

 hujus

hujus conſummandi cauſa, Synodum conveniſſe, Rev. Autor exinde colligit, quod in collectione *Niconis*, quam *Montefalconius* in *Commentario Bibliothecæ Coislinianæ P. I pag.* 122 deſcribit, excerptum decreti, pro ea unione componenda ſanciti, ſub hoc titulo exſtet: *Synodus unionis, factæ ſub Conſtantino & Romano.* Verſionem Latinam decreti, in illa Synodo facti, ex Jure Græco-Romano, a *Leunclavio* edito, *Baronius* ad A. 921 evulgavit. Rev. Autor autem illud Græce & Latine hic exhibuit, cum alii Conciliorum editores, ſigillatimque *Labbeus*, illud omiſerint. Conſtantinopoli interim habitam fuiſſe hanc ipſam Synodum, ex libro *Anaſtaſii Cæſareenſis de jejunio Deiparæ*, qui apud *Cotelerium* in *Monum.*
Pag. 1110. *Eccl. Græcæ Tomo II* exſtat, Rev. Autor nos docet. Epilogum commemorati ſupra decreti, antea ignotum, *Lambecius* in *Comment. de Bibliotheca Cæſarea Lib. VIII pag.* 446 e tenebris protraxit, quem itidem hic a Rev. Autore exhibitum
1115. Lector inveniet. Acta diſputationis, inter Catholicos & Jacobitas, A. C. 969 juſſu Imperatoris *Nicephori* inſtitutæ, ab Editoribus Conciliorum huc usque omiſſa, Rev. Autor ex *Aſſemanni Bibl. Orient. Tomo II* evulgat, quamvis, illa acta non ex tabulis publicis, ſed ex Synodica Epiſtola *Joannis*, Patriarchæ Jacobitarum, deſumta eſſe, adeoque plenam fidem non
1160. mereri, neutiquam diffiteatur. Conſtitutiones eccleſiaſticas ſub S. *Stephano*, Rege Hungariæ, circa annum 1016 conditas, ex *Caroli Peterſii Conciliis Hungariæ* integras apponit, iſtiusque Viri docti obſervationes, iisdem Conſtitutionibus adje-
1231. ctas, adſtruit. Pontificem *Joannem XIX*, ſeu, ut alii putant, *XX*, in Synodo Romana, A. 1027 celebrata, permiſiſſe, ut Epiſcopatus Cizenſis Numburgum transferretur, nos docet Rev. Autor. Peracta dein ab Imperatore *Conrado* ſedis illius translatione, Pontifex, eandem confirmaturus, Concilium Epiſcoporum & Clericorum convocavit, cujus Concilii Epiſtolam Synodicam ex *Luuigii Spicil. Eccl. Cent. III pag.*
1249. 144 Rev. Autor hic exhibet. Synodum Beneventanam, a *Nicolao II* A. 1059 habitam, ex charta quadam *Ughellii Labbeus*, quamvis valde mendoſam, protulit, eam vero Rev.

Digitized by Google

Rev. Autor ex *Muratorii Rer. Ital. Tom. I P. II pag. 515* multo correctiorem dedit. Ne juſto longiores ſimus, generatim adhuc lubet monere, Rev. Autorem de variis Conciliis, quorum Canones non exſtant, & quorum obſcura admodum eſt memoria, aliquam ſuppeditaſſe notitiam, cujus rei exempla eruditis Lectoribus, librum hunc evolventibus, ſæpiſſime occurrent. In *Leunclavii Jure Græco-Romano* varia Concilia, ab Editoribus adhuc omiſſa, & ad hoc opus inprimis pertinentia, deprehenduntur, quæ, licet nondum Collectioni ſuæ Rev. Autor inſeruerit, in Appendice tamen *Voluminis* inſequentis, quod eruditus orbis jam exſpectat, ſe evulgaturum eſſe, promittit. Pag. 1341.

PHILOSOPHIA PERIPATETICA, IN TRES Tractatus diſtributa, quorum primus Scientiam rationalem cum Ontologia, ſecundus Phyſicam generalem, tertius Phyſicam particularem, continet, cum integra notitia Philoſophiæ recentioris. Ad uſus Academicos antiquiſſimæ, celeberrimæ, Cæſareæ Regiæque Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis accommodata, opera & ſtudio P. JOANNIS GREMNER, Societatis Jeſu, AA. LL. & Philoſophiæ, nec non SS. Theologiæ, Doctoris, & in alma Cæſarea Regiaque Univerſitate Carolo-Ferdinandea Pragenſi Facultatis Philoſophicæ p. t. Decani. Tractatus primus, Logico-Metaphyſicam, de Ente, cum proœmio ad univerſam Philoſophiam, complectens.

Pragæ, typis Univerſit. Carolo-Ferdin. in Coll. Soc. J. ad S. Clem. per Jacobum Schweiger, Factorem, 1748, 4.
Alph. 2 plag. 5.

Si verum eſt, quemadmodum eſt, quod ſcribit aliquo loco junior *Plinius*, neminem eſſe tam patientem oportere, ut velit diſcere, quod non ſit in uſu habiturus; non mediocriter nos quidem & Scholaſticæ Philoſophiæ in univerſum, & Commentariis *Gremnerianis*, qui hæc ſacra profitentur, timemus. Non iſtud eo dicimus, quo nobis in dubium veniat

 Clariſſ.

Digitized by Google

Clariſſ. *Grämneri* eruditio, atque ingenii præſtantia, aut quo non ſint in iis, quos ipſe aſſidue legit, & citavit, Scholaſticorum libris egregia bene multa, quæ etiam noſtra ætate, auſpicatiſſima melioribus literis, præcipitantur. Quid igitur eſt? Primum, plane Græcorum Philoſophia eſt hæc Scholaſticorum Peripatetica, λόγων ψόφος, ut loquitur, in ſuis ad *Ammonium* Regem definitionibus, *Aſclepius*. Quo fit, ut illi etiam, qui ſunt natura quaſi ad eam ſcientiam excolendam facti, hæreant in verbis, quas in uſu habemus, rerum inanes; atque, cum e Peripato ſuo, tanquam ex inſtructa gruum & Pygmæorum acie, de qua Poetæ fabulantur, procedant, ſint ad ea omnia inhabiles, ad quæ manu debebat Philoſophia ducere. Deinde Scholaſticorum huic diſciplinæ etiam veri nominis Philoſophia debet, in quam, magno eruditionis detrimento, adducta eſt, contemtionem; quæ eo proceſſit, ut jam, adoleſcentes in Philoſophorum ſcholis, putent, ſtultiſſimos fieri, plerique omnes. Hæc poſſumus omnia vere conqueri, & cum dolore aliquo; quod, Scholaſticorum nugas cum Philoſophorum præceptis, ad omnem vitam utilibus, miſceri perperam, videmus. Quam igitur a nobis, iisque omnibus, qui, quæ Philoſophiæ genuina ſit facies, non ignorant, inituri gratiam ſint, quotquot libris, ad Peripateticorum normam ſcriptis, ſtudent inclareſcere, facile intelligitur. Certe enim, aut, quid quantumve detrimenti philoſophandi hæc ratio bonis literis afferat, nos ignorare, neceſſe eſt; aut, ſi hoc non eſt, omnem eam Scholaſticorum artem, niſi forte nugæ ſunt, averſemur oportet. Jam ipſos *Gremneri*, Viri Cel. Commentarios videamus. Procemium *de natura, antiquitate, dignitateque, Philoſophiæ paucula quædam*, ita verba Autoris habent, exponit; quæ, ſi diſcipulis forte, ob receptum in alma Univerſitate Pragenſi morem, nobis certe non, faciunt ſatis. Protrita ſunt pleraque, & deridiculo naſutioribus; quale iſtud eſt §. III de *Adamo Philoſopho O. M.*; de *Philoſophia Patriarcharum*; de *Pythagoræ ſapientia*; de *origine Homerica Academicorum*; de *Peripateticæ Philoſophiæ laudibus*; de *Gaſſendo, Neotericorum principe*, aliaque multa,

ex-

exquiſitiora futura, ſi, quod facile poterat, ditiſſimi Ordinis ſocius, præter *Lamezani* de ortu & progreſſu Philoſophiæ libellum exſanguem & futilem, Virorum noſtræ ætatis Celeberrimorum de Hiſtoria philoſophica Commentarios auxilium ſibi adjunxiſſet. Profecto, quæ de *Methodo, philoſophicas Scientias facilius conſequendi*, Clariſſ. *Gremnerus* Procemii Epilogo attexuit, ita comparata ſunt, ut, vix temperaturos ſibi a riſu, quotquot legerint, ſi qui ſunt futuri, *Heraclitos*, credamus. *Suppoſita capacitate naturali*, inquit, *a divino Numine cœleſtem implorans benedictionem, Candidatus Philoſophiæ, magnis animis, fervoreque non minore, Peripatum ingrediatur, Magiſtrum, attentione plurima, audiat philoſophantem; domeſticas horas, omni conatu, impendat legendæ Philoſophiæ ſuæ, ſummaque contentione inſiſtat Exercitationibus Scholaſticis, perquam neceſſariis ad diſcutiendas & penetrandas philoſophicas veritates; & facile voti compos factus, ad ſcientias alias tutiſſime greſſum ſubinde faciet.* Ite jam,

Ite domum ſaturæ, venit Heſperus, ite capellæ.

Si hoc non eſt perfuſorie dicere, quid ſit, fatemur, nos non intelligere. Ita prorſus ſolent, quos Adeptos dicimus, de lapide Philoſophorum formulas tradere. Procemium *Tractatus primi*, *Logico-Metaphyſices*, *Pars prima*, *Logica*, excipit, Prolegomena dignitatem utilitatemque Logices, ejus *nomen* & *quidditatem*, *objecta*, *proprietates*, exponunt, confutantque, ſi Diis placet, *Andream Gordonum*, Benedictinum, Virum Clariſſimum, inſtaurandæ, inter Pontificios, ſaniori Philoſophiæ natura & arte factum. Sed ἐ πᾶν ἔπος πρὸς ἔπος ἐστιν. Conqueſtus eſt de Scholaſticorum barbarie doctiſſimus *Gordonus*, atque id jure meritoque; quod crederet cum eruditiſſimis quibusque viris, niſi iſta Peripateticorum philoſophandi ratio aut eliminetur aliquando, aut corrigatur, opus *Domitiani* edicto non futurum, ituraſque brevi in exilium, ſua ſponte, bonas artes. Hoc de ancyli ſuo judicium adeo male habuit Jeſuitas, rerum omnium, & multarum præterea aliarum, peritiſſimos Viros, uti omnia colligerent venena, atque

his quaſi ſuppliciis bonum illum remunerarentur. Pertinent huc: Philoſophia Scholaſticorum defenſa *Lucæ Opfermann;* Apologia, qua errores *Gordoni* contra Philoſophiam Scholaſticam confutantur, Autore *Joſepho Pfriemb; Petri Eiſentraut* Diſſertationes philoſophicæ quatuor de Electricitate: quibus libellis omnibus, rudibus opuſculis, & quaſi e quercu, non animi ſolum impotentiam ſui vehementer Autores prodiderunt, ſed futilitatem etiam Philoſophiæ Scholaſticæ evidentiſſime omnium demonſtrarunt. Horum autem ſodalium ſuorum veſtigia premere non debebat *Gremnerus,* Vir Clariſſimus, ut fecit tamen; niſi quod modeſtior eſt & humanior aliquantum, parcitque nomini; dum illi, petulanti dicacitate, argumentis theologicis ab invidia ductis, Viro doctiſſimo inſultant. Jam de ipſa *Logica* deinceps. Hanc tribus Diſſertationibus, tres mentis operationes complexis, abſolvit; deditque in univerſum id ſibi negotii Doctiſſimus *Gremnerus,* uti, quicquid e Scholaſticorum libris, atque Eccleſiæ Patribus, huc pertineret, omne id congereret, verteretque in rem ſuam, daturus diſcipulis Logicam, *bienniali curſui adaptatam,* orthodoxam eam, atque in *convellendis hæreticis, & ut Theologi, pro Eccleſiæ bono & fructu, diſcant, formaliter implicite revelata diſcernere a virtualiter implicite revelatis,* uſui futuram; quæ ipſius verba ſunt *pag. 28.* Nobis aut nihil videre datum eſt, aut, ſi quid videmus, hac Logicam pertractandi methodo nihil efficitur, niſi forte iſtud, uti diſcant in ſcholis adoleſcentes λογομαχεῖν, ſitque noſtra etiam ætate vera *Luciani* querela: πάντες περὶ ὄνου σκιᾶς μάχονται οἱ φιλοσοφοῦντες. Noſtri, quod veſtibulum quaſi quoddam eſt omnium ſcientiarum Logica, ita de ea præcipiunt, ut, quæ ad ideas pertinent, diſtincte exponant, atque ita, ut, quæ exponuntur, intelligantur ab iis, quorum intereſt; quæ eſt pars Logicæ prima, quam theoreticam vocant, intelligendis, quæ poſt exponuntur, inſervitura. Hanc excipit pars altera, practicam dicunt, qua omnes illæ idearum notiones ad inveniendam, dijudicandam, proponendam, atque defendendam, veritatem accommodantur. Quibus rebus fit, ut abducantur noſtri homi-

homines ab inepta vulgi, quidvis credendi, ratione, ſintque ipſi habiles ad judicandum, quid diſtent æra lupinis. Hæc iſtiusmodi Logica ad omnem vitam utilis eſt, neque facile ita imbuto, ſi qua forte catholica veritas, quæ non ſit, jactetur, perſuaſeris. Sed non ſunt hæc Jeſuitici ſaporis. Nulla his Commentariis ad iſta manuductio eſt, plena omnia quæſtiuncularum inutilium, quæ huc minime pertinent, quasque ſive affirmes, ſive neges, perinde fuerit; plena omnia prædicamentorum, anteprædicamentorum, poſtprædicamentorum, ſuppoſitionum, & quæ ſunt iſtius farinæ reliqua. Quæ ſi memoriter didicerint diſcipuli, tum vero abſoluti, ſi Dis placet, Philoſophi ſunt. Pars Logicæ practica plane exulat, niſi quod aliquibus locis commemorari videas, quæ eo pertinebant, ſic ſatis perfunctorie. Theologicæ profecto diſceptationes, quæ magnam operis partem ſibi vendicant, Theologis erant relinquendæ, non autem inſtituendæ in præceptis Logicæ. Ad *Exercitationes Scholaſticas XII in Logicam*, quæ coronidis loco Commentariis *Gremnerianis* ſunt, atque Præfationem, qua *fructus* iſtarum velitationum, *in regna & imperia redundaturi*, (ita loquitur Noſter *pag. 319*,) magna contentione prædicantur; ad hæc, fatemur enim, coacti ſumus exclamare, ut ille in *Ariſtophane*: ὄοτε λεκάνην. Ut igitur ſciant in poſterum, qui rei publicæ prodeſſe expetiverint, quid potiſſimum diſcendum ſibi ſit, & in quo elaborare ſerio oporteat, ſumma Exercitationum capita adſcribimus. Sunt autem hæc: *Utrum Logica ſit ſcientia; utrum Logica ſit facultas practica, an ſpeculativa; quænam ſint objecta Logicæ; an Logica ad alias ſcientias neceſſaria ſit; utrum ideæ veræ & falſæ dentur; utrum univerſale detur a parte rei, extra intellectum; utrum natura univerſalis in actuali prædicatione amittat univerſalitatem; in quo conſiſtat veritas & falſitas; utrum actus verus poſſit fieri falſus; utrum, penetratis & conceſſis præmiſſis, intellectus neceſſitetur ad ſpeciem; utrum etiam neceſſitetur ad exercitium; utrum ſcientia & opinio, de eodem objecto, ſtare ſimul poſſint in eodem intellectu.* Quæ quidem omnia, exactiſſimo *artificio Syllogiſtico*, in utramque partem, ita tamen,

diſpu-

diſputantur, ut, quæ dici tribus verbis, nullo veritatis diſpendio, poterant, totidem foliis exponantur. Regia hæc eſt ad ſophiſticationes via, prætereaque nihil. Non iſta eo dicta volumus, uti *Gremmero*, Viro Celeb. convicio ſint, de cujus ingenio nobis atque eruditione præclara opinio ſedet; ſed ut tandem aliquando Scholaſticæ Philoſophiæ futilitatem intelligant, qui adhuc ad omnes recentiorum Philoſophorum juſtiſſimas querelas ſurdi ſunt, neque putant, quod inde a ſeculis traditum eſt, qualecunque illud ſit, modo ab antiquitate commendetur, & Patribus, eliminari oportere.

DE BORACE NATIVA, A PERSIS BORECH dicta, Diſſertatio, a D. MODEL, Præfecturæ maris Sereniſſimæ ac Potentiſſimæ Ruſſorum Auguſtæ Primario Pharmacopæio, conſcripta, & Regali Societati Londini dicata.

Londini, apud C. Davis, 1747, 4.
Plag. 4½.

De Borace, ejusque ſale, cujus generis ſit, multum adhuc diſceptatum fuit, neque nunc etiam compoſita lis eſt, quamvis ſatis conſtet, ex India potiſſimum ejus mineram afferri, atque a Batavis præcipue depurari. Quare, cum Autori Clariſſ. maſſa quædam ex Perſia mitteretur, cui nomen Boracis nativæ erat inſcriptum, experimenta plurima cum eadem inſtituit, atque horum occaſione in elementa Boracis inquiſivit. Fuit illa maſſa, tanquam modulo placentæ in modum formata, coloris albi, cum aliqua rubedine in gryſeum vergentis, ab arena admixta ſub dentibus ſtridens, guſtu vere alcalina, & in aere perſiſtens, nihilque humidi attrahens. Quod Autor addit, eſſe interdum in ſtrata diſtinctam, & nonnunquam candidiſſimam, videtur ipſi per literas eſſe ſignificatum, niſi plura ipſi fruſta transmiſſa ſunt. Forma maſſæ credere Autorem facit, vel evaporando in vaſe quodam concretam eſſe, vel e terra, aut lacu quodam, calore ſolis exſiccato, erutam, & vaſis ejusdem generis impoſitam, unde temporis tractu for-

maın

mam illam mutuare potuerit, ſaltem certiſſime nativam eſſe. Spe igitur, ſalem quendam nativum detegendi, allectus, obſervavit primo, eam maſſæ hujus faciem eſſe, quæ cum veterum nitro, ſecundum *Alex. Achillis* (*Urbani Hierne Paraſcev. pag.* 71) obſervationem, conveniat. Cognovit porro, ne- §. 2.
que volatile ſal, neque fixum alcali vegetabile, ineſſe, ſed potius tale, quod volatile ſalis ammoniaci eodem modo mutare valet, ac calx viva; cumque ſulphuris aliquid ex ea obtinue- 3, 4.
rit, ubi ipſi aqua ſolutæ, poſtquam in crucibulo fluens, pulvere carbonum inſperſo, concreverat, acetum deſtillatum affuſum eſt, neque maſſa illa acidum vitriolicum contineat, monet ipſe, eſſe fortaſſis a recepta, de ſulphuris compoſitione, ſententia aliquantiſper recedendum. Fuit deinde ex eadem 5.
maſſa, acido vitrioli, vel ſalis, addito, ſal ſedativum ſublimatum, atque reſiduum ſalis mirabilis cryſtallos dedit, in quibus adeo ſatis cum Borace convenit. Differt autem in hoc, quod 6.
duplo minore, quam qua Borax, aquæ quantitate ſolvi poteſt; ſolvitur autem ita, ut ſalis $\frac{12}{13}$, terræ inſolubilis $\frac{1}{13}$ ſint, idque ſal adeo Autor Perſicum nominat, atque, alcali eſſe, indubiis experimentis cognovit. Quæ vero terra cærulea ine- 7.
rat, quamvis alcalia adhuc nota terram ſolvendi facultatem non, niſi vehementiſſimo igne, poſſideant, eam a ferro diſtinctam, & fortaſſis eandem, eſſe, quæ cæruleum Berolinenſe & Erlangenſe dat, quamvis, quomodo ab alcali ſolvi potuerit, dici non queat. Plura experimenta, cum vitriolo, alumine, 8.
ſaccharo Saturni, in aqua ſolutis, & acidis metallorum ſolutionibus, inſtituta, alcali demonſtrarunt, cum pauxillo ſalis communis, quod nempe præcipitatum ſolutionis ſacchari Saturni indigitare videtur. Acidum aliquod liberum ineſſe, nullum 9.
experimentum clare oſtendit, latentis vero indicium aliquod ſola ſulphuris cum calce viva ſolutio dedit. Ejusque aqua, 10.
quia, ſali Perſico affuſa, non niſi poſt longam demum moram lacteſcere incepit, ineſſe aliquid indicabat, quod calci non admodum repugnet. Perſicum ſal etiam ratione cryſtallorum 13.
a Borace differt, ut quarum plurimæ rhomboideæ & ſpiſſe congeſtæ, aliæ dodecaedræ, oblongæ, erant, aliæ rhombos re- 14.

Kk fero-

ferebant, per tenuia ſtrata vario ſenſu ſibi invicem incumben-
tes. Enatæ cryſtalli ſine acidi additamento ſunt, ex quo pa-
tet, Perſicum ſal non ex claſſe alcalinorum vegetabilium eſſe.
Suſpicionem vero ſalis communis, quod inſit, augere videtur
figura cryſtallorum rhomboidea, quæ etſi ſiccatæ albida cu-
ticula obducuntur, tamen hoc, Autor contendit, acido vitrioli
§. 15. ſine cauſa adſcribi. Porro, ut, quale acidum in Perſico ſale
lateat, inveniret, addidit vitrioli oleum, & magno igne liquo-
rem obtinuit, ſpiritus ſalis omnes dotes habentem, cum
idem experimentum, cum ſalis acido factum, nullum plane
acidum dederit. Acido autem illi ſalis ſulphuris generatio-
nem tribuendam eſſe, probat, &, veroſimile eſſe, non commu-
ne ſal, ſed vitrioli acidum, illud eſſe, ex quo reliqua duo or-
tum trahant. Boracem ad metalla ferruminanda adhiberi,
16. notum eſt; hanc vero aptitudinem ſali Perſico non ineſſe,
ſed hoc potius ammoniaco ſubſtitui poſſe, forte alcali mine-
ralis ratione, experimentum oſtendit, ex quo etiam innotuit,
carbonibus ardentibus injectum non quidem intumeſcere,
quod tamen Boraci ſolenne eſt, attamen plane ut Boracem
in materiam vitro analogam colliqueſcere, & cauſticam fieri.
17. Atque ex hactenus recenſitis experimentis Autor collegit,
ſal Perſicum alcali minerale eſſe, cujus terra eadem ſit,
quæ ſali communi inſit, quo adeo ab alcali vegetabili diffe-
18. rat; cumque nullum manifeſtum acidum ineſſe deprehen-
ſum ſit, ſalis acidum, quod vitrioli oleo fuit prolectum,
ſali communi adſcribit, quod tamen compoſitionem ſa-
19, 20. lis Perſici non eſſentialiter ſpectet; ſal vero ſedativum,
quod inde producitur, probabiliter ex terra ejus cœrulea
21. 26. naſci. His ita de ſalis Perſici natura propoſitis, alia ex-
perimenta proferuntur, obſervationesque, quibus de natro
Ægyptiaco & Soda ita exponitur, ut, in quo quidem
hæc duo cum ſale Perſico conveniant, vel diſcrepent ab eo,
appareat. Nimis longum foret, omnia illa experimenta
21. hic repetere. Sufficiet, in univerſum monuiſſe, ſalem Per-
ſicum natro Ægyptiaco ſatis ſimilem eſſe, ſed de ferro, quod
in

in natro contineri, *Du Hamel* contendit, jure dubitari poſſe, & terram ſimilem illi, quæ ex magmate ſalis non cyſtalliſabili producitur, de qua idem *Du Hamel* agit, non mereri tanquam diſtinctam partem conſtitutivam ſalis Perſici, aut natri, conſiderari. Quod vero ad Sodam attinet, eam ita cum ſale Perſico convenire, ut tamen, præter minerale alcali, vegetabile, nullam vero coloratam terram, contineat. Hinc retractat Autor, quæ de alcali minerali in *Commercio literario* (*A. 1743 Hebd. 3 Art. 1 pag. 18*, & *A. 1745 Hebd. 7 Art. 1 pag. 50*,) in medium protulerat, atque, Soda denuo ſub examen vocata, invenit, eam vere terram coloratam continere, neque adeo ferrum abeſſe facile poſſe, fatetur. Reliqua experimenta omnia ad Boraces pertinent, quæ nempe ratione immixti ſalis communis, & magis, vel minus, latentis acidi, diverſæ ſunt, eaque ita Autor inſtituit, ut examen tantum per reagentia ſuſciperet. Quibus propoſitis, atque ſale Perſico, Borace, & Soda, collatis inter ſe, oſtendit, Boracem obtineri poſſe, ſi quis alcali ſalis Perſici minerali alcali refractarium jungat, aut ſi a Soda alcali vegetabile demat, & terram coloratam ad conjunctionem cum alcali minerali diſponat, atque varias materias, ut margas, alumen, calcem, ſal commune, ad priorem finem obtinendum proponit, excitans ſimul Chemicos ad modum inquirendum, quo refractarium alcali minerali immiſceri, & Borax inde & apud nos parari, queat.

§. 27. 28. 29 - 32. 33. 34 - 38. 39.

JOANNIS PHILIPPI BREYNII, MED. Doct. Acad. Imperial. Nat. Curioſ. & Societ. Reg. Lond. Sodalis, *Annotationes apologeticæ ad Hiſtoriam Naturalem Cocci radicum.*

Quicunque ad Hiſtoriam Naturalem amplificandam & illuſtrandam aliquam conferre ſymbolam ſatagunt, ante omnia veritatem ſibi ſcopum eligant, certaque & probe explorata tradere ſtudeant, neceſſe eſt, ne, dum dubia, vel falſa

 plane,

Digitized by Google

plane, pro veris lectoribus obtrudunt, jucundiſſimum & utiliſſimum ſtudium hoc, per ſe jam ſatis difficile, & multis fabulis proh dolor refertum, difficilius reddant, & pluribus adhuc fabulis onerent.

Hanc mihi quoque poſui legem in ſcribenda *Hiſtoria Naturali Cocci radicum tinctorii*, quam primo vere anni 1731 publici juris feci. In ea nimirum deſcripſi & delineavi accurate & omni, qua potui, fide, quæ in Inſecto hoc a forma Cocci, vel grani, (quod minus recte ovum a quibusdam dicitur,) & ex eo prodeuntis, & ova parientis, vermis, adusque excluſionem vermiculorum ex ovis, repetitis obſervationibus didiceram (*vid. pag. 12-17*); quæ omnia meis oculis quam diſtinctiſſime vidi. Quid vero cum his vermiculis poſtmodum contingat, cum oculis non licuerit aſſequi, probabili admodum conjectura ſupplere conatus ſum, ratus ſcilicet, eos radicibus Polygoni, quod cocciferum hinc veteribus dictum, adhæreſcere,& in cocca ſuo tempore mutari.

Qua ratione autem generatio hujus Inſecti procedat, quia nec marem, nec fœminam, multo minus copulam eorum, obſervare tunc potueram, cum Ceſtono, repugnante licet animo, Coccum noſtrum Inſectum androgynum, quod ova, in & a ſe ipſo, ſine maris adminiculo, jam fœcundata, parit, atque hac ratione genus ſuum propagat, ſupponere auſus ſum.

Cum jam ſubſequente æſtate, ut mihi plenarie ſatisfacerem, omnemque circa hanc materiam eximerem ſcrupulum, obſervationes meas ſumma ἀκριβείᾳ repeterem; me circa generationem multum erraſſe, quod nemo bonus mihi, ut ſpero, vitio vertet, quia errare, præſertim in minimis ejusmodi, humanum, lætus cognovi, eamque longe aliam reperi. Detexi nimirum quam clariſſime, vermes minores, qui ex coccis minoribus prodeunt, poſt aliquot dies mutari in Nymphas, & ex Nymphis denuo poſt elapſos alios aliquot dies prodire parvulas & perelegantes muſcas. Has, *pag.* 17 Hiſtoriæ meæ deſcriptas, & *Fig. a, b*, depictas, pro veris maribus Coccorum agnovi; vermes vero majores, qui coccis majoribus ortum debent, fœmellas eſſe, ſine ulla ulteriori metamor-

tamorphoſi generationi aptas dixi, ſequentibus argumentis fretus:

1) Quia, cum muſcam ſupra dictam in vitro adderem vermi majuſculo, ex majori cocco nato, mox vidi, muſcam hanc lætam vermem adſcendere, & poſtica ſui corporis extremitate, quæ membrum ipſius genitale maſculinum, poſticam extremitatem vermis majoris, quæ membrum genitale fœmininum, ſedulo quærere, eique invento inhærere, &, peracta venere, brevi poſt mori; dum vermis major imprægnatus poſt diem unum, vel alterum, ſe dat quieti, & candidiſſimam ſubtiliſſimamque exſudans undique lanuginem, ova parit copioſa, ex quibus poſt quatuor circiter hebdomadas excludebantur vermiculi.

2) Cum muſcas has ſolas relinquerem ſine vermibus, poſt tres quatuorve dies ſenſim languentes moriebantur.

3) Cum vero vermes majores ſolos ſine muſcis vitro immitterem, quas virgines voco; hæ hinc inde lætæ prorumpebant, tandem poſt aliquot hebdomadas languentes quieſcere incipiebant, & parciori, aliquando & copioſiori, lanugine tecti, ſenſim exſpirabant, nec unquam ova parere obſervabantur.

Ut autem hujus rei eo certior fierem, æſtate ſequentis anni denuo obſervationes haſce meas repetii, & quidem cum eodem ſemper ſucceſſu.

Hinc exultans ego, quod errorem, in quo hactenus verſatus fueram, detexeram, nolui eundem celare, multo minus palliare, ſed non quievi, donec, ut decet virum honeſtum & candidum, qui non ex muſtaceo ſibi quærit laureolam, ſed unice veritati litare ſtudet, errorem huncce meum publice faſſus, novam hanc detectionem cum republica literaria communicaverim. Quare eam eodem anno 1732 ſcilicet labente ad Clariſſimos *Actorum Eruditorum* Editores Lipſiam, ſimul etiam Norimbergam ad Illuſtrem D. D. *Treu*, transmiſi, titulo *Corrigendorum & emendandorum circa generationem Inſecti*, &c. &, ut *Actis* modo laudatis & *Commercio literario No-*

rimbergenſi quantocyus infereretur, obnixe rogavi. Quod etiam mox primis anni 1733 ſubſequentis menſibus præſtitum fuit.

Eodem anno quoque prodiit *Actorum phyſico-medicorum Academiæ Nat. Curioſ. Volumen III*, cujus Appendici Hiſtoriam meam naturalem Cocci integram una cum corrigendis & emendandis, me plane inſcio, non ſine encomio & approbatione inſertam reperi.

Denique poſt aliquot annos Illuſtris D. *de Reaumur*, in indagandis & deſcribendis inſectis Vir ſine pari, in egregiis ſuis ad condendam Inſectorum Hiſtoriam Commentariis, hujus Hiſtoriæ Cocci, & Corrigendorum &c. honorificam mentionem fecit *pag. 38*, & ſuo calculo approbavit, ſimul etiam primaria horum ſcriptorum contenta *Voluminí quarto pag. 112 & ſeq.* Operis excellentiſſimi inſeruit. Interim candide me ſimul *Libr. cit. pag. 117* monuit de lacuna in mea Hiſtoria: quando & qua ratione nimirum vermiculi, ex ovis excluſi, Polygoni radicibus adhæreſcant, & in cocca transmutentur. Devinctum me ſibi reddidit hoc ſuo candore Vir illuſtris, dum hujus defectus mihi, omnium optime ejus conſcio, memoriam humaniſſime refricavit. Libentiſſime ego ſane ipſius & meo deſiderio jam ſatisfeciſſem, ſi occaſio, valde obſcurum & difficile problema ſolvendi, mihi ſuppetiviſſet. Variis hinc annis obſervationes meas circa generationem Inſecti hujus, quod Coccionella Europæa merito dici poſſet, & ab illuſtri *Reaumurio* ad genus Inſectorum, Progallinſecta ipſi dictorum, relatum eſt, ut & animi gratia, iteravi; ubi a me hactenus tradita ſemper magis confirmata inveni, & ſimul ſemper fere aliquid novi adjeci. Applicationem vermiculorum cocci ad radices Polygoni clare detegendi fortunata necdum affulſerat lux; donec, æſtate elapſa, cohæſionis hujus haud obſcura veſtigia me detexiſſe, ratus ſim; quæ inſtanti æſtate ulterius inquiram, & confirmata cum Republica literaria communicabo. Dabitur etiam tunc forte occaſio, Hiſtoriam natalem Cocci, reviſam, correctam, & auctam, in gratiam curioſorum, ſi Deus vitam & ſanitatem largiatur, denuo publicandi.

Hæc

Hæc dum ita ſe habent, Vir Excellentiſſimus, *Carolus Auguſtus a Bergen*, Med. Doct. & Profeſſ. Publ. Francofurtenſis celeberimus, *Epiſtolam*, anni 1748 menſe Octobri *ad Virum Nobiliſſimum & Celeberrimum, Franciſcum Erneſtum Bruckmannum*, &c. *de Alchimilla ſupina, ejusque Coccis*, datam, & publici juris factam, additis humaniſſimis ad me literis, mihi transmiſit. Pro qua benevolentia grates ipſi debitas publice hic ſolvo. Hanc dum lego & relego, invenio, Clariſſ. Virum me meamque Cocci Hiſtoriam nimiis, & quæ mihi ruborem injiciunt, proſequi elogiis, in tractatione vero thematis mihi in quibusdam quidem aſſentiri, alia vero multum eſſentialia non quidem aperte negare, ſed tamen de iis multum dubitare, & aliter ſentire: ea ſcilicet ratione motum, quod, ut ipſe Vir Clariſſ. fatetur *pag. 11*, non adeo felix fuerit, ut ea potuerit videre, quæ ego, me meis oculis aliquoties vidiſſe, certo certius affirmavi.

Non equidem miror, Virum Celeberrimum non omnia eadem vidiſſe, quæ ego; quia hoc etiam aliis accidere poteſt, dum non ſub iisdem circumſtantiis, & eadem methodo, in inquiſitione procedant. Sed hoc doleo ſummopere, Virum adeo doctum & celebrem, quem ut Amicum colo, videri de fide mea aliquo modo dubitare velle. Nolo autem credere, hanc proprie ejus mentem fuiſſe, cum hoc de candore ipſius minime poſſim ſuſpicari.

Multa quidem de Epiſtola hac monenda haberem, ſed, cum alieniſſimo ſemper a litibus fuerim animo, neque nunc ſenex cum ullo altercationis ſerram reciprocare conſtituerim, eadem ſilentii peplo involvere malo, & pauca tantum momenta eſſentialia pro fide mea ſalvanda amico animo monere, ut Virum Clariſſ. convincam. De certitudine enim eorum, quæ de generatione & metamorphoſi Inſecti, de quo agitur, tradidi, toties repetita experientia non aliter me perſuaſum, imo convictum, profiteor, ac de eo, quod duo & tria faciunt quinque. Sunt autem poſitiones meæ ſequentes:

1) *Vermes minores, qui ex Coccis prodeunt minoribus, transmutan-*

mutantur in Nymphas, & ex his Nymphis parvæ, quas deſcripſi, prodeunt muſcæ, quæ omnes mares ſunt.

2) *Vermes majores, ex majoribus coccis, ſunt fœminæ, absque ulla ulteriori metamorphoſi generationis operi aptæ.*

3) *Cum his fœmellis muſcæ mares congrediuntur, & easdem impregnant.*

4) *Hæ fœmellæ impregnatæ poſtmodum ova pariunt, &*

5) *Ex his ovis vermiculi demum excluduntur.*

Nec contentus, me ſolum hæc vidiſſe, variis etiam diverſis annis monſtravi amicis & curioſis naturæ ſcrutatoribus; quos inter primum mihi nominare liceat Virum & Naturæ & Juris Conſultiſſimum, *Jacobum Theodorum Klein*, quamplurimis editis Operibus celeberrimum.

Ut autem Clariſſ. Autor Epiſtolæ & alii curioſi naturæ indagatores, ſi velint, de certitudine aſſertorum meorum propria experientia pariter, ac ego, convinci poſſint, conſilium cum ipſis communicabo, qua ratione experiundo procedendum. Nimirum:

1) Circa medium menſis Junii conquirant Polygonum cocciferum, & cocca ex hoc caute ſecernant.

2) Coccorum horum illa, quæ magnitudinem ſeminis milii circiter habent, ſeligant, quæ vel cum calyce ſuo, vel ab eodem liberata, indantur vitro, linteo tenui tegendo, & ponantur in conclavi ante feneſtram, ubi ſolis radii per horam unam alteramve accedere poſſunt. Eadem tunc ſingulis diebus examinent, & brevi, ex ſingulo vermem excludi, obſervabunt, minorem.

3) Horum vermium 8, vel 12, e. g. alii immittant vitro in eodem loco, tuncque obſervabunt, eos poſt aliquot dies quieſcere, & ſubtili lanugine, nunc magis, nunc minus, tegi, & poſt aliquot alios dies in parvulas Nymphas transmutari; denique ex his Nymphis poſt quatuordecim circiter dies prodire parvas illas & perelegantes muſcas, quæ omnes mares.

Ut jam fœmellas pariter habeant:

1) Poſt

1) Poſt ſolſtitium æſtivum colligant Cocca majora, quæ Coriandri ſeminis, vel piperis albi, magnitudine pollent, eademque pariter in aliud vitrum intromittant, in eodem loco; & poſt diem unum, vel alterum, obſervabunt, vermes ex iis prodire majores, pro ratione Coccorum, qui omnes fœminæ.

2) Horum vermium accipiant e. g. ſex, eosdemque immittant novo vitro, iisque horis meridianis addant totidem muſcas mares, pridie ex ſuis Nymphis natas & vegetas. Tumque mox obſervabunt, muſcas mares inſultare fœmellas, & actum venereum celebrare, idque aliquoties repetere.

3) Poſt diem unum alterumve videbunt, fœmellas illas impragnatas ad quietem ſe diſponere, tuncque easdem a muſcis jam mortuis ſeparent, & novo immittant vitro.

4) In hoc animadvertent, eas ſubtiliſſima & elegantiſſima lanugine tegi, & brevi poſt ova parere quamplurima, quæ dicta lanugo pariter involvit; &

5) Demum ex his ovis, poſt menſem circiter, perminutos excludi vermiculos. Omnia, prouti in Tractatu meo ſupra citato deſcripta a me ſunt & delineata.

Notandum vero, in minutiis obſervandis oculo lente mediocri eſſe ſuccurrendum.

Hæc itaque omnia ſi probe obſervare placuerit Clariſſ. Autor; nullus dubito, ipſum omnia iſta, quæ toties ego vidi, quoque quam diſtinctiſſime viſurum, victasque veritati daturum manus.

Ceterum anno proxime elapſo prodierunt *Acta Societatis Regiæ Scientiarum Upſalienſis* ad annum 1742, quibus inſerta eſt *E. F. Burchardi*, Med. Doct. *Epiſtola ad Clariſſ. Virum, Carolum Linnæum, de Cocco Polonica*, miſſa Roſtochio A. 1747 d. 27 Sept. Hanc cupidus evolvi, viſurus, an forte Clariſſ. Autor aliquid novi circa hoc inſectum Obſervationibus meis addiderit. Sed proh dolor! me quidem aliquoties citatum, verum toties quoque notatum, reperi. Quo jure, judicent alii, qui meam Hiſtoriam cum Corrigendis & emendandis, & has annotationes, legent.

Digitized by Google

Malo tamen potius Clariſſ. Autorem excuſare, quam ad ea, quæ me tangunt, reſpondere. Non enim, uti facile ex ipſa Epiſtola colligi poteſt, meam Hiſtoriam legit Autor; tantummodo vero Corrigenda & emendanda, in Commercio literario citato, fugitivo forte oculo vidit. Certus enim ſum, ſi ea attento perlegiſſet animo, quæ in Hiſtoria Cocci a *pag. 13* ad 17 leguntur, & in addita tabula ſatis accurate oculis offeruntur, iisque poſtmodum addidiſſet ſæpius citata Corrigenda & emendanda mea, mihi non imputaſſet, me conglobationes villorum, ut vocat, ſeu lanuginis, pro ovis, & vermiculos, quos ex ovis excludi, meis vidi oculis, pro vermibus, quos ipſe ait vivos a vermibus matribus partos, habuiſſe.

Videtur Clariſſ. Vir Obſervationes ſuas nimis præcipitanter trium menſium ſpatio feciſſe; dum meis, ut certa traderem, aliquot annos impendi.

Rogo itaque ſummopere Virum doctiſſimum, ut meam Hiſtoriam legat & relegat, & Obſervationes ſuas ſedato & a præjudiciis vacuo animo, & ſecundum methodum, a me ſupra deſcriptam, iterum iterumque repetat; cum ipſum quoque, ut ipſe fatetur, non lateat, & ego meo & aliorum exemplo didicerim, quam facile in minimis ejusmodi errare poſſimus. Certus ſum, eum omnia, quæ ego vidi, viſurum, & ſententiæ meæ acceſſurum. Pergratum mihi quoque erit, aliquid novi, ſi probe confirmatum fuerit, ab ipſo, vel aliquo alio, addiſcere; me enim necdum omnia circa hoc Inſectum exhauſiſſe, lubens agnoſco, ut me reiteratæ obſervationes docuerunt; oculi quoque plus vident, quam oculus. Denique, an ipſius *Coccus radicum purpureus, circulis XII æqualibus, Hieracio innatus*, non potius ſit prioris ex Seleranthο, ſive Polygono coccifero, varietas dicenda, inprimis ratione magnitudinis, ex diverſitate plantæ, cui adhærent, derivanda, quam ſpecies diverſa, ulteriori ejus examini commendo.

Non poſſum non hac occaſione etiam gratias perſolvere maximas Viro Nobiliſſimo Doctiſſimoque, *Carolo Bonetto*, pro laborioſiſſima non minus, quam ingenioſiſſima, ſolutione Problematis, a me in ſæpius citatis ſcilicet Corrigendis & emendan-

dandis circa Hiſtoriam Cocci, &c. propoſiti: *An indubitate demonſtrari poſſit in rerum natura genus aliquod animalium vere androgynum*, id eſt, *quod ſine adminiculo maris ſui generis, ova, in & a ſe ipſo fœcundata, parere, adeoque ſolum ex & a ſe ipſo genus ſuum propagare poſſit*. Hic enim Vir curioſiſſimus in Tractatus, quem vocat *Traité d'Inſectologie*, Lutetiæ A. 1745 editi, *Parte prima*, inprimis *pag. 99 & ſeq.* per ſucceſſivas, invincibili patientia & ſumma cum circumſpectione inſtitutas, obſervationes detexit, *Inſectum illud*, quod Galli *Puceron* ſalutant, *per novem generationes ſucceſſivas fœtum vivum edidiſſe, ſine copula, vel conſortio, cum mare, adeoque ſolum a ſe ipſo genus ſuum propagare poſſe.* Q. E. D. Unicum enim congreſſum ad novem generationes ſucceſſivas poſſe ſufficere, quod aliquis forte objicere poſſet, ut probe annotavit ipſe Clariſſ. Autor, majorem difficultatem involvere videtur, quam ipſa generatio prolis ſine copula maris.

THEORIÆ SPECULORUM CYLINDRICOrum & conicorum Pars ſecunda, in qua locus & ſitus imaginis determinatur, ſi planum reflexionis per axem tranſit, Autore GOTTLIEB AUGUSTO MOSDORFFIO.

XXI Hactenus præcipuas conicorum & cylindricorum ſpeculorum qualitates ſine calculo conſiderantes, ſemper ſpeculum convexum ſuppoſuimus. De concavis enim omnia quoque valent, quæ de convexis demonſtrata ſunt. Ideoque, miſſa horum ſeparata pertractatione, convertimus jam nos ad theoriam analyticam, ope cujus multa accuratius, quam in antecedentibus fieri potuit, cognoſcentur, multa quoque circa ipſorum proprietates dilucidiora evadent. Agemus autem primo de illis caſibus, in quibus planum reflexionis per axem coni, vel cylindri, tranſit, poſtea etiam de iſto caſu, in quo dictum planum conum oblique ſecat, acturi. Quia vero ad inveniendum ſitum & locum imaginis quædam quantitates ut

cognitæ ſupponendæ ſunt, opus erit, ut pauca de poſitione tam oculi, quam puncti radiantis, præmittamus. Scilicet, ſi hæc tanquam cognita ſupponitur, neceſſe erit, ut aſſumatur linea quædam, a qua omnes diſtantiæ computentur. Et, quamvis hæc pro lubitu aſſumi poſſit, tamen ob calculi commoditatem ſemper aſſumetur in baſi coni, vel cylindri. Hinc in ſequentibus lineam *BC*, in baſi *BGC* per centrum *F* ductam, a qua computantur omnes diſtantiæ, vocabimus *fundamentalem*, quo nomine etiam venient omnes lineæ, ut *bc*, quæ eidem *BC* in cono *ABC* parallelæ ſunt. Planum *ABC* autem, quod per verticem coni *A* & lineam fundamentalem *BC* ducitur, *planum fundamentale* appellabimus.

Problema I.

TAB. III Fig. 1. XXII. Data natura coni *ABC*, poſitione puncti radiantis *e*, & angulo *BFG*, quem tangit planum *TSA*, invenire perpendicularem *eS*, quæ ex puncto *e* ad dictum planum tangens duci poteſt.

Solutio.

1) Secetur conus *ABC* ita, ut ſectio *bge* ſit ad baſin *BGC* parallela, & tranſeat per punctum *e*.

2) Ducatur tangens *Tg* puncti *g*, ſeu anguli *bfg*, & huic parallela *te*, per punctum *e*.

3) Quia tangens *Tgq* eſt in plano *TgqA*, quod conum tangit in linea *gA* (*§. VII*), erit etiam *te* parallela plano *TgqPQ* (*n. 2*). Ergo cujuslibet puncti, v. g. *t*, hujus lineæ, diſtantia a plano tangente erit æqualis diſtantiæ *eS* puncti *e* a plano *TgqPQ*.

4) Continuetur igitur *gf*, ut rectæ *et* occurrat in *t*, nec non *gf* & *eb*, ut ſeſe interſecent in *π*.

5) Ex *E* demittatur perpendicularis *EH* in diametrum *BC*, & ſit $FH = d$, $EH = m$, $BF = b$, $AF = a$, $BFG = x$, $eE = n$. Ergo, quia planum *bgc* baſi parallelum (*n. 1*) erit $bfg = BFG = x$, $fb = FH = d$, $eb = EH = m$ & $fF = IL = dD = eE = n$, unde $Af = a - n$ & $gf = \frac{ab - bn}{a}$.

6) Quia $bfg = BFG = x$ (*n. 5*) invenietur *rg*, quæ ex *g* ad dia-

diametrum bc perpendiculariter demittitur, argumentando: ſin. tot. : $gf = rfg : rg$, hinc $rg = \frac{abx - bnx}{ar}$, & $rf = \frac{ab\surd(r^2 - x^2) - bn\surd(r^2 - x^2)}{ar}$. Jam vero Tgf eſt rectus (§. VII). Ergo $rf : gr = gr : Tr$, ſive $\frac{ab\surd(r^2 - x^2) - bn\surd(r^2 - x^2)}{ar} : \frac{abx - bnx}{ar} = \frac{abx - bnx}{ar} : \frac{abx^2 - bnx^2}{ar\surd(r^2 - x^2)} = Tr.$

7) Hinc $Tf = Tr + rf = \frac{abr - bnr}{a\surd(r^2 - x^2)}$, & $Th = Tf + fh = \frac{abr - bnr + ad\surd(r^2 - x^2)}{a\surd(r^2 - x^2)}$.

8) Quia eh eſt diſtantia puncti radiantis a linea fundamentali bc, erit eh ad bc normalis, hinc $Tr : gr = Th : \beta h$, id eſt, $\frac{abx^2 - bnx^2}{ar\surd(r^2 - x^2)} : \frac{abx - bnx}{ar} = \frac{abr - bnr + ad\surd(r^2 - x^2)}{a\surd(r^2 - x^2)} : \beta h$, ergo $\beta h = \frac{abr - bnr + ad\surd(r^2 - x^2)}{ax}$.

9) Quia igitur $HE = he = m$ (n. 5) habebitur $\beta e = eh - \beta h = \frac{amx - abr + bnr - ad\surd(r^2 - x^2)}{ax}$.

10) Porro eſt $rh = rf + fh = \frac{ab\surd(r^2 - x^2) - bn\surd(r^2 - x^2) + adr}{ar}$, unde invenitur $g\beta$ argumentando, $Tr : Tg = rh : g\beta$, hinc $g\beta = \frac{ab\surd(r^2 - x^2) - bn\surd(r^2 - x^2) + adr}{ax}$.

11) Triangula $gr\beta$, $hT\beta$, ob angulos ad g & h rectos & $T\beta h$ utrique communem ſunt ſimilia, ideoque $h\beta : T\beta = g\beta$

$g\beta : \beta\pi$, vel ob parallelas $gr, \beta b, gr : Tg = g\beta : \beta\pi$, hinc

$$\beta\pi = \frac{abr\sqrt{(r^2-x^2)} - rbn\sqrt{(r^2-x^2)} + adr^2}{ax\sqrt{(r^2-x^2)}}.$$

12) Ex eadem ratione porro eſt $gr : Tr = g\beta : g\pi$, ergo

$$g\pi = \frac{ab\sqrt{(r^2-x^2)} - bn\sqrt{(r^2-x^2)} + adr}{a\sqrt{(r^2-x^2)}} \quad (n.\ 6\ \&\ 10).$$

13) Quia tc parallela $T\beta$ ($n.\ 2$) erit $\beta\pi : g\pi = \beta\varepsilon : gt$, unde $tg = \frac{amx - abr + bnr - ad\sqrt{(r^2-x^2)}}{ar} = f$ ($n.\ 11, 12, \&\ 9.$).

14) Continuetur Ag in I, & ex puncto t demittatur normalis tI, quæ exhibebit diſtantiam puncti t a plano tangente $TgqPQ$. Eſt enim triangulum tIG continuatio plani gAf (per antec.). Cum igitur hoc debeat eſſe normale ad planum tangens $TgqPQ$, erit etiam tgI ad idem normale. Ideoque, ſi tI eſt perpendicularis ad Ig, vel AI, erit tI linea breviſſima, quæ ex t ad planum tangens duci poteſt, ideoque ejus diſtantia ab iſto plano. Cum itaque anguli tIg, gfA, ſint recti, prætereaque $tgI = Agf$, erit $Ag : Af = tg : tI$.

15) Jam vero eſt $AG : AF = Ag : Af = \sqrt{(a^2+b^2)} : a$, ergo $\sqrt{(a^2+b^2)} : a = f : \frac{af}{\sqrt{(a^2+b^2)}}$, unde $tI = \frac{amx - abr + bnr - ad\sqrt{(r^2-x^2)}}{r\sqrt{(a^2+b^2)}}$ ($n.\ 13$), $= eS$ ($n.\ 3$). Q. E. I.

Corollarium I.

Loco $FH = d$, ponatur $-d$, quo facto, habebitur deſiderata normalis $= \frac{amx - abr + bnr + ad\sqrt{(r^2-x^2)}}{r\sqrt{(a^2+b^2)}}$ pro eo caſu, in quo fh capitur in parte bf lineæ fundamentalis. Si igitur loco $bf = d$ ponitur $kf = q$, & loco be, Ee, ſubſtituitur $Kd = p$, $QD = c$, habebitur normalis ex oculo Q ad idem planum tangens demiſſa $= QR = \frac{apx - abr + bcr + aq\sqrt{(r^2-x^2)}}{r\sqrt{(a^2+b^2)}}$. Si vero deſideratur

hæc

hæc normalis pro eo caſu, in quo planum reflexionis $QRPen$ per axem Af tranſit, ponendum erit in formula noſtra $fb = d = o$, & $bfg = x = r$, ut lineæ gf & eb coincidant, quo facto habetur deſiderata normalis $= \frac{amr - abr + bnr}{r\sqrt{(a^2+b^2)}}$, vel (ſi $n = o$,) $= \frac{amr - abr}{r\sqrt{(a^2+b^2)}}$. Si igitur diſtantia puncti e a plano bgc non computetur a centro f, ſed a peripheria bgc, & ponatur hæc diſtantia $= t$, erit diſtantia ejus a centro $= t + b = m$, quo in formula noſtra ſubſtituto, invenietur $eS = \frac{at}{\sqrt{(a^2+b^2)}}$; normalis QR autem ex oculo ad idem planum tangens demiſſa pro hoc caſu habebitur $= \frac{ap - ab + bc}{\sqrt{(a^2+b^2)}}$.

Corollarium II.

Eſt igitur $t\pi = tg + g\pi = \frac{ab\sqrt{(r^2-x^2)} - bn\sqrt{(r^2-x^2)} + adr}{a\sqrt{(r^2-x^2)}}$ $+ \frac{amx - abr + bnr - ad\sqrt{(r^2-x^2)}}{ar} =$ $\frac{amx\sqrt{(r^2-x^2)} + adx^2}{ar\sqrt{(r^2-x^2)}}$. Inferatur ut $g\pi : t\pi = g\beta : te$ (n. 2), ſive $\frac{ab\sqrt{(r^2-x^2)} - bn\sqrt{(r^2-x^2)} + adr}{a\sqrt{(r^2-x^2)}}$: $\frac{amx\sqrt{(r^2-x^2)} + adx^2}{ar\sqrt{(r^2-x^2)}} = \frac{ab\sqrt{(r^2-x^2)} - bn\sqrt{(r^2-x^2)} + adr}{ax}$: te. Ergo $te = \frac{m\sqrt{(r^2-x^2)} + dx}{r} = l$.

Corollarium III.

Si igitur ſit $tg = f$. (n. 13) $te = l$ (Cor. II) erit ob angulum ad t rectum (n. 2 & §. VII) $ge = \sqrt{(f^2 + l^2)}$ hinc ſinus

nus $tge = \frac{rl}{\surd(ſ^2 + l^2)}$ & coſ. $tge = teg = \frac{rſ}{\surd(ſ^2 + l^2)}$. Quia igitur te & gq parallelæ (*n. 2*), erit $egq = get = \frac{rſ}{\surd(ſ^2 + l^2)}$.

Corollarium IV.

TAB. III Fig. 4. Si in *Fig. 4 Tab. III* per punctum radians e ducatur perpendicularis te ad diametrum gf continuatam in t, erit hæc quoque tangenti puncti g parallela, hinc $tg = ſ$ & $te = l$ (*n. 13* & *Cor. II*). Ergo $ge = \surd(ſ^2 + l^2)$. Jam vero ob $fb = d$, $eb = m$ (*n. 5*) eſt $fe = \surd(m^2 + d^2)$. Ergo, ſi $fL = e$, habetur $eL = \surd(m^2 + d^2) - e$. Porro, quia $ge : eL = RL : Ng$, id eſt, $\surd(ſ^2 + l^2) : \surd(m^2 - d^2) - e = 2e : \frac{2e\surd(m^2 + d^2) - 2e^2}{\surd(ſ^2 + l^2)}$, invenietur gF ex formula, §. *XVIII Cor. II* data, $= \frac{eg.\ Ng}{4eg + Ng} = \frac{2e\surd(m^2 + d^2)\ (ſ^2 + l^2) - 2e^2\ \surd(ſ^2 + l^2)}{4ſ^2 + 4l^2 + 2e\surd(m^2 + d^2) - 2e^2} = v.$

Corollarium V.

Si fiat $fb\ (= d) = o$, punctum b cadet in centrum f, &, ſi $bfg\ (= x)$ fiat rectus & conſequentur $= r$, rectæ gf & eb coincident, ideoque angulus Gef fiet $= o$, & F cadet in lineam ef, quæ lineæ fundamentali bc jam perpendiculariter inſiſtet. Jam vero, hiſce ſuppoſitis, fiet $l = o$ (*Cor. II*), ergo pro hoc caſu eſt $v = \frac{2emſ - 2e^2 ſ}{4ſ^2 + 2em - 2e^2}$. Et, cum ex eadem ratione tg & eg coincidant, ſequitur, ut etiam coincidat tf, eb, & ef, ideoque $tf = ef = m$ & $tg = m - e = ge = \surd(ſ^2 + l^2)$ (*Cor. III*) $= ſ$, (quia $l = o$). Subſtituto igitur hoc in locum $ſ$, habebitur $v = \frac{me - e^2}{2m - e}$, vel, ſi diſtantia puncti radiantis non computetur a centro, ſed a periphe[ria], ac


Digitized by Google


Digitized by Google

nus $tge = \frac{rl}{\sqrt{(ſ\ +l^2)}}$ & coſ.
igitur *te* & *gq* paralle
$\frac{rſ}{\sqrt{(ſ^2+l^2)}}$.

TAB. III Fig. 4. Si in *Fig. 4 Tab.*
pendicularis *te* ad
quoque tangent
(*n. 13* & *Cor. I*
$fb = d$, eb =
e, habetur
RL : *r*
— *e*

f





ac ponatur $eL = t$, erit $ef = m = t + e$, hinc $v = \frac{et}{2t + e}$,
..e regula cum *Dittoniana* plane convenit.

Corollarium VI.

.. univerſaliter $= \frac{ab - bn}{a}$ (§. XXII n. 5), ſubſtitui hoc
.., unde $v = \frac{abt - btn}{2at + ab - bn}$ (*Cor. V*), &
..s $a = \infty$ (§. I), erit $v = \frac{bt}{2t + b}$, pro
.. invenitur v, ſubſtituendo $- b$ in locum $+$
..o, habetur $v = \frac{- abt + btn}{2at - ab + bn}$, & pro cylindris
..avis $v = \frac{- bt}{2t - b}$.

Problema II.

XXIII. Invenire altitudinem puncti reflectentis in ſpeculis conicis, ſi & oculus & punctum radians cum axe coni ſunt in eodem plano. TAB. III Fig. 1.

Solutio.

1) Sit $Af = a$, $bf = fc = fG = b$, $dR = c$, $fd = p$, $Pl = y$, $ef = m$. Si igitur Pl parallela Af, habebitur $Af : fG = Pl : lG$, ſive $a : b = y : \frac{by}{a}$.


2) Hinc $fl = fG - lG = b - \frac{by}{a} = \frac{ab - by}{a}$, & $dl = fl - fd = \frac{ab - by - ap}{a} = NP$ & $NR = Rd - Nd = Rd - Pl = c - y$.

3) Inferatur, $RN : PN = Pl : lm$, ſive $c - y : \frac{ab - by - ap}{a} = y : \frac{aby - by^2 - apy}{ac - ay}$.

Mm 4) Ob

Digitized by Google

Grad. A. 1750. Menſ. Maj. pag. 272 ſeq.



ac ponatur $eL = t$, erit $ef = m = t + e$, hinc $v = \frac{et}{2t + e}$,
quæ regula cum *Dittoniana* plane convenit.

Corollarium VI.

Quia gf univerſaliter $= \frac{ab - bn}{a}$ (§. XXII n. 5), ſubſtitui hoc poterit in locum e, unde $v = \frac{abt - btn}{2at + ab - bn}$ (*Cor. V*). & pro cylindris, in quibus $a = \infty$ (§. I), erit $v = \frac{bt}{2t + b}$. pro conis cavis autem invenitur v, ſubſtituendo $- b$ in locum $+ b$, quo facto, habetur $v = \frac{- abt + btn}{2at - ab + bn}$, & pro cylindris cavis $v = \frac{- bt}{2t - b}$.

Problema II.

XXIII. Invenire altitudinem puncti reflectentis in ſpeculis conicis, ſi & oculus & punctum radians cum axe coni ſunt in eodem plano. TAB. III Fig. 1.

Solutio.

1) Sit $Af = a$, $bf = fc = fG = b$, $dR = c$, $fd = p$, $Pl = y$, $ef = m$. Si igitur Pl parallela Af, habebitur $Af : fG = Pl : lG$, ſive $a : b = y : \frac{by}{a}$.

2) Hinc $fl = fG - lG = b - \frac{by}{a} = \frac{ab - by}{a}$, & $dl = fl - fd = \frac{ab - by - ap}{a} = NP$ & $NR = Rd - Nd = Rd - Pl = c - y$.

3) Inferatur, $RN : PN = Pl : ln$, ſive $c - y : \frac{ab - by - ap}{a} = y : \frac{aby - by^2 - apy}{ac - ay}$.

Mm 4) Ob

4) Ob parallelas Af, Pl, erit porro $Af : AG = Pl : PG$, hinc, ſi $AG = \sqrt{(a^2 + b^2)} = \tau$, erit $a : \tau = y : \frac{\tau y}{a}$, &, ſi ex e demittatur perpendicularis eS ad rectam AG continuatam, erit quoque $AG : fG = eG : GS$, ſive $\tau : b = t : \frac{bt}{\tau}$, ideoque $PS = PG + GS = \frac{\tau^2 y + abt}{a\tau}$.

5) Porro eſt $fG : Af = dG : dK$, id eſt, $b : a = b - p : \frac{ab - ap}{b}$, hinc $KR = Rd - dK = \frac{bc - ab + ap}{b} = \beta$. Et, quia $MKR = dKG = fAG$, erit, ſi MR perpendiculariter inſiſtat puncto M, $AG : Af = KR : KM$, vel $\tau : a = \beta : \frac{a\beta}{\tau}$.

6) Jam vero ob parallelas KN, Af, & NP, dl, eſt quoque $fG : AG = NP$: hinc $b : \tau = \frac{ab - by - ap}{a} : \frac{ab\tau - b\tau y - ap\tau}{ab}$ (*n.* 2), ideoque $MP = MK + KP = \frac{a^2 b\beta + ab\tau^2 - b\tau^2 y - ap\tau^2}{ab\tau}$.

7) Inferatur $AG : fG = KR : MR$, id eſt, $\tau : b = \beta : \frac{b\beta}{\tau}$ (*n.* 5 & §. *XXII Cor. I*), hinc, cum angulus incidentiæ SPe angulo reflexionis MPR ſit æqualis, prætereaque anguli ad M & S recti, inferri poterit, $PS : eS = PM : RM$, ſive $\frac{\tau^2 y + abt}{a\tau} : \frac{at}{\tau} = \frac{a^2 b\beta + ab\tau^2 - \tau^2 by - ap\tau^2}{ab\tau} : \frac{b\beta}{\tau}$ (*n.* 4, 6, & §. *XXII Cor. I*), ex qua analogia habetur $y =$ $a^3bt\beta$-

Digitized by Google

$$\frac{a^3bt\beta + a^2bt\tau^2 - ab^3t\beta - a^2pt\tau^2}{b^2\beta\tau^2 + abt\tau^2}. \quad Q.\ E.\ I.$$

Corollarium.

Si loco β ejus valor ex *n.* 5, & pro τ^2 ſubſtituatur $a^2 + b^2$ ex *n.* 4, erit $y = \frac{a^3tc - ab^2tc + 2a^2b^2t - 2a^2bpt}{cb\tau^2 - ab\tau^2 + ap\tau^2 + ap\tau^2 + at\tau^2}$. Si igitur linea dR cadit in axem coni Af, fiet $fd = p = o$, hinc $y = \frac{a^3tc - ab^2t + 2a^2b^2t}{cb\tau^2 - ab\tau^2 + at\tau^2}$.

Problema III.

XXIV. Suppoſitis iisdem ac in §. præc. invenire altitudinem imaginis QL.

Solutio.

1) Si punctum radians e emittat radios in circulum bGc, hi radii poſt reflexionem ſibi in puncto quodam, ut F, occurrent (§. XVII). Aſſumatur igitur $FG = v = \frac{bt}{2b + t}$ (§. XXII Cor. V), & $QL = z$, unde $fF = b - v$.

2) Inferatur $Af : fF = QL : LF$, ſive $a : b - v = z : \frac{bz - zv}{a}$, hinc $IL = IG - FG - LF = \frac{by}{a} - v - \frac{bz - zv}{a} = \frac{by - av - bz + zv}{a} = TQ$.

3) Continuetur reflexus PR in m, hinc ob parallelas Rd, Pl, & NP, TQ, erit $RN : NP = PT : TQ$, vel $c - y : \frac{ab - by - ap}{a} = y - z : \frac{by - av - bz + zv}{a}$, hinc invenitur $z = (aby - apy - bcy + acv - avy) : (cv - bc + by - vy + ab - by - ap)$ quam dico eſſe deſideratam altitudinem imaginis. $Q.\ E.\ I.$

Demonſtratio.

Aſſumſimus in *n.* 2 $FG = \frac{bt}{2b + t}$. Ergo in F eſt focus radio-

radiorum, ex e in circulum bGc incidentium (*§. XXII Cor. V*), ideoque AF eſt linea repræſentans, in qua videtur imago puncti e (*§. XIX*). Jam vero eadem imago videtur quoque in radio reflexo $RPQm$ (*§. XVIII*). Ergo videtur in illo puncto, in quo linea repræſentans AF radio reflexo RM occurrit, (*§. XIX Cor.*) id eſt, in Q. Quia igitur QL perpendiculariter ex Q ad baſin demiſſa eſt (per operat.), erit etiam QL altitudo imaginis. *Q. E. D.*

Corollarium I.

Si loco v & y ſubſtituantur valores ſupra inventi, ac ponatur $a = \infty$, erit pro cylindris $z = zt^2c : (bp - b^2 + 2pt + zt^2 - bt)$. Jam ponamus, omnibus manentibus iisdem, altitudinem oculi mutari ac fieri $= e$, quo facto, erit altitudo imaginis $= zet^2 : (bp - b^2 + 2pt + zt^2 - bt)$. Ergo altitudines imaginum ſunt ut altitudines oculi.

Corollarium II.

Quia in ſpeculo cylindrico, ſi oculus eſt extra ſpeculum, debet eſſe $fd > fg$, id eſt, $p > b$, erit $pb > b^2$ & $2p > b$, unde $2pt > bt$, &, quia etiam $zt^2 > o$, invenietur addendo $pb + 2pt + zt^2 > b^2 + bt$, hinc $pb + 2pt + zt^2 - b^2 - bt > o$, id eſt, denominator fractionis, quæ valorem z in cylindris exhibet, eſt quantitas poſitiva, ideoque etiam valor z poſitivus, hinc imago in ſpeculis cylindricis ſemper eſt ſuper baſin elevata. (*§. XVIII Schol.*)

Scholion.

Aſſumſimus, punctum radians eſſe in baſi coni, quia alias calculus nimis prolixus fuiſſet. Cuilibet autem patet, etiam in illo caſu, in quo punctum radians elevatum eſt, altitudinem imaginis eodem modo determinari poſſe, ſi per punctum radians concipiatur ductum planum, baſi parallelum, quod habeatur pro baſi coni. (*§. XII Schol. II.*)

Problema IV.

TAB. III Fig. 3. XXV. Deſcribere curvam, quæ repræſentet imaginem lineæ, diametro baſeos in directum jacentis, ſi planum reflexionis per axem coni tranſit.

Solu-

Solutio.

1) Sit conus Agf, & geE linea radians, oculus in R, linea reflectens Ag.

2) Ex oculo R ducantur quotcunque radii RP, eorumque reflexi Pe, usque ad lineam radiantem geE.

3) Ergo, ſi vice verſa ex punctis e, E, incidant radii Pe, hi iterum reflectentur in R.

4) Aſſumantur puncta e, E, pro radiantibus, & ge, gE, pro illorum diſtantiis a puncto g, ac quærantur inde reſpondentes foci F, F, per formulam, §. *XXII Cor. V* datam, perque illa puncta & verticem A ducantur lineæ repræſentantes AF. (§. *XIX Cor.*)

5) Continuentur radii reflexi RP usque ad reſpondentes lineas repræſentantes, & per puncta Q, Q, in quibus ſeſe decuſſant, ducatur curva, quæ repræſentabit deſideratam imaginem (§. *XXIV*). *Q. E. I.*

Corollarium I.

Ex formula pro foco F data (§. *XXII Cor. V*) patet, ſi e infinite remotum ſit, eſſe $Fg = ML = \frac{fg}{2}$. Ergo imago lineæ, ex g in infinitum productæ, continetur triangulo MAg. Non poteſt igitur non imago eo magis ad rectam accedere, quo propius curva QQ accedit ad verticem A. Curvatura vero fit adhuc minus ſenſibilis, quo propior oculus R eſt axi ſpeculi. Manentibus enim lineis repræſentantibus AF, puncta reflectentia P, & conſequenter puncta Q, Q, eo magis a ſe invicem recedunt, & hinc imago in longitudinem extenditur. Eadem vero imago in ſe ipſam quaſi contrahitur, dum oculus ab axe removetur, & ſimul ad baſin propius accedit.

Corollarium II.

Ex dictis ſimul patet, etiam in ſpeculis cylindricis imaginem lineæ, diametro baſeos in directum jacentis, apparere curvam, & in hoc caſu lineas repræſentantes, quia per verticem A ducuntur, eſſe axi cylindri parallelas, &, quo magis punctum e removeatur a ſpeculo, eo magis curvam Q, Q,

 acce-

accedere debere ad rectam, axi ſpeculi parallelam. Hancce autem imaginem axi parallelam non eſſe, etiam ita demonſtrari poteſt. Certum eſt, punctum *g*, quod tangit ſuperficiem cylindri, etiam in eadem ſuperficie, & quidem in puncto *g*, apparere; puncta *e*, *E*, autem, quæ ab iſta ſuperficie remota ſunt, apparere intra ſpeculum, ideoque eorum imagines *Q*, *Q*, a ſuperficie *Ag* eſſe remotas. Ergo imagines *Q*, *Q*, punctorum *e*, *E*, aut ſucceſſive recedunt ab iſta ſuperficie, aut non. Si poſterius, deberet imago, quæ partem lineæ radiantis, ut *eg*, repræſentat, cum imagine reliquæ partis includere angulum quendam. Quod cum quoque contradicat experientiæ, ſequitur, ut imago ſucceſſive removeatur, ideoque axi non ſit parallela. Id quod etiam teſtatur experientia. Namque imago *QG*, partis *ge*, quæ ſpeculo admodum vicina eſt, apparet ſenſibiliter incurvata. In punctis altioribus autem curvatura paulatim evaneſcit, ob rationem, *Cor. I* indicatam.

Corollarium III.

Si oculus *R* in axe ſpeculi conſtitutus ſit, & planum triangulare *Afg*, cum linea radiante *ge*, circa communem axem rotari concipiatur; orietur ex rotatione trianguli *Afg* conus, & ex circumvolutione lineæ *ge* circulus, imago *Q Q* autem deſcribet ſuperficiem cujusdam conoidis, ſecundum curvam *Q Q* excavati. Omnis ergo imago, in plano, a *ge* deſcripto, delineata, depingetur in ſuperficie hujus corporis, ſi ſcilicet oculus in axe *Af* conſtitutus ſupponitur. Unde eſt, cur circumjecta cono planities omnem ejus ſuperficiem implere videatur. Vid. Illuſtr. *de Wolff* in *Elem. Catoptr. §. CCCI.* Quia tamen ex legibus Perſpectivæ patet, ſi linea curva, præſertim talis, quæ radios admodum debiles emittit, oculo valde oblique objiciatur, eam apparere rectam; mirum non erit, imaginem etiam videri poſſe rectam in baſi coni jacentem, maxime ſi non ſatis accurate attendatur. Neque

TAB. III Fig. 2. iſtud ſpeculis conicis proprium eſt, ſed videre quoque idem phænomenon licet in pyramidalibus. Sit enim *ABC* ſpeculum pyramidale quodcunque, & *DB*, *CE*, figuræ radiantes.

tes. Ergo per naturam ſpeculorum planorum, ex quibus pyramidale componitur, imagines *BF*, *FC*, linearum *DB*, *CE*, deberent videri inclinatæ, & ſub baſin *BC* depreſſæ, ita ut ſit $DBG = GBF$, & $FCH = HCE$. Nihilo tamen minus imagines ita inclinatæ non videntur, ſed jacent in baſi pyramidos, quod itidem ex legibus Perſpectivæ explicandum. Si vero oculus ita collocetur, ut curva repræſentans imaginem ei magis directe objiciatur, imago lineæ *ge* utique curva apparebit. Huic fundamento innititur vulgaris methodus deformandi imagines, quæ in ſpeculo conico, ſub noſtra hypotheſi, formoſæ appareant, quam tamen, quia paſſim apud Catoptricos invenitur, hic omittimus.

Theorema XII.

XXVI. Si linea radians *PN* non ſit in baſi coni, vel plano, eidem parallelo; ſed verſus eandem inclinata; imago ejus in ſpeculo conico, vel cylindrico, poteſt apparere inverſa. TAB. III Fig. 5.

Demonſtratio.

Punctum *N*, quod eſt in baſi coni *fg*, ad *N* continuata, apparet ſuper eandem elevatum v. g. in *Q* (*§. XXIV*). Sed punctum *P*, quod ſuperficiem *Ag* tangit, apparet in *P*. Si enim in formula, *§. XXIV* pro altitudine imaginis inventa, ſubſtituuntur valores v & y, ac ponitur $t = o$, erit etiam altitudo imaginis $z = o$; ergo imago apparet in baſi ſpeculi. Jam vero in hoc caſu etiam v eſt nihilo æqualis (*§. XXII Cor. V*), ideoque linea repræſentans cadit in ipſam coni ſuperficiem, & conſequenter imago in eandem cadit. Ergo punctum radians apparet in eodem puncto *P*, in quo conſtitutum eſt. Si igitur ſit *P* altius elevatum, quam *Q*, apparebit etiam imago non erecta verſus verticem *A*, uti in *§. XXV*, ſed ab eodem averſa. *Q. E. D.*

Scholion.

Huic theoremati etiam adſtipulatur experientia, ſi nimirum ſtilus albicans *PN* ſpeculo eodem modo, quem in propoſitione deſcripſimus, objicitur. Immo, experientia teſte, etiam imago poteſt apparere incurvata, ut *AMP*, ut ſcilicet pars media *M* ſit

M ſit minus elevata, quam partes extremæ *A* & *P*. Cujus tamen ſimiliumque phænomenorum demonſtrationes, quamvis ex principiis noſtris facillime deduci poſſint, tamen limites noſtros jam excedere videntur, ideoque ampliori tractationi reſervantur.

Problema V.

XXVII. Delineare imaginem lineæ *PN*, quæ ſpeculo conico *AfG* ita objicitur, ut ſit ad baſin *GN* inclinata.

Solutio.

1) Fiat $SPG = GPN$ & $PS = PN$.

2) Ducantur ad rectam *PS*, quotquot rectæ *Rr*, *RS*, per oculum *R*, & fiat $pr = pn$, quo facto, erunt puncta *n*, *N*, radiantia, ex quibus radii *Np*, *np*, emanantes reflectuntur ex *P* & *p* ad oculum in *R*. Nam, quia $rPG = SPG = GPN$ (*n. 1*) & $pr = pn$ (per conſtr.) erit in triangulis *rpP* & *Ppn* etiam $ApR = Ppn$, ideoque *pn* eſt incidens, *pR* reflexus, & *n* punctum radians.

3) Per *n* ducatur parallela *Tn*, cum baſi *Gf*, quæ conſiderari poteſt ut baſis ſpeculi conici *ATq*, & in qua punctum radians *n* eſt conſtitutum. Hinc imago determinatur ut in §. *XXV*, aſſumendo ſcilicet *qn* pro diſtantia puncti radiantis, & *Tq* pro ſemidiametro baſeos, ac capiendo $gq = \frac{qn.\ Tq}{2qn + Tq}$ (§. *XXII Cor. V*).

4) Quo facto, ſi ducatur linea repræſentans *AG*, & radius reflexus continuetur, ut repræſentanti occurrat in *m*, deinde puncta *P*, *m*, *Q* connectantur, habebitur curva deſiderata. Q. E. I.

Scholion.

Reſolutio hæc generalis eſt, & quadrat etiam ad objecta quomodocunque verſus baſin inclinata, ac ſuperficiem *AG* non attingentia, immo etiam ad curvilinea, modo illud obſervetur, ut prius quæratur ſitus imaginis, a ſpeculo plano *AG* formatæ, uti in *n. 1* & *2* factum, idque eum in finem, ut inveniri queant puncta reflectentia *p*, *P*, alias hæc puncta per

for-

formulam, §. *XXIII* inventam, determinari deberent, quod ſatis moleſtum eſſet.

Theorema XIII.

XXVIII. In ſpeculo cylindrico cavo *AGWK* ſi linea a centro *f*, & puncto ſuboculari *d*, cujus diſtantia a ſuperficie ſpeculi ſemidiametro baſeos debet eſſe major, intercepta emittat radios, imago ejus *FH* apparet in aere libero, & verſus lineam reflectentem *AG* inclinata. TAB. III Fig. 4.

Demonſtratio.

Radii, ex centro *f* in peripheriam baſeos incidentes, colliguntur iterum in eodem centro *f*, uti ex regula, §. *XXII Cor. VI* pro cylindris concavis data, apparet. Ergo ipſe axis cylindri *Cf* eſt linea repræſentans (§. *XIX*). Si igitur *pf* incidens & *pR* reflexus, erit *H* imago puncti *f*, quæ conſequenter apparet in aere libero. Jam ponatur punctum *d* emittere radios in peripheriam *WGK*. Hi ergo colligentur intra focum parallelorum *X*, & centrum *f*, v. g. in *I* (§. *XXII Cor. V*). Ergo linea repræſentans eſt *If*, cum linea reflectente *AG* parallela. Hinc, ſi *dP* eſt incidens & *PR* reflexus, erit imago puncti *d* in *F*, ideoque etiam in aere libero. Et, cum focus radiorum, ex puncto intermedio, v. g. *M*, egredientium, cadat quoque inter *I* & *f*, erit etiam horum linea repræſentans inter *BI* & *Cf*, ergo tota imago apparet in aere libero. *Q. E. P.*

Quia *BI* ſpeculo eſt propior, quam *Cf* (per *Dem. I*), erit etiam *F* ſpeculo vicinius, quam *H*, ergo imago *FH* verſus lineam reflectentem *AG* inclinare apparet. *Q. E. A.*

Scholion I.

Inde quilibet facile perſpiciet methodum delineandi hanc imaginem, ideoque eam omittere licebit. Ceterum etiam eodem modo oſtendi poteſt, ſi linea radians ſit inter punctum *G* & focum parallelorum *X*, imaginem apparere poſt ſpeculum. Ut vero in noſtro caſu imago etiam videri poſſit, requiritur, ut ſit altius elevata, quam parietes ſpeculi, quia alias tam diſtincte videri nequit. Altitudinem parie-

 tum

Digitized by Google

tum autem determinare poſſumus ex formulis, ſupra inventis. Invenimus enim pro conis convexis altitudinem puncti reflectentis $= y = \frac{a^3t^3 - ab^2t + 2a^2b^2t}{(cb - ab + ap + at)(a^2 + b^2)}$. (§. XXIII Cor.) Ergo pro cylindris convexis, in quibus $a = \infty$, eſt $y = \frac{tc}{p - b + t}$, & pro cylindris cavis, ubi loco $+ b$ ponendum $- b$, erit $y = \frac{tc}{p + b + t}$. Jam vero altitudo imaginis in cylindris concavis invenitur eodem modo ex formula §. XXIV Cor. I, $= z = \frac{2ct^2}{- bp - b^2 + 2pt + 2t^2 + bt}$. Ergo, quia $bt + bp + b^2 > o$ erit $bt > - bp - b^2$, hinc, ſi addatur utrinque $2pt + bt + 2t^2$, erit $2bt + 2pt + 2t^2 > 2pt + 2t^2 + bt - bp - b^2$, ergo $\frac{2t}{2pt + 2t^2 + bt - bp - b^2} > \frac{t}{b + p + t}$, unde, multiplicando per tc, invenitur $\frac{2t^2C}{2pt + 2t^2 + bt - bp - b^2} > \frac{tc}{b + p + t}$, id eſt, $z > y$. Si igitur altitudo ſpeculi ſit $> y$ & $< z$, imago videbitur extra ſpeculum in aere libero.

Scholion II.

Quia punctum d apparet altius, quam f (per *Dem. I*), objectum fd in baſi cylindri ita diſponi debet, ut reſpectu oculi R jaceat inverſa, quia alias imago inverſa apparet.

Theorema XIV.

XXIX. Si linea radians fN non jacet in baſi Gd, ſed verſus eandem eſt inclinata, imago ejus rH verſus rectam cf magis eſt inclinata, quam imago lineæ fd.

Demon-

Demonſtratio.

Punctum *f* apparere in *H*, patet ex *Demonſtr. I §. præc.* Jam ex *N* demiſſa concipiatur perpendicularis *NM*. Ergo, ſi *M* ſit punctum radians, ejus linea repræſentans *nO* cadet inter *BI* & axem *cf*. Ducatur *LN* parallela *SM*, ergo $LN = GM$. Et, quia etiam ſemidiameter $Lm = Gf$, erit quoque diſtantia foci *Lq*, radiorum, ex *N* in peripheriam circuli, baſi paralleli, incidentium, æqualis *GO*, ſive diſtantiæ foci radiorum, ex *M* egredientium, ideoque linea repræſentans puncti *N* eſt *nO*, quæ coincidit cum linea repræſentante puncti *M*, ideoque cadit inter *BI* & *cf*, conſequenter axi *cf* eſt propior, quam *BI*. Ideoque, cum punctum *N* videatur in recta *nO* v. g. in *r* (§. *XIX*), quod axi *cf* eſt vicinius, quam *F*, ſequitur, ut imago *rH* ſit magis verſus axem *cf* inclinata, quam *FH*. *Q. E. D.*

Corollarium I.

Ex hac demonſtratione ſimul patet, imaginem eo magis ad rectam *cf* accedere, quo magis linea radians *fN* elevatur, immo idem theorema locum quoque habere, licet objectum non tranſeat per centrum ſpeculi *f*.

Corollarium II.

Hinc, ſi linea radians perpendiculariter inſiſtat baſi *Gfd*, v. g. ut *NM*, etiam imago ejus erit axi parallela, & ad eandem baſin perpendicularis, & quidem vel in ipſo axe *cf*, ſi objectum in eo conſtitutum, vel in alia linea, v. g. *nO*, ſi objectum extra axem collocatum fuerit.

Scholion.

Hinc patet ratio, cur objecta *NM* ſoleant ita in baſi diſponi, ut verſus eam ſint inclinata; hoc modo enim imago *rH* oculo *R* directe objicitur, & hinc diſtinctius videri poteſt, quam *FH*, ſive imago lineæ *fd*, quæ jacet in baſi ſpeculi.

Problema VI.

XXX. Invenire magnitudinem imaginis *ab* in ſpeculo cylindrico, ſi objectum *NM* perpendiculariter inſiſtat baſi, & cum axe & oculo ſit in eodem plano.

Digitized by Google

Solutio.

1) Sint EM, NQ, incidentes ex punctis extremis N, M, & ER, QR, eorum reflexi. Sit porro I focus radiorum, ex M in peripheriam WGK incidentium. Ergo IB eſt linea repræſentans (§. XIX), & ab, quæ a radiis reflexis QR & ER reſecatur, ipſa imago (§. XXIX Cor. II).

2) Producantur QR & ER in C & D, & ex puncto D, in quo ER occurrit baſi DG, erigatur perpendicularis CD, quæ radio CQR occurrat in C, & erit $CD = NM$ ac $DG = GM$, uti ex theoria ſpeculorum planorum liquet.

3) Sit $Gf = b$, $GI = v$, $GM = t$, $Gd = p$, $dR = c$, $MN = n$.

4) Ergo $DI = DG + GI = GM + GI$ (n. 2) $= t + v$; & $Dd = t + p = \beta$, unde $DR = \sqrt{(c^2 + \beta^2)}$.

5) Ob parallelas Ib, dR, erit $Dd : DR = Id : bR$, id eſt, $t + p : \sqrt{(c^2+\beta^2)} = p - v : \frac{(p-v)\sqrt{(c^2+\beta^2)}}{t+p}$. Jam vero etiam CD & BI ſunt parallelæ, ergo quoque $DR : DC$ (vel NM) $= bR : ab$, ſive $\sqrt{(c^2 + \beta^2)} : n = \frac{(p-v)\sqrt{(c^2+\beta^2)}}{t+p} : ab$, hinc $ab = \frac{pn - nv}{t + p}$. Q. E. I.

Corollarium.

Quia pro ſpeculis cylindricis concavis eſt $v = \frac{-bt}{2t - b}$ (§. XXII Cor. VI) erit, $ab = \frac{btn + 2btn - bpn}{2t^2 + 2tp - bp} = w$, hinc pro convexis invenitur magnitudo imaginis ponendo $+ b$ loco $- b$, unde $w = \frac{bpn + 2tpn - btn}{2t^2 + 2tp + bp}$.

Cete-

Ceterum, cum formula hæc per altitudinem oculi non determinetur, ſequitur, ut magnitudo imaginis ſemper eadem maneat, ſive oculus elevetur, ſive deprimatur, modo ſubocularis *GD* ſemper maneat eadem.

Scholion.

Hactenus conſideravimus locum & ſitum imaginis in ſpeculis conicis & cylindricis, ſi objectum cum axe ſpeculi & oculo eſt in eodem plano. Jam vero etiam de ceteris caſibus dicendum, in quibus planum reflexionis conum, vel cylindrum, oblique ſecat. Et hæc quidem res paulo altioris erit indaginis, quam quæ hactenus ſunt propoſita. Immo ne in omnibus quidem caſibus, ob rationem, *§. XX Cor. II* indicatam, imago objecti radiantis delineari poterit. Noſtrum igitur erit, in *Parte* ſequenti tradere fundamenta hujus theoriæ, cui deinde pauca de deformatione imaginum ſubjungemus, partim quia conſtructio earum plerumque eſt minus geometrica, & hinc ab inſtituto noſtro fere aliena, partim etiam quia ejusmodi deformationes paſſim apud Catoptricos occurrunt, & plena manu traduntur a Celeberrimo *R. Smithio* in opere eximio, quod inſcribitur : *A compleat Syſtem of Optiks, Book 2, Chapter 12, §. 642 ſeq.*

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD incrementum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata. Edendi conſilium ſuſcepit, ſua nonnulla paſſim addidit, Præfationem præmiſit, FRID. OTTO MENCKENIUS, Philoſ. & J. U. Doctor, Regis Pol. & El. Sax. Conſiliarius Aulæ, Urbis patriæ Senator, Soc. Scient. Reg. Boruſſ. Socius.

Voluminis VII Pars I.

Lipſiæ, apud Lanckiſii hæredes, 1749, 8.

Plag. 12.

More ſolito præmittit denuo Præfationem *Fridericus Otto Menckenius*, & monitis eorum, quibus non-

 nihil

Digitized by Google

nihil in hoc opere, ejusque progreſſu, notare libuit, reſpondet ita, ut nil relinquat intactum & vindiciis indigum. Primo loco apparet *Jo. Chriſtophori Harenbergii Judæus Heavtontimorumenus, ſeu judicii capitalis, quod inter Judæos in Chriſtum fuit exercitum, injuſtitia, e Judæorum doctrina liquido demonſtrata.* Innocentiam Jeſu, ex omni parte elucentem, præcipue comprobat Autor ex ejus dignitate Meſſiana. Perperam ei crimen blaſphemiæ objectum fuiſſe, docet. Diluit crimen rebellionis, ſeu affectati regni, Jeſu intentatum. Cognitores cauſæ præcipuos fuiſſe affinitate inter ſe conjunctos, oſtendit, monens, eos cognoſcendi res capitales ſatis fuiſſe imperitos. Judicii formam ac legem vacaſſe lege, demonſtrat. Teſtes, tradit, inter ſeſe diſcrepaſſe, &, ſubornatos fuiſſe, docet, ſignificatque poſtea, teſtes nec ad horrorem fuiſſe adactos, nec debite examinatos. Addit, defuiſſe judicio illi capitali propriam accuſati confeſſionem, defuiſſe accuſato, nec ex legis præſcripto adjunctum fuiſſe, præconem, ejusque ad vindicias pro accuſato proferendas evocationem, qua accuſati cauſam jubebatur alioqui perorare patronus adſcitus. Cautionem, de homicidio evitando ſolenniter ſervandam, neglectam fuiſſe, idem indicat. Innocentiæ Chriſti cauſam agit, ex hujus natali, miniſterio, morte, & ſepultura, depromtam. Notat Socinianos, qui, Jeſum innocentem fuiſſe diris devotum, ac graviſſima paſſum eſſe, docent, negantes nihilo minus, ipſum vicarias & a nobis promeritas luiſſe pœnas. Tradit ad poſtremum, Judæos ætatis noſtræ in Chriſtum atrociter peccare, ſiquidem ipſi peccata, a progenitoribus in Jeſum admiſſa, approbant & rata habent, ſperans, fore, ut tandem inſignis Judæorum multitudo ad Jeſu doctrinam ſe convertat. Excipit eam Diſſertationem *Diſſertatio Petri Zornii poſthuma de Sacris antelucanis Judæorum & Mohammedanorum.* Judæi in Synagogam ſe conferunt ſummo mane paſſim, rati, portam cœli tunc maxime patefieri, aditumque ad Dei aures tunc eſſe occupandum. Mohammedani religioſiores exortum auroræ ſecundæ cum precibus con-

Digitized by Google

conjungunt, imitati fere Chriſtianos primos, qui, *Plinio* ac *Tertulliano* teſtibus, cœtus celebrarunt antelucanos. Copioſior eſt *Pauli Erneſti Jablonski de nominis Abraxas, vel Abraſax, in plerisque Baſilidianorum & Gnoſticorum Gemmis obvii, vera & genuina ſignificatione Exercitatio.* Pag. 63.
Nondum id nomen recte & plene explicatum fuit. Unde accidit, ut *Iſaacus de Beauſobre* illud ex Ægyptiorum lingua iverit arceſſitum. Gnoſtici id fuerunt fabricati, tradentibus ita Patribus Græcis & Latinis. Excogitavit illud primus *Baſilides.* In Gemmis illud cum nomine Meſſiæ conjungitur. Ex quo aliisque indiciis pateſcit, id Gnoſticis Chriſtianis fuiſſe cordi, deſignaturis *ſolem*, qui diebus 365 annum videtur emetiri. Is enim numerus e Græcis literis Αβραξας cooritur. Deſignatus fuit nomine eo *ſol juſtitiæ.* Subſtituuntur illi voci in Gemmis literæ τξέ, tantundem numerum indicantes. Inventores in eo occupati fuerunt, ut *annum Domini jucundum*, tempus miniſterii publici, a Chriſto peracti, deſignarent. *I. P. S.* (qui eſt 109.
Jo. Petrus Süſſemilch) *Specimen Gloſſarii harmonici Græco-Phœnicii* exhibuit. *Sectio prima*, quæ hoc loco in lucem prodit, ſuppeditat lectori voces, quarum convenientia formalis & materialis cum orientalibus eſt certa & manifeſta. Succedit ſpecimini, quod ſatis accurate ſolideque elaboratum, & e lingua Arabica locupletatum eſt, *Frid. Ottonis Menckenii Librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, Decas quarta, ejusque Pars poſterior.* Sce- 137.
nam hic aperit *Petri Pauli Vergerii, Juſtinopolitani, de ingenuis moribus ac liberalibus ſtudiis libellus*, cui accedit ejusdem argumenti liber S. *Baſilii*, per *Leonardum Aretinum* ex Græco in Latinum converſus, Mediolani, 1490, 4. Editor ignoratur. Editio utriusque libelli jam in lucem 139.
prodierat Mediolani A. 1474 & 1477. Oratio illa *Baſiliana* jam ſine anni & loci mentione fuerat edita, reddita Latine ab *Aretino.* Cel. *Saxius* noſtram tacuit editionem. Obiit *Vergerius*,

Digitized by Google

Pag. 144. *gerius*, Juriſconſultorum eloquentiſſimus, in Pannonia inter contubernium *Sigiſmundi* Imperatoris. Edidit *L. A. Muratorius Vergerii Vitas Principum Carrarienſium Tom. XXI Script. rer. Italiæ*, ac de *Vergerio* in Præfatione expoſuit. *Baſilii* liber alias inſcribi ſolet *de legendis antiquorum libris*. *Niceronio* hoc fuit ignotum. Quantum interſit inter editionem Orationis *Baſilianæ* Mediolanenſis A. 1490, & eam in-
147. ter, quam *Jo. Henr. Majus* A. 1714 Francofordiæ adornavit, vel potius ex vitioſa editione repetiit, exemplis, hoc loco ad oculum exhibitis, fidem fecit *Menckenius*. Idem deinde cu-
159. ram ſuam transfert ad *Juliani Ducienſis de Imola Orationem pro principio incliti Bononienſis ſtudii, habitam anno 1492, regnante ill. Jo. Ben. ſecundo, Bononiæ* editam A. 1492, 4, rariorem ſane, at ineptiſſimam, bonoque ſenſu vacuam.
163. Tertio loco diſſerit de *Bapt. Guarini funebri Oratione in excellentiſſimam Reginam Eleonoram Aragoniam, incliti Ducis Herculis Eſtenſis conjugem, habitam 4 Id. Oct.* A. 1493, 4. Attingit eam *Scipio Maffæus Veron. illuſtr. P. II Lib. III pag. 82*, ſed nil notatu dignum adjicit. *Ciceroniani* ſermonis gravitas, & argumenta laudum, a rebus geſtis plane petita, eam commendant. Videtur Ferrariæ formis publi-
168. cis deſcripta. Succedit *Ludovici Imolenſis, ex Ordine Minorum Theologiæ Profeſſoris, Oratio ad populum Ferrarienſem tempore, quo generale Fratrum Minorum Concilium in civitate Bononienſi eſt celebratum*, 1494, 4 (Bononiæ).
171. Tandem memoratur *Gregorii Amaſei, Utinenſis, Oratio de Laudibus ſtudiorum humanitatis ac eloquentiæ, impreſſa Venetiis per Bernardinum Venetum de Vitalibus A. 1501, die 15 Jan. 4.* Rationem ſtudiorum ſuorum in ea Autor
177. prodidit. Obiit ipſe A. 1541 Utini, exagitare barbaros & inhumanos humaniorum literarum hoſtes ſolitus. Libros hos recenſens *Menckenius*, prætermiſſis vulgaribus, ſingularia multa, & paucis fortaſſe cognita, adducit. Mantiſſæ loco apparent duæ *Bobuslai Balbini* ad *Ottonem Menckenium* Epiſtolæ, legi omnino dignæ.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCL.

Pars I.

A DESCRIPTION OF THE EAST, AND SOme other Countries. Volume the firſt, Obſervations on Egypt. By RICHARD POCOCKE, &c.

id eſt,

RICHARDI POCOCKII, LEGUM DOCToris, & Societatis Scientiarum Regiæ Sodalis, Deſcriptio Orientis, & aliarum quarundam regionum. Volumen primum, continens Obſervationes de Ægypto.

Londini, ſumtibus Autoris, apud Wilh. Bowyer, 1743. fol. maj.

Alph. 3 plag. 9½, & Tabulæ æri inciſæ 76.

Opus hoc, eruditis omnibus carum, & multa laude cumulatum, jam pridem rerum hujusmodi ſtudioſis innotuit. Quare, ſimul atque ad manus noſtras pervenit, recenſionem ejus diutius differre non potuimus. Autori Operis hujus digniſſimo, qui Ægyptum totam, partem Arabiæ Petrææ, Palæſtinam, Phœniciam, Syriam, Aſiam minorem, Thraciam, Græciam, illiusque Inſulas præcipuas, Siciliam, Italiam, Iſtriam, Hungariam, Bohemiam, Germaniam, aliasque inſuper regio-

giones, itineribus emenſus eſt, initio propoſitum tantum fuerat, ichnographias ædificiorum Ægypti, quas contexuerat, una cum delineationibus quorundam, publicæ luci exponere, illisque deſcriptiones variorum Architecturæ ordinum, priſcis Ægyptiis uſitatorum, adjicere. Verum, cum icones rerum harum ordine digeſſiſſet, conſultius putavit, brevem Ægypti deſcriptionem illis addere, ac inſimul de illius regimine, conſuetudinibus, moribus, & hiſtoria naturali, aliquid obſervare. Delineationes ichnographicæ & icones, quas Autor lectoribus offert, in univerſum novæ ſunt, & adhuc incognitæ, pauciſſimis exceptis, quas ex *Brunio* & *Mailleto* deſumſit, ideoque Operi huic pereximio gratiam non exiguam, inſigneque pretium, conciliabunt. Sed ad recenſionem totius Operis accuratiorem pergamus. Diviſum eſt *primum* hoc *Volumen*, quod nunc recenſemus, in *Libros quinque*.

Liber I continet deſcriptionem Ægypti inferioris, cui præfigitur Tabula geographica totius Ægypti, longe accuratior, plenior, ac utilior, quam ulla antehac edita. *Caput I* ſiſtit nobis deſcriptionem Alexandriæ, tam veteris, quam hodiernæ. Obſervationes hic occurrunt elegantes, lectuque dignæ, de veterum Nicopoli, Tapoſiri, Zephyrio, plurimæque aliæ. *Cap. II* pergitur ad lacum *Madie*, quaſi dicas *trajectum*, qui eſt oſtium Nili Canopicum, infra quod, ubi nempe alveus Nili ſe in lacum effundit, ſita erat urbs Canopus. Sequitur *Roſetum*, urbs ſita ad latus occidentale alvei Nili, veteribus dicti Bolbitini. Dehinc tranſeunda eſt urbs *Fova*, quam eſſe *Naucratin* antiquorum, Autor hariolatur. Et ſic tandem *Cairum* appellit. *Cap. III* exponit loca, inter *Damiatam* & *Cairum* intermedia. Obſervatur hic, alveum Nili *Bubaſticum* & *Peluſiacum* eundem olim fuiſſe, & ex hoc prodiiſſe *Taniticum* infra urbem, quæ nunc dicitur Manſura, clade Francorum nobilis, quæ ex inſpectione Tabulæ geographicæ melius intelliguntur. Regionem, quæ Damiata ad Gazam usque, Phœniciæ urbem, extenditur, Arabes potiſſimum inhabitant, ex eorum genere, qui nullius dominio ſubjecti ſunt. *Fluvius*, vel Torrens, *Ægypti*, de quo noſtra ætate diſpu-

diſputarunt multa Viri clariſſimi, Autori noſtro videtur eſſe rivulus, non procul Rinocorura aquas ſuas in mare evolvens. Lacum *Serbonidem*, veteribus valde celebratum, ſed qui nunc fruſtra quæritur, putat Autor, tractu temporis a mari abſorptum eſſe; montem verò *Caſium*, qui erat prope illum lacum, hodie a nautis appellari *Tenere*. Sequuntur ibi obſervationes de lacu *Manzale*, ſito inter Damiatam & Peluſium, de *Damiata*, urbe nemini ignota, de urbe *Manſura*, quam, Autor conjicit, eſſe *Tanin* veterum, (quod tamen dubiis non ſpernendis premi nobis videtur, etſi in hoc circiter tractu Tanis omnino quæri debeat,) de ramo Nili, quem ſcriptores belli ſacri, pro recuperanda Palæſtina geſti, *Thaniticum*, vel *Tampniticum*, appellant, de *Mehalla magna*, de *Baalbait*, quæ creditur eſſe *Buſiris* antiqua, templo perquam magnifico & illuſtri quodam inſignis, cujus etiamnum rudera viſuntur, de *Semenuda*, quam *Pocockius* non credit eſſe *Sebennytum* priſcam, contra quam vulgo exiſtimant, de *Abuſiri*, de *Benalbasſar*, prope quam Autor cenſet olim ſletiſſe *Bubaſtum*, de *Heliopoli*, nunc dicta *Matarea*, in cujus vicinia Autor noſter cum eruditorum plurimis terram *Goſen* ſitam fuiſſe, auguratur. *Cap. IV* comprehendit deſcriptionem *Cairi*, vel *Kahiræ*, omniumque, quæ illic viſu & obſervatu digna occurrunt. *Cap. V* de *Memphi* & Pyramidibus, quæ prope Cairum conſpiciuntur, exponit. Hic id inprimis adſtruitur, præter opinionem receptam, Memphin conditam olim fuiſſe ad littus Nili occidentale, inter vicos hodie illic conſpiciendos, alterum dictum *Gize*, alterum *Saccara*, eo fere loco, ubi nunc videntur vici *Mocannam* & *Metrabenny*, quorum ſitum & conditionem Autor accuratius deſcribit *Cap. VII.* Quo poſito, ſequeretur, Pyramides illas magnas, veteribus toties laudatas, urbi huic regiæ obverſas fuiſſe ad ſeptentrionem & occidentem. De Pyramidibus, aliiſque rebus in illa regione ſpectandis memorabilibus, ea tantum afferuntur, quæ ſcitu ſunt digniora, & admiſcentur his nonnullæ Autoris noſtri obſervationes prorſus novæ, aliiſque indictæ.

Cap. VI deſcribuntur Pyramides, in campis Saccaræ viſendæ,

Digitized by Google

numero plures, forma variæ, partim majoris, partim etiam minoris, molis, quædam ſtantes, aliæ collapſæ, uti & loca illa ſubterranea, in quibus inveniuntur ſepulcra tam hominum, quam avium & animalium, illorum nempe, quæ priſca Ægyptiorum religione ſacroſanctæ habebantur. *Caput VII* eſt de *Fajuma*, *Labyrintho*, & *Lacu Mœridis*. Provincia *Fajuma*, omnium totius Ægypti fertiliſſima, & jucundiſſima, complectitur fere nomum, veteribus *Arſinoiten* dictum, eaque peregrinantibus offert permulta & inſignia canæ vetuſtatis rudera. Caput hujus provinciæ *Fiuma*, urbs ambitu ſatis ampla, ex ruderibus *Arſinoes* vetuſtæ, & prope eam condita, eſt. *Labyrinthus*, ædificium quondam ſtructuræ & magnitudinis admirandæ, quod veteres miris laudibus concelebrant, & in cujus tamen ſitu definiendo & veteres & recentiores noſtri Scriptores valde inter ſe diſcrepant, ædificatus erat ad extremitatem lacus Mœridis, qua occidentem & meridiem ſpectat. Ipſum ædificium temporis injuria dudum periit; ſed obſervantur illius rudera perampla & vaſta, quæ hic, more Autori conſueto, perquam accurate deſcribuntur. Quod *Paulus Lucas* exiſtimavit eſſe Labyrinthum, re ipſa eſt templum Labyrintho additum, in quo crocodili ſacri, religione Ægyptiorum id jubente, condebantur, cujus rei etiamnum deprehenduntur in ædificio illo veſtigia. Ædificii iſtius ichnographiam & deſcriptionem diligentem Lector illic videre poterit. Ab eo paſſuum circiter bis millibus abeſt lacus Mœridis, tot veterum encomiis prædicatus, quem Autor judicat in longitudinem extendi ad quinquaginta paſſuum millia, latum vero eſſe decem millia, ſecus atque veteres, qui lacus hujus & magnitudinem & latitudinem vehementer augent. Neque etiam veteres audiendos eſſe monet, quando perſuadere nobis volunt, lacum hunc eſſe artificialem, manibus hominum, auſpiciis regis *Mœridis*, effoſſum. Alias egregias obſervationes inviti omittere cogimur.

Liber II, lectu inprimis dignus, obſervationibus raris ac novis ubique refertus, exhibet iter ab Autore Cairo per totam Ægyptum ſuperiorem ad fines usque Æthiopiæ veteris ſuſceptum,

ptum, ejuſdemque reditum a finibus Æthiopiæ ad Cairum, Damiatamque. *Cap. I* refertur via, quam tenuit Autor, Cairo proficiſcens, *Akminiam*, quæ eſt veterum *Panopolis*. Hic primo ipſi occurrit vicus *Osman*, quem exiſtimat ſucceſſiſſe veterum *Acanthon urbi*, & mox Inſula, quam Nilus efficit curſu ſuo bipartito, quæque continet regionem dictam olim *Heracleopoliticam*. Viſus eſt idem ſibi videre tenues reliquias *Cynopoleos*, a qua Nomus quondam Cynopolites nomen accepit, ſicut & urbis, quæ in *Antonini* Itinerario appellatur *Muſæ*. Mox appulit ad urbem *Abou-girge*, quæ Epiſcopum habet, & Autori videtur eſſe *Oxyrinchus* veteris Ægypti. Sequebatur tum *Enſinieh*, urbs devaſtata, quam omnes agnoſcunt eſſe *Antinoopolin*, ab *Hadriano* Imperatore conditam, in memoriam pueri, a ſe adamati. Rudera, hic reſidua, ab aliis jam & deſcripta & delineata ſunt, & ab Autore quoque paucis attinguntur. Iter proſequenti occurrit deinde *Meloui*, ad cujus ſeptentrionem viſitur pagus *Arche mounain*, ruderibus contectus, quæ eſſe rudera antiquæ *Hermopoleos*, ex ſitu hujus loci a multis jam obſervatum eſt. Alii nomen hujus pagi, & aliquanto rectius, ut putamus, ſcribunt *Ache mounain*, & *Iſch munein*. Inde Autor pervenit ad urbem *Manſalouth*, quam auguratur eſſe *Lycopolin*, inde ad *Sciout*, urbem Epiſcopalem, quæ ipſi videtur eſſe veterum *Antacopolis*, tum ad *Aboutig*, urbem ſimiliter Epiſcopalem, quam exiſtimat eſſe *Hypſelen*, deinde ad *Gaua-Kiebre*, ubi ſupereſt porticus templi cujusdam vetuſti valde elegans, fulta novem columnis, in tres ordines diſpoſitis. Autor exiſtimat, rudera hæc eſſe urbis, quæ *Ptolemæo Paſſalon* dicitur. Et ſic tandem ventum eſt *Akminiam*, id eſt, *Panopolin*. *Cap. II* de urbe *Akmin*, & locis adjacentibus, agitur. *Akmin* urbs, millibus circiter paſſuum a Nilo diſtans ad Orientem, Græcis Scriptoribus olim dicebatur *Chemmis*, unde corruptum eſt nomen *Akmin*, & *Panopolis* etiam. Ad ſeptentrionem hujus urbis reperiuntur rudera duorum templorum, quorum alterum Soli, alterum Pani, dedicatum fuiſſe, opinatur Autor. Reperiuntur in hac urbe, & in locis quibusdam adjacentibus, quæ Autor ipſe adiit, paſſim In-

ſcriptiones Græcæ & Copticæ, quarum unam, Græcam, ad calcem hujus *Voluminis* ſubjunxit. Viſus ſibi etiam eſt Autor, non procul ab *Akmin*, ad occidentem Nili, reperiſſe rudera *Crocodilopoleos*, quam in hoc fere tractu *Ptolemæus* collocat. *Caput III* complectitur loca, quæ proficiſcenti *Akminia Thebas* tranſeunda veniunt. Inter ea ſunt *Mensbeeb* oppidum, ad occidentem Nili poſitum, ſatis tenue ac pauperculum, etſi Epiſcopi ſedes, prope quam verſus auſtrum rudera apparent urbis ſatis amplæ, quam Autor ex ſitu judicat fuiſſe *Ptolemaida*, tempore *Strabonis* reliquas Thebaidos civitates magnitudine præcellentem. Videtur autem tempore *Ptolemæorum*, forte ex ruinis urbis multo antiquioris, condita, indeque *Ptolemaidos* nomen adepta eſſe. Sequitur in eodem itinere pagus *El Berbi*, quaſi dicas templum, ad occidentem Nili, quo loco, Autor hariolatur, olim fuiſſe *Abydum*, urbem inprimis celebrem. Hæc urbs, ex qua via ducit ad *Oaſin magnam*, occaſionem præbet, de triplici *Oaſi* differendi, ejusque ſitum definiendi. Hinc via ducit ad urbem *Hou* peramplam, ad occidentem fluvii ædificatam; eam autem, autumat *Pocockius*, eſſe *Diospolin parvam Ptolemæi*. Itur hinc *Denderam*, quæ & ipſa ad occidentem fluvii jacet, atque ex ea Autor excurrit *Amaram*, exiguo intervallo diſſitam a *Dendera*, ubi rudera conſpiciuntur ampliſſima & magnifica priſcæ *Tentyræ*, quæ hic in icone ichnographica delineantur, & copioſe deſcribuntur. De templorum ruderibus, quæ ſe peregrinantium oculis objiciunt, & de quibus alii quoque, conjecturæ afferuntur, attenta lectoris conſideratione omnino dignæ. Mox iter proſequentibus ſe offert *Kena*, quemadmodum Autor ſcribit, aliis dicta *Quena*, vel *Caana*, vel *Chana*, quam *Pocockius* ſuſpicatur eſſe *Caenen*, ſive *Neapolin*, *Herodoto* & *Ptolemæo* memoratam, & paulo longius Nilo provectis pagus *Kept*, qui eſt celeberrima veterum *Coptus*, a qua mare rubrum non niſi quatuor dierum itinere diſtat, tametſi intervallum hoc veteribus viſum fuerit longius. Rudera priſcæ *Copti* hic deſcribuntur, & plurima interſperguntur lectu digna. Deinde venitur ad oppidum *Kous*, quam judicant eſſe *Apol-*

Apollinopolin parvam. Itinerarium *Antonini* eam nuncupat *Vicum Apollinis.* Cernitur hic vetus templum, in cujus frontiſpicio Græca Inſcriptio legitur, a *Cleopatra* & *Ptolemæo,* in honorem Dei maximi, aliorumque Deorum, poſita. *Caput IV,* cui inter reliqua omnia hujus *Voluminis* nos libenter palmam adjudicamus, oculis noſtris ſubjicit reliquias ſplendidiſſimas & vere ſuperbas antiquæ *Dioſpoleos magnæ;* ſive *Thebarum* Ægyptiarum. Earum accuratam, eruditisque vehementer deſideratam, delineationem ante complures annos promiſerat *Claudius Sicardus,* Societatis Jeſu, Miſſionarius in Ægypto, ſed ſubita morte, antequam fidem datam liberare poſſet, præventus. Illam vero jacturam ab Autore noſtro digniſſimo abunde hic reparatam videmus. Superſunt illic adhuc rudera templorum, quorum magnitudo & ſtructura vaſta atque ſumtuoſa fidem omnem ſuperat. Dum illorum diſpoſitiones & dimenſiones omni, quæ adhiberi poteſt, accuratione & induſtria repræſentat, generatim etiam rationem templorum magnorum ædificandorum, Ægyptiis uſitatam, egregie ex his ruderibus explicat, & cum deſcriptione *Strabonis* confert. Rudera hæc templorum inveniuntur ad ripam Nili orientalem, ubi nunc jacent pagi *Carnack* & *Luxerein,* quæque his ſunt confinia. Reliqua urbis hujus quondam ſplendidiſſimæ ſita ſunt ad ripam fluminis occidentalem, ubi nunc eſt vicus *Gournou,* eaque olim extendebantur usque ad vicum *Medinet Habou,* ubi apparet fuiſſe *Memnonium.* A vico *Gournou* via perdifficili per anguſtas montium fauces poſt aliquot horas pervenitur ad *Biban-el-Melake,* quaſi dicas *portam regum,* ubi ſuperſunt ſepulcra regum Thebæorum rupi inciſa, ſtupendæ magnitudinis, capacitatis, & pulchritudinis, *Diodoro Siculo* jam & *Straboni* non ſine ingenti admiratione commemorata. Quæ de iis Autor noſter narrat a ſe viſa, fidem faciunt, Scriptores illos optimos nihil dixiſſe, quod rei meritum ſuperet. Sed hæc apud Autorem legiſſe juvabit. Quæ ab eodem illic referuntur de aliis ædificiis ſubterraneis vaſtis & ſpatioſis, in rupe exciſis, talia ſunt, ut videantur vix fidem inventura. Tanta fuit regum illorum in

in ædificando magnificentia & prodigalitas. In regione eadem ad occidentem Nili inveniuntur etiam rudera aliorum templorum, ſtructuræ non minus admirandæ, quam illa, de quibus dictum eſt, in quorum altero, quidam putant, etiamnum ſupereſſe ſtatuam *Memnonis*, in tota antiquitate tantopere celebratam; ſed minus vere. Nam alio plane loco, prope vicum *Medinet Habou*, cernuntur duæ ſtatuæ Coloſſeæ, quas Autori noſtro placet appellare Memnonias. Sculptæ illæ ſunt ex marmore duro variegato, ſed ſpeciei peculiaris, & qualem præterea videre Autori non contigit. Perſimilis eſt lapidi Aëtitæ. Altera harum ſtatuarum, cujus iconem, curate depictam, ærique inciſam, quatuor tabulis repræſentavit Autor, eſt hominis ſedentis, una cum baſi plus quam ſexaginta pedes longa, & ſeptendecim lata, ſed media ſui parte disrupta, qualem deſcribunt *Memnonis* ſtatuam, qui eam oculis uſurparunt, *Strabo, Pauſanias*, ac alii inſuper bene multi. Et, quamvis aliis quoque modis ſtatua illa nunc ſit diffracta, & mutilata, partes tamen ita etiamnum ſunt conſervatæ, ut eam Autori, tanquam eſſet integra, depingere licuerit. Non poteſt dubitari, quin hæc ſit illa, tot veterum ſermonibus & narrationibus celebrata, *Memnonis* ſtatua. Præterquam enim, quod ei cum deſcriptione *Strabonis*, *Pauſaniæ*, aliorumque, prorſus conveniat, id ipſum etiam teſtantur Epigrammata plurima Græca & Latina, in baſi ſtatuæ, & crurum ejus inferiori parte, legenda, ab Autore vero utcunque, ſed diligenter, deſcripta. Etſi enim illa longitudo & injuria temporis etiam atque etiam corruperit, ut proinde ſenſus eorum integer difficulter admodum percipi queat; id tamen intelligitur, ſtatuam hanc eſſe *Memnonis*, & eos, qui Epigrammata cruribus inſcripſerunt, vocem *Memnonis* decantatam audiviſſe, idque fere ſemper hora prima, aut circiter. Non poteſt hoc non in mentem revocare verba *Strabonis* hæcce ex *Libro XVII: Creditum eſt, ſemel quotidie ſonitum quendam veluti ictus haud magni edi a parte, quæ in ſede ac baſi remanſit. Ipſe — circiter horam primam ſonitum audivi*, &c. Alia plura de ruderibus Thebarum, quæ magna cum

cum voluptate apud Autorem leguntur, excerpere hic non licet. *Cap. IV* recenſentur loca, quæ Autor, *Thebis Aſſuanam* contendens, in itinere obſervavit. Primo pervenit ad urbem *Erment*, quæ eſt veterum *Hermonthis*, templo *Jovis & Apollinis* clara. Superſunt illic hodienum reliquiæ templi, quod Autori viſum eſt ultimam priſcorum Ægyptiorum antiquitatem redolere. Cum in his reliquiis multi appareant accipitres ſculpti, veroſimile eſt, ut ait, fuiſſe id templum *Apollinis*, vel, ut Ægyptii eum vocabant, *Hori*, cui ſacri erant accipitres. Adſunt quoque indicia bovis, in eodem templo olim culti, quod veteres conſimiliter teſtantur. Ab illis templi reliquiis non longe diſtat ædificium quoddam perpulchrum viſuque dignum, quod Autor, ſatis probabili ratione, credit fuiſſe primitus templum *Jovis*, poſtea vero uſibus Chriſtianorum ceſſiſſe. Poſtremum hoc teſtantur cruces paſſim inſculptæ, & Inſcriptiones Copticæ, ac alia hujus generis documenta. Occurrunt poſtea iter perſequenti reliquiæ urbis cujusdam, quam Autor noſter fuiſſe putat *Aphroditopolin*, tumque acceſſit idem *Eſnam*, vel *Eſſenam*, urbem eximiam, ad ripam Nili occidentalem poſitam, quæ, ut etiam Autori videtur poſt alios, probabiliter eſt *Latopolis* veterum, ubi Latus piſcis & *Minerva* colebatur. Et ſupereſt illic nunc quoque templum, Numinibus hiſce dedicatum, cujus memorabilia ab Autore more ſolito deſcribuntur & delineantur. Adſunt etiam, quæ ſatis teſtantur, templum id ipſum ſucceſſu temporis Chriſtianorum ſacris inſerviiſſe. Ad ſeptentrionem urbis hujus aliud cernitur templum, cujus parietes figuris hieroglyphicis largiter ornati ſunt. Inter illas deprehenduntur plures, in quibus corpori humano caput crocodili ſuperadditur, ex quo indicio Autor ſuſpicatur, fuiſſe illic *civitatem crocodilorum*, antiquis in hac ora memoratam. Paſſibus abhinc circiter quindecim millibus rudera cernuntur murorum urbis deſtructæ, quæ *Pocockio* videbatur fuiſſe *civitas Accipitrum*. Inde ventum eſt ad pagum *Etfou*, quæ, ſi Autori credimus, eſt veterum *Apollinopolis magna*. Viſitur illic templum vetuſtum, cujus delineationem etiam additam vide-

 mus,

mus. Prope illius atrium ſtant ſimulacra immanis magnitudinis, etiamnum recta, capitibus accipitrinis inſignia. Hanc fuiſſe rationem, exiſtimamus, *Sicardo*, ut, hic ſtetiſſe quondam urbem accipitrum, ſibi perſuaderet. Verum accipitres, quod ſupra iam monuimus, etiam *Apollini* Ægyptiorum, vel *Horo*, ſacrati erant. Supra *Aſſenam* fines Ægypti ad utramque Nili ripam arctius iam fere coeunt, atque a raris colitur habitatoribus illa terra. Vidit tamen Autor prope vicum *Hajar Silcyli* quædam antiquitatis monumenta, rerum harum cupidis non ingrata futura, quæ & æri inciſa hic conſpici poſſunt. Autumat vero, hic fuiſſe *Phtonthin Ptolemai.* Succedunt his ruinæ *Omborum* ſatis amplæ, unde Autor tandem *Aſſouanam* appulit, quæ ex conſenſu omnium eſt veterum *Syene*. *Caput V* eſt de *Syene*, *Elephantine*, & *Philis*. *Aſouana* oppidum eſt tenue; ſed ſupra eam in loco celſiori apparent ruinæ veteris *Syenes*, quæ Tropico Cancri directe ſubjacet, illiusque ſitus, quanta fieri poteſt, accuratione hic determinatur. Viſus ſibi Autor quoque eſt deprehendiſſe rudera templi cujusdam antiqui, & Obſervatorii, deſtinati ad uſum Aſtronomicum, cujus quidem ait meminiſſe *Strabonem*, quamvis, ut verum fateamur, *Strabo*, aliique veteres, mentionem tantum faciant putei, in quo conſtructum erat Nilometrium, & in quo obſervari etiam poterat tempus verum ſolſtitii æſtivi. Viſu inprimis dignæ & jucundæ ſunt famoſæ illæ lapicidinæ, quæ marmor, veteribus percelebre, variegatum Thebaicum & Syeniticum ſubminiſtrarunt, ex quo plurima illorum monumentorum admirandorum, quæ per totam Ægyptum ſuperſunt, exſculpta eſſe novimus. Videntur etiamnum illic columnæ ac Obeliſci, nondum penitus exſciſſi, ſed quorum tamen exciſio apparet intenta & cœpta fuiſſe. E regione *Syenes* Inſula in Nilo cernitur *Elephantine*, in qua viſuntur adhuc rudera templi cujusdam, illius nempe, ut videtur, quod *Cnuphidi* ſacrum fuiſſe, *Strabo* ſcribit. Ante templum conſpicitur ſtatua, pedes octo longa, habitu ſedentis, quæ manus decuſſatim pectori imponit, ac in utraque lituum gerit, quod admodum rarum eſt. Ibidem vidit, & utcunque deſcripſit, Inſcriptionem Græcam

cam bene longam, quam etiam ad calcem hujus *Voluminis* edi curavit, ſed non ita facile intelligendam, quod ipſe Autor libenter fatetur. Hinc pervenit in inſulam *Philas*, Ægyptiis quondam ſacram, ac tum ſepulcro *Oſiridis*, tum templo accipitris Æthiopici, claram. Templum hoc Autor vidit, & more conſueto ſollicite delineavit. In reditu idem Catarracten, qui ſic vocatur, minorem attente conſideravit, ejusque deſcriptionem addidit. *Cap. VI* memorantur, quæ in reditu ad Cairum Autori relatu digna occurrerunt. Agitur hic inprimis de Cœnobiis S. *Antonii* & S. *Pauli*, ad mare rubrum conſtructis, quorum delineatio quoque hic accedit, diſcrepans nonnihil ab ea, quam *Claudius Sicardus*, e Soc. Jeſu Miſſionarius, in relationibus ſuis nobis reliquit.

Liber III comprehendit iter, ab Autore *Cairo* ad oram maris rubri, in Arabiam Petræam, ad usque montem Sinai, ſuſceptum, ejusque hinc per Roſetum & Alexandriam reditum. *Cap. I* exhibet viam, qua Autor profectus eſt ad urbem Suez & Mare rubrum. In itinere hoc vidit nonnunquam in deſerto foramina, excavata, uti ipſi retulerunt, per aliquod animalis genus, incolis *Jerdaon* dictum, quod ipſe conjicit eſſe *Ichneumonem*, quod idem, ſed cunctantius tamen, repetit *Lib. IV Cap. 9*. Sed dubitari vix poteſt, quin incolæ Ægypti deſignare voluerint murem agreſtem, in Ægypto & Syria non infrequentem, quem Græci ἀρκ]ομῦν & χοιρογρύλλιον nuncupant, Arabes vero *Jarbuo*, & *Al-jarbuo*, de quo multa congeſſit *Bochartus* in *Hierozoico*, cujusque effigiem depictam dederunt *Paulus Lucas* in *Itinerario*, aliique ſimilium Commentariorum compilatores. Per deſertum Autor pervenit ad Caſtellum *Adjeroute*, horis triginta circiter a Cairo diſtans, quod creditur eſſe *Heroopolis* veterum. Autor vero noſter auguratur, hic ſitam fuiſſe urbem, quam Scriptura, commemorans tranſitum Iſraelitarum per mare rubrum, *Migdol* nominat, diſtinguendam a Magdolo, Peluſio vicina. Hinc perrexit ad urbem *Suez*, ſitam ad extremum maris rubri angulum ſeptentrionalem, veteribus *Arſinoen* dictam. Alias quoque conjecturas de *Cleopatride*, *Pihahiroth*, & *Baalzephon*,

Pp 2 Lecto-

Lectori hic offert Autor, ingenioſas & eruditas, & vel eo nomine laude dignas; ſed quæ maturius examen deſiderant. Etiam,quæ ſub finem *Capitis* de terminis Ægypti verſus Orientem obſervantur, legi & expendi merentur. *Capita II* & *III* comprehendunt continuationem itineris ad montem Sinai, illiusque deſcriptionem. Via hæc, ducens ab urbe Suez ad montem Sinai, quam tot peregrinatores emenſi ſunt, & in Ephemeridibus ſuis deſcripſerunt, omnibus oppido nota eſt. Legiſſe tamen & ea, quæ Autor illa de re refert, neminem pœnitebit, præcipue quæ de variis Arabum tribubus, familiis, & moribus, nonnunquam vehementer diverſis, de locorum, per quæ iter faciendum eſt, ſitu atque diſtantia, de præſtantiſſimo marmore variegato, cujus hic omnia plena ſunt, deque illis ſigillatim locis, quorum in hiſtoria *Moſaica* mentio occurrit, pro ſolita ſua eruditione & accuratione obſervat. Idem dicendum de deſcriptione montis Sinai, & locorum vicinorum memorabilium, qua deſcriptione luculentam magis & exactiorem nos etiam apud recentiores non vidiſſe meminimus, eaque doctis lectoribus tanto erit gratior, quod etiam Inſcriptiones Sinaiticas repræſentet, etſi plerumque charactere peregrino & ignoto exaratas. *Cap. IV* Autor ſententiam ſuam proponit de via, quam tenuerunt Iſraelitæ, exeuntes ex Ægypto, cum quibus conferri utique merentur, quæ de eodem argumento docte & inſigni cum veri ſpecie commentati ſunt *Claudius Sicardus*, & *Alphonſus Vignolius*. *Cap. V* Autor refert, quo modo a monte Sinai Cairum reverſus fuerit, ubi quædam obſervantur de ſitu urbis & montis *Pharan*, de monte *Hor*, in quo *Aaron* diem ſupremum obiit, & de foſſa, cujus ope quidam Ægypti reges, mare mediterraneum jungere cum mari rubro, in animo habuerunt.

Liber IV eſt de forma regiminis in Ægypto, deque regionis hujus incolis, moribus, & hiſtoria naturali, quæ in ipſo hoc Opere legi diſcupimus.

Liber V miſcellanea comprehendit, talia præſertim, quæ ad antiquitates & hiſtoriam naturalem Ægypti ſpectant. *Cap. I* exhibentur antiquitates nonnullæ, & pondera, veteribus

bus Ægyptiis uſitata. Inprimis viſu digniores ſunt duæ ſtatuæ, altera *Iſidis*, altera *Oſiridis*, ſic repræſentatæ, tanquam genibus reductis humi ſederent, quæ ſingularia quædam præferunt. Utramque, Cairi coemtam, Autor Londinum tranſtulit. In *Tabula LXIV* depictæ cernuntur plures icunculæ, Larium forte, ut exiſtimat *Pocockius*, aut amuletorum, ex collis olim ſuſpenſorum. Plerasque ipſe Copti invenit, urbe ſuperioris Ægypti, ibique ſuas fecit. Conquiſivit idem plus quam quinquaginta ſpecies ponderum, incolis Ægypti quondam uſitatorum, eaque cum noſtris receptis accurate confert. Quorundam etiam delineationem addidit. *Cap. II* differitur de Architectura veterum Ægyptiorum, ex qua, ceu fonte, Græci ſuam hauſerunt, qui tamen eandem ſucceſſu temporis ad ultimum perfectionis faſtigium perduxerunt. Utraque hæc Architectura hic inter ſe comparatur, ac obſervantur de ea varia, quæ toti huic argumento lucem non mediocrem affundunt. Ut autem ea de re judicium ferri poſſit tanto melius & certius, ex antiquiſſimis Ægyptiorum templis, aliisque ædificiis, ſplendorem non vulgarem oſtentantibus, columnæ cum ſuis ornamentis deſumtæ, atque in pluribus Tabulis curate depictæ, Lectorum oculis ſubjiciuntur. *Caput III* eſt de Mythologia veterum Ægyptiorum; *IV* de eorum literis hieroglyphicis; *V* de conditura mortuorum, tam hominum, quam etiam volucrium. *Caput VI* complectitur *Benigni Mailleti* relationes & obſervationes de ſtatu interiori magnæ Pyramidis, deſumtas ex illius Deſcriptione Ægypti, quæ manibus eruditorum teritur. *Caput VII* in deſcribenda Coptorum religione verſatur. *Caput VIII* & *IX* de incremento & adſcenſu fluminis Nili; *Caput X* de modo colendi & præparandi Oryzam circa Roſetum in Ægypto inferiori, de Sale Armoniaco, atque de excluſione pullorum gallinaceorum in fornacibus, differit. *Capitibus XI — XV* afferuntur quædam, ad ſtatum recentiorem rerum in Ægypto, aut generatim in Oriente, ſpectantium, ſcitu digna & jucunda, ſed quibus immorari non poſſumus. *Cap. XVI* exhibentur Inſcriptiones Græcæ VII, in variis Ægypti partibus viſæ, & ab

Autore deſcriptæ, quarum nonnullæ res Ægypti mirifice illuſtraturæ eſſent, ſi integræ conſervatæ fuiſſent. At jam non eſt in iis ulla, quæ ſenſum fundat integrum & continuum, etſi voces non paucæ ſeorſim legantur & intelligantur. *Caput XVII* complectitur catalogum Epiſcopatuum Ægypti, omniumque eorum, qui ſubſunt Patriarchæ Alexandrino, deſcriptum ex Tabulis Patriarchalibus. Verum miramur magnopere, in catalogi hujus parte poſtrema occurrere Epiſcopatum Carthaginienſem, Uticenſem, & plures alios Africæ proprie ſic dictæ, Numidiæ, & Mauritaniæ, qui Patriarchæ Alexandrino ſubjecti nunquam fuere. *Cap. XVIII* de plantis Ægypti & Arabiæ diſſeritur. *Cap. XIX* delineatur atque deſcribitur ſimulacrum quoddam ligneum magnitudinis exiguæ, quod, ubi Autor pleraque literis jam mandaſſet, ex Ægypto in Angliam deportatum fuit, & eruditorum examen meretur. Totum Opus hoc, *Volumine I* comprehenſum, claudit Diſſertatio de Geographia Ægypti, in qua cum recentiori vetus Geographia confertur. Continet & hæc obſervationes plurimas egregias, quarum pleræque expreſſæ ſunt in Tabula geographica Ægypti, Operi præfixa, in quam *Caput* iſtud ultimum inſtar Commentarii eſt.

ΞΕΝΟΦΩΝΤΟΣ ΚΥΡΟΠΑΙΔΕΙΑΣ ΒΙΒΛΙΑ ΟΚΤΩ.
XENOPHONTIS de Cyri inſtitutione Libri octo. Græca recognovit, cum Codice MS. Oxonienſi & omnibus fere libris contulit, plurimis in locis emendavit, Verſionem Latinam reformavit, obſervationibus ſuis, Tabulaque geographica, auxit, & illuſtravit, Notas H. STEPHANI, LEUNCLAVII, PORTI, & MURETI, recenſitas & caſtigatas, Variantium Lectionum delectum, Indicesque neceſſarios, adjunxit, THOMAS HUTCHINSON, A. M. Editio quarta.

Londini, in officina C. Hiboh, 1747, 8 maj.
Alph. 1 plag. 14.

Hæc Londinenſis, chartæ typorumque tam forma, quam ſplendore cultuque, minor, editio *Hutchinſoniana Cyropadiæ Xenophonteæ* ad exemplum majoris illius Oxonienſis, de

qua

qua in his *Actis Menſe Julio Anni 1730* expoſuimus, expreſſa eſt, eademque pæne omnia habet, præter Diſſertationes, editioni Oxonienſi præmiſſas, quarum argumentum dicto loco enarratum fuit, & præter indicem vocabulorum orientalium, a *Xenophonte* memoratorum. Adſunt tamen in hujus editionis fine unus quidem index vocabulorum, ad rem militarem ſpectantium, quæ explicantur, alter vero rerum memorabilium. In univerſum eo inſtituta fuit ejus ratio, ut juventuti literarum ſtudioſæ parabilius & tractabilius eſſet egregium hoc ſapientis vetuſtatis monumentum. De pretio notarum *Hutchinſoni*, quæ partim ipſi Græco textui adjunctæ, aut Latinæ interpretationi ſuppoſitæ, partim in calcem libri rejectæ fuerunt, dicto ſuperius loco jam ex vero & æquo judicatum fuit, eas non omnino quidem contemnendas, at ſæpe tamen triviales & quisquiliarum plenas, eſſe, minimeque magnificentiæ impreſſionis & vulgaris opinionis de Anglorum in Græca literatura profectibus reſpondere. Mutatum paſſim in hac editione Græcum textum, & in melius quoque, eſſe, ſignificatum ibidem fuit; id tamen quoque verum eſt, & deprehendet homo criticus ipſo examine, *Hutchinſonum* & Codice Manuſcripto *Bodlejano* non optimæ notæ, neque integerrimo, uſum fuiſſe, & interdum judicium ejus in conjecturis doctorum hominum *Xenophontea* quaſi civitate donandis præproperum fuiſſe. Quod, cum alia, quæ hoc de libro proferamus, non ſint, exemplorum, e primo ſaltem *Cyropædiæ* Libro deſumtorum, numero demonſtrare juvat. Debuerat omnino *Hutchinſonus*, tam ſplendidam parans editionem, quam Oxonienſis eſt, ornamenta illi, quotquot poterat, omnia, & præcipue plures collationes Codicum Manuſcriptorum antiquorum & bonæ notæ, quales in Italia, & maxime in Regia Taurinenſi Bibliotheca, latere dicuntur, ſibi comparaſſe. Nam *Bodlejanus* quidem ille, quo ipſe uſus fuit, nimis ſæpe idem cum vulgatis noſtri libris, perſæpe etiam pejor, eſt. E. c. ipſa ſtatim in Præfatione *pag. 3* ad vitioſum quamvis illum locum καὶ τἄλλα δὲ ὡσαύτως ἔθνη ἠκούομεν, nihil quidquam, ex Codice *Bodlejano*, notatum conſpicitur, &, quæ in fine libri affertur, *Stephani* conjecturæ non ſatisfacit. At *Xenophon* ta-

tamen procul dubio ſcripſit καὶ τἄλλα δὲ ὡσαύτως ἔθνη ὅσα ἀκούομεν. Lectionem hanc, incertum, quo e Codice, vidit, qui hæc ſcribit, a celebri illo Calligrapho Græco, *Angelo Bergitio*, enotatam in margine Cyropædiæ, a *Wechelio* Pariſiis A. 1538 editæ, & quidem in illo ejus exemplari; quod in Bibliotheca Leidenſi aſſervatur, & in ejus Catalogo *pag.* 227 recenſetur. Quod paulo poſt illum locum legebatur olim Μεγαδίνων (*pag.* 4 hujus editionis *lin.* 3), id *Hutchinſonus*, veterum Autorum, quos in nota ad iſtum locum nominat, autoritate, vetereque *Philephi* interpretatione, fretus, mutavit in Μαριανδυνῶν. Quod factum nolumus quidem improbare; mollius tamen, & tam a *Xenophontis* mente, quam a priſtinis literarum ductibus, propius, videri poſſit Μελαγχλαίνων. *Melanchlæni* non tantum appellabantur olim illi Scythæ, quos *Herodotus* memorat ultra mare Caſpium poſitos; verum & illi Choraſanitæ, tractus circa urbem *Meru*, vel *Marwam*, incolæ, qui Seculo poſt Chriſtum natum nono ſub nomine Arabico *al Moſawwada*, vel *pullatorum*, in ſcenam prodierunt, magnasque turbas in Oriente excitarunt, & ab Hiſtoriæ Byzantinæ Scriptoribus Μαυροφόροι appellantur. Paulo poſt hunc locum alius, in fine *pag.* 5 capitalis, ut in omnibus editionibus, ita in hac quoque adhucdum, vitioſe proſtat: ἐπαιδεύθη γε μὴν ἐν Περσῶν νόμοις. οὗτοι δὲ δοκοῦσιν οἱ νόμοι ἄρχεσθαι τοῦ κοινοῦ ἀγαθοῦ ἐπιμελούμενοι, οὐχ ὁμοίως γὰρ ταῖς πλείσταις πόλεσιν ἄρχονται. Quorum verborum ſtribliginem, & reſolutum atque luxatum quaſi ratiocinium, vel ex ſola Latina interpretatione licet percipere. *Secundum leges Perſarum inſtitutus eſt*, ait *Xenophon* de *Cyro*. *Hæ autem leges a cura publici commodi initium ſumere videntur; nam non eodem modo, quo pleræque civitates, curam illam auſpicatur.* Vir ſapiens, verborum non prodigus, & cogitationum acer, nervoſusque in ratiociniis, qualis *Xenophon* fuit, ita ſcripſiſſet, ut credibile eſt Atticum noſtrum feciſſe. *Hæ autem leges videntur ſolæ* (inter alias omnes leges) *ibi, ubi oportebat, publici boni curam auſpicari. Nam non eodem modo, ut ceteræ urbes* (earumque leges), *eam curam auſpicantur*, οὗτοι δὲ δοκοῦσιν οὗ δεῖ μόνοι ἄρχεσθαι, &c. *Pag.* 12 *lin.* 6 (quæ

Leun-

Leunclav. pag. 6 c. fin. reſpondet,) dubium, *Hutchinſoni* conſilio, an errore typothetæ, corrupta fuerunt Græca, & loco **φρονέντων** poſitum **πρενόντων**. Id vero certum eſt, neque ceteros Editores, neque hunc Anglum, ibi loci lacunam deprehendiſſe. *Xenophon* enim, quod ſenſus poſtulat, & ſimilia loca confirmant, **ὅσα φρονοῦντων τε ἤδη ἔργα ἐςὶ καὶ ἔτι μοχθεῖν δυναμένων** ſcripſerat, *qui eo profecerant ætatis, ut jam poſſent ſapienter de rebus judicare & conſulere* (quod ſenum eſt), *& ſimul tamen* (quod juvenum eſt) *adhuc duros belli labores tolerare valerent.* Vox **μοχθεῖν** vulgatis abeſt. *Pag. 23 lin. 13*, quæ *Leunclav. pag. 11, E*, reſpondet, infeliciter, quæ non debuerat, attrectavit Anglus noſter ſana; ulcus non attigit. *Aſtyages, Cyro* magna promittens, quo ipſum nempe penes ſe retineret, inter alia, *meis equis*, ait, *& aliis, quotcunque volueris, uteris; cumque abibis aliquo, tecum, quos ipſe volueris, habebis*, **ἔπειτα δὲ ἐν τῷ δείπνῳ ἐπὶ τὸ μετρίως σοι δοκοῦν ἔχειν ὁποίαν βούλῃ ὁδὸν πορεύσῃ. ἔπει τά τε νῦν ἐν τῷ παραδείσῳ θηρία δίδωμί σοι πάντα**, &c. In his poſtremis **ἔπειτα τάτε** dedit *Hutchinſonus*, eoque totum ratiocinium pervertit, & omnem loci elegantiam offuſcavit. At monſtroſum illud, non a *Xenophonte*, ſed ab oſcitante librario, profectum, **ἐν τῷ δείπνῳ**, quod quid ſibi velit, ſanus homo non exputet, omnes intactum præterierunt. Vertunt, *Leunclavius* quidem, *præterea in coenando ad id, quod ipſe moderatum eſſe ſtatues, qua volueris, via incedes*; *Hutchinſonus*, profeſſus Latinorum reformator, non paulo deterius: *Inſuper vero in cœna ad id, quod intra mediocritatem conſiſtere tibi videbitur, quamcunque libebit, viam tenebis.* In his non elegantiam *Xenophonteam*, ſed humanum modo ſenſum, deſideramus. *Cœna* huc prorſus non pertinet. *Xenophon* **ἐν τῷ παραδείσῳ** ſcripſerat, *præterea que*, continuat *Aſtyages, in paradiſum meum*, (ſeu ferarum peribolum,) *qua libuerit, via excurres, quatenus nempe decorum, tuæque modeſtiæ congruum, ipſe judicaveris. Nam & illas tibi dono permittoque beſtias, quæ nunc temporis in paradiſo ſunt, & alias cogam*, &c. *Pag. 25 lin. 1*, quæ *Leuncl. pag. 13 lin. 1* reſpondet, pro vetere proba lectione **τύχη** repoſuit

 poſuit

poſuit *Hutchinſonus* ψυχὴ, eoque ſolœcum fecit puriſſimum Atticiſtam. Putabat nempe, vocabulum ψυχὴ idem, quod ὁ θυμὸς, vel ἡ ἐπιθυμία, ἡ ὁρμὴ, & ſimilia, *animi libido*, notare. *Pag. 37 lin. 1*, quæ *Leuncl. pag. 18 Cap. 3* reſpondet, incruſtat lacunam, quæ ante voces ὕποτε οἰόμενος ſatis manifeſta eſt, & eodem ipſo in loco non tantum non toleravit, ſed ne attigit quidem, inhumanam, nedum *Xenophonteam*, dictionem, ὕτω δὲ ἐξοπλισάμενος προσήλασε τῷ ἵππῳ καὶ ὁ Ἀςυάγης ἰδὼν, &c. Vertitur: *Ita igitur armatus* (*Cyrus*) *equo* (ad alios) *advectus eſt*. Non opus iſto aſſumento *ad alios*, neque Græca προσήλασε τῷ ἵππῳ id, in ſe ſpectata, notant, quod crediderunt interpretes ea notare, idem ſcilicet, atque ἐν τῷ ἵππῳ. Atqui ſignificant *accucurrit verſus equum*, quod abſurdum & loco incongruum. *Xenophon* ſcripſit προσήλασε τῷ πάππῳ, *properabat* (agebat equum ſuum) *verſus avum, quem avus Aſtyages videns*, &c. Sufficiant hæc pro ſpecimine, quod demonſtret, recentiſſimam hanc *Cyropædiæ* editionem, reliquas inter omnes abſque controverſia optimam, ita tamen nondum perpurgatum exhibere melliti Scriptoris ſermonem, ut ejus dignitas & lepos flagitabant, ſed ad id conſequendum ſagaciores Criticos & integriores Codices requiri. Quæ hoc in ipſo *primo Libro* plures exſtant lacunæ mendæque, animus non eſt, eas hoc loco perſequi. Unam tamen adhuc, dignum videtur, dum in eo verſamur, tollere. Narrat *Xenophon pag. 51* (*Leuncl. pag. 25*), cum domo egreſſi eſſent in bellum *Cyrus* & pater, fulgura tonitruaque illis fauſta accidiſſe, τότων δὲ φανέντων, ὐδὲν ἔτι ἄλλο οἰωνιζόμενοι ἐπορεύοντο, ὡς ὐδένα ἂν λήσαντα τὰ τῦ μεγίςυ Θεῦ σημεῖα. *Quæ cum apparuiſſent, alio præterea nullo captato augurio perrexere, quaſi neminem maximi Dei ſigna latere poſſent. Jovis* fulgura & tonitrua ſunt maximi Dei ſigna. Verum claudicat in his poſtremis ratiocinium, quantumvis *Hutchinſonus* illud excuſare & tueri nitatur. Scripſit *Xenophon*: ὡς ὐδὲν ἐνδεήσαντα, *quandoquidem ſummi Dei ſigna tam clara & perfecta ſint, ut aliud obſcurius & imperfectius oraculum minoris Dei conſulere ſupervacaneum ſit.*

FLO-

FLORÆ PARISIENSIS PRODROMUS, OU CAtalogue des plantes, qui naiſſent aux environs de Paris, &c.

hoc eſt,

CATALOGUS PLANTARUM, QUÆ NAſcuntur circa Pariſios, enumeratarum nominibus recentioribus ac antiquis, & ſecundum methodum ſexualem Linnæi ordinatarum, cum explicatione Gallica terminorum novæ nomenclaturæ, Autore DALIBARD.

Pariſiis, impenſis Duranti & Piſſoli, 1748, 8.

Plag. 19

Subit animum mirari, qui factum ſit, ut Eruditus Gallus, relicta optima Celeberrimi *Joſephi Pitton Tourneſortii* methodo inſtituendæ rei herbariæ, ita, cum recens eſſet, ab omnibus agnita, uti nunc Celeberrimi *Linnæi* methodus eſt, amplecti potuerit ſententias foris natas, meritorum penitus oblivisci, quibus Aquisſextienſis ille Botanicus, parem ſibi nunquam habiturus, rempublicam herbariam affecit, nec meminiſſe quidem ejus, qui rem herbariam per Gallias ad ſummum evexit, & plantas, circa Pariſios naſcentes, in aureo illo libello: *Hiſtoire des plantes qui naiſſent aux environs de Paris, 1698, 8,* primus enumeravit. Condonanda foret innovatio methodi, ſi clarius concepta eſſet illa, quæ deſeritur. Tantum autem abeſt, ut illud factum ſit, ut antiquus loquendi, & plantas nominandi, mos mutatus ſit ubique, & compellationes herbarum legantur paſſim, quas ipſe paulo ante ignoravit novæ methodi admirator, magnoque labore, præpoſtero imitandi ſtudio, didicit. Quo titulo poſtulare exteri plantas a Pariſienſibus nunc debebunt, ſi nova iſta nomenclatura ſemel invaluit? Quis Chamæneria ſub novo nomine Epilobii quæret, Thymelæas Daphnes nunc eſſe ſuſpicabitur, cryophillos Dianthas Pariſiis appellari, hariolabitur? ſi cum *Linnæo*, quod omnes ſane haud faciunt, nec illud no-

Digitized by Google

vitatis jugum ſibi imponi patientur, loqui detrectaret? Eſt quædam circa nominum vetuſtorum mutationem ſervanda æquitas, ut paucis, ex præoptato principio, invertere haud liceat, quod omnium eſt, aut plurimorum certe. Abſit iſta præjudiciorum ſervitus, ut quis recte dixiſſe dicatur, quandoquidem ex hypotheſi ita dicit. Non invidemus Doctiſſimo *Carolo Linnæo* gloriam, quod ſua illa innovatione Galliam etiam nunc ſubjugaverit, miramur ſaltem, ita facile capere potuiſſe Pariſienſes amorem novæ methodi, & exoleviſſe ſubito *Tournefortianam*, qua præſtantior nova haud eſt, eo pejor, quod nomina mutet vetuſta, nondum damnata, aut barbariei convicta, ſed pro more ſeculi ideo ſaltem deſpectui habita, quod characteribus arbitrariis *Linnæi* haud reſpondeant. Quodſi ergo quis calyces & perianthia pro fundamento definitionum botanicarum aſſumturus eſt, veluti *Petrus Magnolus*, Manſpelienſis, facere intendebat, ex ſua hypotheſi ſimiliter mutabit nomina. Nunc Geranium calycibus retroflexis forte erit Batrachia, Carduus calyce glabro ſe in novum genus eriget, forte anoplæ, quod inermis ſit. Quantæ diſcordiæ! Quam parum ſperari unquam nominum conſtantia, ad commercium inter eruditos adeo neceſſaria, poterit! Hæc equidem, ſi quid prævidemus, nova methodus, ſtaminibus plantæ, numero vehementer variantibus, innixa, ultra ſeculum haud durabit, cum illi deſit, quod in methodo adeſſe oportet, perſpicuitas & conſtantia. Interea tamen perturbat animos, novitatis pruritu illectos, quos, ſatius fuiſſet, antiquas methodos elaborare ac perficere, quam novas haud aſſequi. Quid facinoris perpetravit *Tournefortius*, ut exulet Gallia, an male claſſes ordinavit? Verba ut nummi valent, tantumque fuerat, ex flore definitionem herbarum capere, poſtquam intellectum fuit, quid ſint flores *campaniformes*, *liliacei*, *ſemifloſculoſi*, quantum nunc eſt, eam ex ſtaminibus, viſum haud raro ſubterfugientibus, deſumere; tantoque plus ſane laudis eſt in veteri ſecta tenenda, quam in nova affectanda, ſi illi ineſt analogia & perſpicuitas. Hanc utrum *Linnæo* plus, quam *Tournefortio*, tribuere poſſis, haud apparet; a Gallo certe patriæ

riæ cauſam deſeri potuiſſe, portento ſimilis res eſt. Dum autem ille *Linnæi* principia ſemel adſciverat, dubium ſupereſt nullum, opus fuiſſe, quo nomina plantarum accipienda fuerint, uti illa ex adoptata hypotheſi fluunt, qua ſtante, antiqua ſtare haud poſſunt; videat autem, an ſecum locuturos inventurus ſit alios. De ingenio, cogitandi peritia, deque induſtria *Linnæi*, qua ſuæ methodo generalitatem poſſibilem conciliare tentavit, nemo eſt, qui dubitare auſit; an autem clarius ſcripſerit illis, qui ex corolla definiunt, dubium ſupereſt haud ſane exiguum. Explicantur ab erudito Prodromi hujus Autore novæ methodi fundamenta in ipſo operis frontiſpicio. Decerpſit ex *Linnæi Horto Clyffortiano* ſummos rei herbariæ conceptus, tum illos, qui totius corporis vegetabilis œconomiam, tum qui florem, ex quo methodi rudimenta capta ſunt, ſpectant. Deſcribuntur plantæ partes, radix, truncus, caulis, fulcra, folia, pedunculus, petiolum, ſcapus, flos ipſe cum partibus, illum conſtituentibus, tandemque fructus. Radix bulboſa eſt, tuberoſa, fibroſa. Caulis, qui lignoſior, truncus, variis conditionibus diſcrepat, uti eſt *ſimplex*, rectus, nudus, foliaceus, obliquus, *volubilis*, flexuoſus, ramoſus, ſcandens, diffuſus, brachiatus; *compoſitus* dichotomus, diſtichus, ſubdiviſus. Si concavus caulis eſt, veluti graminum, culmus dicitur, nunc æqualis, nunc articulatus, interdum ſquamoſus, nudus, foliatus. Fulcra appellantur partes plantarum externæ, quæ ſtaturam earum firmant, & nobiliores partes, fructificationi inſervientes, ſuſtinent atque defendunt, dum cirrhi flexuoſos caules, parumque firmos, vicinis implicant. Bractea, ſeu folium florale, florem ſuſtinet, aculeus corticem armat, eidemque ad ſuperficiem inhæret, dum ſpina alte defixa eſt. Squamæ nunc calyces florum, nunc gemmas, tegunt. Pedunculo inſident fructus cauſæ, flos ſcilicet, dum ſcapus fructum fulcit. Petiolo inhærent folia. Fructificatio, quo termino collectivo flos cum fructu capitur, reſpectu ad pedunculum, cui inſidet, nunc eſt unica, nunc gemina, hinc plurima, radici propior, radicalis, ſummo cauli inſidens, caulina, ad alas naſcens,

& alaris, ad extremos ramuſculos & terminatrix, eaque ſolitaria, ſparſa, conglomerata, conglobata, paniculata, corymboſa, faſciculata, verticillata, ſpicata, racemoſa, umbellata, capitata. Folia, quæ haud levem in deſcribendis plantis valorem habent, ad mentem *Linnæi*, uti ille in *Horto Clyffortiano* a formis, eorum genera ſtabilire annifus eſt, ſunt *ſimplicia*, orbiculata, ſubrotunda, ovata, oblonga, cuneiformia, anguloſa, lanceolata, cordata, lunulata, haſtata, integra, diviſa, laciniata, tripartita, quinquepartita, multifida, emarginata, dentata, crenata, criſpa, tomentoſa, piloſa, aculeata, lucida, rugoſa, venoſa, nervoſa; *compoſita*, palmata, ſeu digitata, pinnata, eaque vel cum impari extremo, vel ſine illo, conjugata foliolis, ad caulem ubique paribus, nunc ex adverſo poſitis, nunc ſaltem alternis. Reſpectu ad pedunculum folia ſunt ſeſſilia, ſi illo carent; intuitu aliarum plantæ partium ſunt caulina, radicalia, floraria. Seminalia ſunt germinis cotyledones, ac veluti ſecundinæ. Præterea, uti caulem tangunt, folia erunt amplexicaulia, perfoliata, connata, oppoſita, alterna, ſparſa; nec levior eſt diverſitas foliorum, ſi ſaporem odoremque ac colorem reſpicias. Quæ omnia, licet definire genus haud poſſint, ſpeciebus tamen infimis declarandis haud levem operam præſtant. Aſt fructificatio, tanquam ultimus naturæ finis, generibus conſtituendis par eſt. Hujus partes aliæ ſunt generales, flos atque fructus; aliæ ſunt ſpeciales, & flori fructuique propriæ. Ad florem ſpectat *Calyx*, qui eſt floris tegumentum quodvis, *perianthium*, ſeu unius floris pluriumve complexus, *ſpatha* folioſa, unius pluriumve florum vagina, *gluma*, involucrum floris ex gente cerealium, *amentum*, quod eſt florum maſculorum congeries pendula; calyptra refertur ad muſcos, volva ad fungos maxime phallos, ſi plures ſub una vaginula latent. Corolla, quæ, recepta inter plures ſententia, flos eſt, ex hujus methodi arbitrio floris ſaltim erit receptaculum, tegendis partibus ſexualibus, ſtamini atque piſtillo, deſtinatum. Conſtat illa petalis, modo uno, modo pluribus; proinde corolla erit monopetala, polypetala. Monopetala tubulo conſtat, hinc limbo. In quolibet petalo, ſi plura ſunt,

con-

Digitized by Google

conſideratur unguis, lamina. Nectarium corollæ pars eſt, ſucco vegetabili cuidam dulci, qui mel dicitur, deſtinata. Eſſentiales denique, & ad ipſam methodum ſexualem conſtruendam prædelectæ, fructificationis partes ſtamen ſunt atque piſtillum. Experimenta, jam ante *Linnæum* inſtituta, docuerunt, ſtaminum, erga piſtilla florum, officia in eo conſiſtere, ut vim plaſticam uteris vegetabilium inſinuent; quapropter factum eſt, ut methodi ſexualis primarium fulcrum ſint iſta ſeminis prolifici conceptacula, dicanturque pars floris maſcula, cujus baſis filamentum, ſummitas apex, dicitur, cui antheræ inſident, vaſculis ſcilicet conſtructæ plurimis, quæ virtute aliqua elaſtica pulverem disjiciunt, ſinu muliebri vegetabili ſuſcipiendum, qui piſtillum eſt. Hujus organi tres habentur partes: illa, quæ fundo corollæ proxima eſt, germen audit, ſæpe ipſe calyx, uti *Tournefortius* recte omnino aſſeruit, ſuamque methodum ex calyce frugifero haud dubitatis experimentis inſtruxit in quamplurimis. Dum ſtilus veluti uteri vagina erit, ſtigma, orificium, ſummo apici inſidens, & prolificum pulverem ſuſcipiens. Quamvis autem ad fructum ipſum parum reſpiciat nova iſthæc methodus, neglectus tamen omnino haud fuit; membrana omnis, grana circumſepiens, generali termino pericarpium appellatur, cujus variæ ſunt ſpecies. Aut enim ſicca membrana ſemina ambit, *mollior*, loculo uno, vel pluribus, capſave bivalvi, quæ ſiliqua appellatur & legumen, *durior*, quando nux fructus eſt, vel ſtrobilus; aut ſucculenta pulpa ſub externo hoc cortice latet; ſi dura *nux* ſub carne latet, drupa audit, ſi loculis, ſub ampla carne poſitis, grana continentur, pomum, ſi pulpæ inſunt nuda grana, baccæ cognominatur. Aliquando tamen nudo pericarpio ſedent grana, nunc ſolida, nunc coronata, eademque vel ſeſſilia, vel ſtipiti inſidentia. Ex hiſce rudimentis conſtructa eſt Celeb. *Linnæi* ſexualis methodus, ingenioſa omnino, illis tamen, quæ ex petalis florum ſtruuntur, nihilo melior. Nondum ſane confutata ſunt petala, nec cauſa ſua ceciderunt, & longe clarius diſtinctiusque docent, quam ſtamina, quorum numerus variat in quamplurimis, quo etiam

factum

Digitized by Google

factum eſt, ut Clariſſimus *Adrianus van Royen*, Batavorum lucidum ſidus, illis, in ſtruenda methodo ſua, licet ad mentem *Linnæi* adornata, carere voluerit. Ita autem inſtructi ſunt methodi ſexualis ordines: Plantæ aut florem manifeſtum habent, aut abſconditum, nunc intra fructum, nunc extra eundem, ſed valde tenuem; hæc cryptogamia eſt, ſeu clandeſtinum plantæ matrimonium. Hac claſſe tenentur plantæ dorſiferæ, omnes, filix, polypodium, aliæ, hinc muſci, fungi, lichenes. Flores manifeſti, & viſui patentes, ita ſeſe gerunt, ut quidam utrumque ſexum, ſtamen ſcilicet atque piſtillum, eadem corolla, vel perianthio, contineant, quod, quando eſt, flos erit hermaphroditicus; alii flores ſtaminibus, ſeu maſculis fructificationis organis, conſtant unice, dum alii piſtillo, quod fœmineum in flore eſt, unice conſiſtunt. Fit autem, ut maſculus flos, ideinque fœmineus, eidem inſint individuo, licet in diverſis ejus ramis, aut caulibus, quod monœcium in hac methodo dicitur, dum unam domum quidem, diverſam tamen ejus ſtationem, uterque ſexus incolunt, veluti id habent carices cyperoides, ex arboribus, quercus, betula, corylus. Quodſi ergo in diverſis individuis ſexus habitat, maſculus in hoc, fœmineus in illo, Diœcium illud dicitur, veluti id habent ſalices, populi, mercurialis, cannabis. Docuerunt autem experimenta, longis retro temporibus ex palmæ fructificandi modo capta penes Ægyptios, referente *Alpino*, farina fertili maris palmæ opus eſſe, ut palma fœmina fructificet, quod ita fieri viſum eſt etiam in aliis hujus generis plantis, ſexum in diverſo individuo gerentibus. Fit tamen etiam, ut flores perfecti, eodem thalamo utrumque ſexum includentes, una cum floribus maſculis, ſeparatim naſcentibus, ejusdem plantæ ſint incolæ, quod quando ita eſt, ut duplicis generis mares eidem inſint individuo, polygamia dicitur monœcia. Ita habent parietaria, atriplex. Quodſi autem ita eſt, ut ejusdem generis planta in hoc individuo maſculos flores ſolos ferat, in illo maſculos cum hermaphroditicis promiſcue naſcentes, polygamia eſt diœcia. Sic ſumma quidem plantarum ſtabiliuntur genera; aſt ad intermedia, ſtami-

Digitized by Google

ſtaminum, quæ viri ſunt, numero, hinc eorum diverſa proceritate, & varia inter ſe connaſcendi ratione, uſus *Linnæus* fuit, id quod ut recte capiatur, mente tenendum illud eſt: ſtamina, ad florum hermaphroditicorum æque ac maſculorum ſolitariorum ordines inſtituendos, numerari oportet, hinc ſint monandria, diandria, triandria, tetrandria, pentandria, hexandria, heptandria, octandria, enneandria, decandria, icoſandria, polyandria demum, ſi ſtaminum exceſſus eſt, qui numero certo haud continetur. Deinde, cum inter ſtamina, ſeu viros, quidam ſint procerioris ſtaturæ, quos potentiores ad fructificationem propterea eſſe convenit, factum etiam eſt, ut, ſi duo adſunt proceriora ſtamina, vel plura, plantarum claſſes inde ordinentur, ſintque didynamia, uti Teucrium, Thymus, Serpillum, tetradynamia autem, uti flores omnes, cruciati *Tournefortio* dicti, Sinapi, Eryſimum, alii. Obſervatum denique, quantum ad ſtaminum mutuum inter ſe nexum, fuit, ſæpe illa in unum, duos, vel plures, faſciculos condenſari, vel piſtillo adnaſci. Cum autem fraternum illud *Linnæo* viſum eſſet, ſe mutuo amore amplecti, monadelphia dicta ſunt, ſi omnia in unum corpus conſpirant, veluti decem ſtamina coaleſcunt in geraniis, plura in malvis; hinc illa ſunt monadelphia decandria, hæc monadelphia polyandria. Deinde ſtamina plura in duos faſciculos coaleſcunt, uti eſt in omnibus filiquiferis; denique plures penicilli ſtaminum colliguntur in polyadelphiis, propterea & neceſſario polyandriis, uti eſt hypericum; quodſi ſtamina piſtillo adnaſcuntur, parsque virilis plantæ accreſcit fœmineæ parti, androgynæ fiunt. Hactenus ſolitarii flores, quorum ſinguli ſuo gaudent perianthio proprio; ſequuntur illi, qui, in una ſocietate plures, arcte, eodem vinculo ſocietatis, perianthio ſcilicet communi, continentur; hinc ſyngeneſia, ſeu ſodalitium matrimoniorum vegetabilium; & polygamia, dum flos unicus, compoſitus ex minutis aliis, ſingulis tamen hermaphroditis, nuptiarum intra ſe habet frequentiam; hinc, ſi floſculi ejuſdem formæ ſunt, dicatur ſyngeneſia polygamiæ æqualis, uti eſt in Sonchis, Hieraciis, Scorzonera; quodſi autem diverſæ formæ floſculi eidem calyci com-

 muni

muni inſunt, nomen ſyngeneſi polygamiæ ſuperfluæ natum eſt, uti ſunt Aſteres Chryſanthema; aſt, ſi intercurrunt floſculi ſimplices maſculi & propterea ſteriles, ſyngeneſiæ polygamiæ fruſtraneæ nomen aſſumtum fuit. Quanto intelligentius easdem plantas *Tournefortius* terminis floſculorum, ſemifloſculorum, radiatorum, exponit? Nempe eo doctior quisque videbitur, quo clarius ſcripſerit, & planiores lucidioresque conceptus in artem attulerit. Infima genera ad numerum ſtilorum, &, ſi illi deſunt, ſtigmatum, capiuntur, utque piſtilla fœminæ, aut uteri, ſunt vegetabiles, ita unicuique claſſi ſummæ ac mediæ, ſubordinantur plantæ, veluti ſtilo ac ſtigmate ſunt uno, vel pluribus; exinde naſcuntur conceptus monogyniorum, digyniorum, trigyniorum, pentagyniorum. Mirari fas eſt, cum ſeminum nudorum numerus in claſſe didynamiorum admiſſus ſit, numerata illa non fuiſſe in reliquis, ſalvia, lycopo, in quibus non minus luculenta ſunt; illum enim, qui ſtamina numeraverat, oportebat etiam ubique, quoniam ſemel id factum erat, numerare ſeminum rudimenta, quæ ad baſin calycis manifeſta ſunt in omnibus gymnoſpermis, ſemine nudo, uno, gemello, quaterno, ac plurimis.

Hæc non contradicendi ſtudio a nobis afferuntur, ſed juſto dolore inducti, quod novitate hac, haud ſatis explorata, plurimi ſe abripi nunc patiantur, hoc monemus; ſuo tamen abundare ingenio unumquemque patimur.

JANI PLANCI, MEDICI PRIMARII ARImini, de Monſtris ac monſtroſis quibusdam, ad JOSEPHUM PUTEUM, Sanctiſſimi D. N. BNEDICTI XIV, Pontificis Maximi, Archiatrum extra ordinem, & Academiæ Inſtituti Bononienſis Præſidem, Epiſtola.

Venetiis, typis Joannis Baptiſtæ Paſqualis, 1749, 4. maj. Plag. 4½, Tabb. æn. 3.

Clariſſ.

Clariſſ. Autor, in urbe Arimino Medicus primarius, cujus in hæc *Acta* opera varia philoſophici, medici, & anatomici, argumenti retulimus, in Epiſtola hac, cui titulum fecit de monſtris ac monſtroſis quibusdam, Venetiis edita, & ad Virum Clariſſ. *Joſephum Puteum*, Bononienſem, Archiatrum Pontificium extra ordinem, & Inſtituti Academiæ Præſidem, conſcripta, in partes tres dirimit monſtra, monſtroſasque res. Primi generis, arbitratur, eſſe ea monſtra, quæ ex conſociatione duorum pluriumque fœtuum ictu, vel caſu alio, in utero matris oriuntur. Ad ſecundum genus refert ea monſtra, quæ ex conformatione naturali, ſcilicet a Deo ipſo O. M. ita condita fuerunt, ut monſtroſa eſſent, ſcilicet ut partes aliquas geminatas, vel deficientes, oſtenderent, qua in re cum *Duverneyo* & *Winslowio* ei convenit, qui, monſtra omnia tali pacto oriri, arbitrantur. At Clariſſ. Autor, partes iſtas, putat, geminatas oriri etiam poſſe a vi quadam plaſtica, quæ vulgo luſus naturæ dicitur, quæ partes iſtas redundantes, vel deficientes, producat, ut re ipſa producuntur in cancris mutilatis, & in polypis diſſectis. Ad ſpeciem tertiam rerum monſtroſarum ea refert, quæ morbo fiunt, quando ſcilicet cauſa morbi eſt tanta, & ejus effectus eſt talis, ut ad oſtentum, & ad monſtrum, referri poſſit, cujusmodi eſt, quando os reperitur, ubi caro, vel glandula, vel membrana, reperiri debuerat. Secundum hanc, quam fecit, monſtrorum, rerumque monſtroſarum, diviſionem, ſpecimina affert generis cujusque, quæ plerumque Arimini reperta ſunt, vel obſervavit, & quarum rerum figuras in calce Epiſtolæ tribus Tabulis æneis adducit. Ad primum genus quod attinet, primo loco Æluri catulum corpore geminato in medium affert, ſed qui unico capite erat, quanquam in ore bilinguis eſſet, & in cervice duas haberet colli ſpinas, cujus monſtri anatomen narrat, &, ex conſociatione duorum fœtuum ortum eſſe, dicit, quod geminata in eo fere eſſent omnia. Secundo loco ex hoc genere figuram & anatomen Melonis geminati corporis deſcribit, qui item ex conſociatione duorum fructuum ortus dicitur, ut or-

tum ducunt fructus ii omnes, qui hoc modo geminati oriuntur, quo in loco in dubium revocat imaginationem matris, quam quidam pro monſtrorum cauſa & origine aſſignant. Melonum enim matres, nullo ſenſu, nullaque imaginandi vi, præditæ vulgo, & quidem ſapienter, cenſentur. Hic obiter *Plancus* anatomen florum cucurbitaceorum, quorum genera ſunt flores melonum, adducit, & accurate oſtendit, quomodo differant flores ſteriles in plantis a fœcundis, quæ anatomie nova plane eſt, & a *Linnæo* ipſo prætermiſſa, licet ſyſtema ſuum botanicum in methodo ſexuali totum fundaverit.

Poſtquam recenſuit Autor ea monſtra, quæ ex conſociatione plurium fœtuum oriri putat, venit ad ea ſecundi generis, quæ ex conformatione naturali oriri dixit, & quæ numero multo plura ſunt, primo loco anatomen adducens vituli monſtroſi bicipitis, Sabiniani, Ariminenſis diœceſis oppidi in Gallia ciſalpina, nati. Monſtrum hoc, præter duo illa capita, in unum conjuncta, in quibus quatuor oculi, duæ aures, & duæ linguæ in ore, reperiebantur, quæ ad gulam, & ad laringem, uniebantur, nil aliud geminatum oſtendebat in univerſo vituli corpore; quare ad ea monſtra Autor id revocat, quæ ita naturaliter ab autore naturæ conformata ſunt. Sic tali pacto conformatum fuiſſe credit fœtum humanum, quem hic deſcribit, qui ſedigitus erat in utraque manu, & qui unicum foramen in naſo oſtendebat. Ex conformatione item naturæ eſſe dicit, quod in oſſe hyoide plura oſſicula interdum reperiantur. Quare hoc loco duo oſſicula memorat ampliora, quæ ab *Heiſtero Triticea* dicuntur, ſed quæ *Plancus Avenacea* dici poſſe credit, quorum figuram exhibet. Sic adducit figuram duorum aliorum oſſiculorum oſſis hyoidis, quæ frequenter ipſe reperit in ligamento inter cornua oſſis hyoidis, & proceſſus thyroidis, quæ *hordeacea* a figura nominat. Sic tripodem adoleſcentem, qui Arimini eſt, & quadrigitatum ſenem, a conformatione naturali originem duxiſſe, arbitratur. Sic eodem pacto originem traxiſſe res alias monſtroſas, quas hic adducit. In quarum genere gallinaceum ovum refert oblongum, & recurvum, quod digitum humanum refert, quod

ita

Digitized by Google

ita oblongatum eſſe ait ex ipſamet conformatione naturali, vel ab acido quodam, circa oviductum congeſto, quod putamen emollierit, dum excluderetur; quare hoc loco ridet opinionem quorundam, qui, ova monſtroſa, arbitrantur, ex imaginatione gallinæ oriri, ut orta referuntur in Actis naturæ curioſorum ex *Magliabechii* fide, & apud *Jo. Henricum Cohauſen*, & demum in Inſubria apud ſeplaſiarium quendam *Frichignone* nomine, qui omnes, tempore eclipſeos ſolaris ova, referunt, nata cum imagine lunæ, & ſolis, defectum patientis, cum ſtellis quibusdam adjunctis, quæ omnia fraude facta arbitratur typo quodam, cum ova prius aceto fuerint emollita. In fine rerum monſtroſarum hujus generis refert pedem Capi inſignis magnitudinis cum calcare, quod quinque digitos Pariſienſes cum octo lineis erat longum.

Tertio loco Autor venit ad ea monſtroſa, quæ morbo fiunt, & inprimis deſcribit ulcus calloſum in ventriculo Canonici cujusdam ex Ordine Lateranenſium, latitudine argentei Philippi, & duos digitos transverſos profundum. Monſtri quidem ſpeciem quandam habet, ventriculum humanum morbo ita craſſum reddi potuiſſe, ut ulcus tam profundum continere potuerit. Sic ad res monſtroſas referri poteſt, quod in mucrone cordis æditui cujusdam oſſeum circulum repererit. Glandulas oſſificari, raro accidit, cum potius ipſæ tartaro, ſeu materia lapidea,& gypſea, indure tur. At Cl. Autor deſcribit glandulam thyroideam oſſificatam, & echinatam, quæ ovum columbinum referebat. Membranæ item raro oſſificantur. At ipſe refert proceſſum falcatum cum appendice oſſea, intra cranium *Renati Maſſæ*, Arimini flaminis, ſeu Epiſcopi, repertum. Ita membranam lienis oſſeam reperit in cadavere *Jo. Franciſci Genghini*, Comitis, & Patricii Ariminenſis, in cujus cadavere arterias coronarias omnes cordis oſſeas invenit, quarum arteriarum anatomen hic ſedulo dat. Multa, ait *Plancus*, a ſe prætermiſſa hujus generis monſtroſa, quæ in cadaveribus repererit, in quibus recenſendis nimis longus fuiſſet. At in fine coronidis, ut ait, loco phoſphorum narrat admirabilem, qui ex interioribus veſtibus & ex carnibus mercatoris Arimi-

 nen-

nenſis prodibat, qui lucidiſſimus erat, ut coram ipſo phosphori mercuriales, ſatis ſplendentes quidem, pallidi apparerent. Phosphorus, quem emittebat noctu mercator iſte, major erat, ubi veſtes internæ candidæ fuiſſent, quam ubi ſuccidæ eſſent. Idem major erat, ſi mercator aliquo itinere, vel labore, eſſet defatigatus; major denique erat tempore ſereno, & ſicco, quam nubilo, & pluvioſo; quæ omnia cum virtute electrica quodammodo conſentiunt, de qua omnes nunc loquuntur. At *Plancus* noſter ſolus hic tacet, fortaſſe ut præcepto illi *Horatiano* obediat: *Nec circa vilem patulumque moraberis orbem.*

THEORIÆ SPECULORUM CYLINDRICOrum & conicorum Pars tertia, in qua determinatur locus & ſitus imaginis, ſi planum reflexionis conum obliquè ſecat, Autore GOTTLIEB AUGUSTO MOSDORFFIO.

Conf. *Nova Acta* hujus *Anni Menſ. Aprilis pag.* 224 *ſeq.* & *Menſ. Maji pag.* 267 *ſeq.*

Theorema XV.


XXXI. Planum triangulare Pge, ductum per lineam reflectentem Pg, & punctum radians e, æquale eſt plano Pgn, quod per eandem Pg & punctum unionis n ducitur.

Demonſtratio.

Per g & punctum S, quod biſecat cathetum eSn, & quod eſt in plano tangente $RPqSgT$ (*§. II*), ducatur recta gS. Ergo eSg & nSg ſunt recti (*§. V*), & æquales, ideoque triangula geS & Sgn ſunt æqualia, & $ge = gn$. Porro, quia $ePS = SPn$ (per *Dem. §. X*), & $eS = Sn$, erit etiam $Pe = nP$. Ergo in triangulis geP, ngP, æqualia ſunt latera ge, gn, & Pe, Pn, prætereaque latus Pg utrique commune; ergo etiam gPe & gPn ſunt triangula æqualia, & $Pe = Pn$. Q. E. D.

Theorema XVI.

XXXII. Si eg conſideretur ut radius incidens, & ejus reflexus Og producatur, ut occurrat rectæ QW, per oculum Q ductæ,






Fig. II.

Digitized by Google

ductæ, & lineæ reflectenti parallelæ in O, erit Og ſuboculari Wg æqualis.

Demonſtratio.

Reflexus Og incidentis eg eſt in plano reflexo $QPgW$ (§. *III* & *XVI*), &, quia omnes radii reflexi tranſeunt tam per punctum reflectens, ut g, quam punctum unionis n (§. *II*), erit etiam Ogn unica recta. Jam vero ob parallelas QW, Ag, erit $Pn : gn = QP : Og$, & ex eadem ratione eſt quoque $PM : gM = QP : Wg$. Ergo, quia $PM : gM = Pe : ge$ (§. *XVI Cor. I*), & $Pe = Pn, ge = gn$ (§. *XXXI*), erit etiam $PM : gM = Pn : gn = QP : Wg$, unde $Og = Wg$. Q. E. D.

Corollarium.

Ergo triangulum OgW eſt iſoſceles, &, ſi per punctum n ducatur nL parallela gP, vel WQ, erunt triangula ngL, OgW ſimilia, & $gL = gn$.

Problema VII.

XXXIII. Invenire lineam ſectionis gM (§. *XIII*). TAB. II Fig. 6.

Solutio.

1) Sit altitudo puncti reflectentis RS a baſi $= y$, ergo, ſi bgc eſt ſectio baſi parallela, & per punctum radians e ducta, prætereaque altitudo hujus puncti $Ee = n$, erit $Pl = y - n$ (§. *XXII n. 5*), & $gl = \frac{by - bn}{a}$, cumque PN ad gP ſit normalis, invenietur lN argumentando $gl : Pl = Pl : lN$, id eſt, $\frac{b(y-n)}{a} : y - n = y - n : \frac{ay - an}{b}$, unde linea determinans $gN = gl + lN = \frac{b^2y - b^2n + a^2y - a^2n}{ab}$, vel ſi $\sqrt{(a^2 + b^2)} = \tau$, erit $gN = \frac{\tau^2 y - \tau^2 n}{ab}$.

2) Jam

2) Jam vero eſt $tg = ſ$, & $te = l$ (§. XXII n. 13 & Cor. II), nec non $get = egq = qgM$ (§. XVI) $= \frac{rſ}{\surd(ſ^2 + l^2)}$, & coſ. $qgM =$ coſ. $get = tge = \frac{rl}{\surd(L^2+l^2)} = MgN$.

3) Ergo, ſi linea determinata Ne ſit $= \beta$, poterit ob parallelas te & qg (§. XXII n. 2) angulumque ad g rectum (§. VII) inferri, at Ne : ſin. tot. $= te : tNe$, ſive $\beta : r = l : \frac{rl}{\beta}$, & Ne : ſin. tot. $= tN$: ſin. teN (= coſ. tNe) id eſt, $\beta : r = \frac{\tau^2 y - \tau^2 n}{ab} : \frac{\tau^2 r y - \tau^2 r n}{ab\beta}$.

4) Et, quia $NMg = \frac{MgN.\text{coſ. } gNM + gNM.\text{ coſ. } MGN}{\text{ſin. tot.}}$ (per princ. Trig.) erit $NMg = \frac{rl\tau^2 y - \tau^2 rnl + abrlſ}{ab\beta\surd(ſ^2 + l^2)}$ (n. 2 & 3).

5) Jam vero inferatur, ut $NMg : gN = gNM : gM$, id eſt, $\frac{rl\tau^2 y - \tau^2 rnl + abrlſ}{ab\beta\surd(ſ^2 + l^2)} : \frac{\tau^2 y - \tau^2 n}{ab} = \frac{rl}{\beta} : gM$, unde

$$gM = \frac{r\tau^2 y\surd(ſ^2 + l^2) - r\tau^2 n\surd(ſ^2 + l^2)}{r\tau^2 y - \tau^2 rn + abrſ}. \quad \text{Q. E. I.}$$

Corollarium I.

TAB. IV Fig. 1. Si in *Fig. 1* ſint omnia, uti in *Fig. 1 Tab. II*, erit $gn = ge$ (§. XXXI) $= \surd(ſ^2 + l^2)$ (§. XXII Cor. III) $= gL$ (§. XXXII, Cor.) Ergo $ML = gL - gM = \frac{abrſ\surd(ſ^2+l^2)}{r\tau^2 y - \tau^2 rn + abrſ}$.

Corol-

Corollarium II.

Ergo ob parallelas QW, Pg, Ln, (§. XXXII *Cor.* & §. XX *Schol.*) erit $gM : Pg = ML : Ln$, ideoque, quia $Pg = \frac{Ag \cdot Pl}{Af}$ (nam Pl & Af ſunt ad planum bgc perpendiculares, & conſequenter parallelæ,) $= \frac{(y-n)\sqrt{(a^2+b^2)}}{a} = \frac{\tau y - \tau n}{a}$ (*n.* 1) erit $\frac{r\tau^2 y\sqrt{(f^2+l^2)} - r\tau^2 n\sqrt{(f^2+l^2)}}{r\tau^2 y - r\tau^2 n + abrf} : \frac{\tau y - \tau n}{a}$ $= \frac{abrf\sqrt{(f^2+l^2)}}{r\tau^2 y - \tau^2 rn + abrf} : Ln = \frac{bf}{\tau} = \frac{bf}{\sqrt{(a^2+b^2)}}$. Cumque ſit gL (vel gn) $: Ln = Wg : OW$ (§. XXXII *Cor.*) erit $\sqrt{(f^2+l^2)} : \frac{bf}{\sqrt{(a^2+b^2)}} = Wg : OW$, unde $OW = \frac{Wg \cdot bf}{\sqrt{(a^2+b^2)(f^2+l^2)}}$.

Lemma IV.

XXXIV. Si planum triangulare ADE verſus aliud FDE inclinatum ſit, & ex linea AD ad alteram ED ducantur pro lubitu parallelæ AE, BG, CI, &c. deinde ex punctis A, B, C, demittantur perpendiculares AF, BH, CK, &c. ad planum FDE, puncta F, H, K, erunt in eadem recta FD, &, ſi ab iis punctis ad E, G, I, ducantur rectæ EF, GH, IK, erunt hæ quoque inter ſe parallelæ. TAB. IV Fig. 2.

Demonſtratio.

Ex quacunque linea recta ad planum quodvis poteſt demitti planum perpendiculare. Ergo etiam ex linea AD ad planum EDF, quod continuandum eſt, ſi opus ſit, poteſt demitti planum normale, ut AFD. Sed, quia puncta A, B, C, ſunt in linea AD (per hyp.) erunt quoque eorum normales AF, BH, CK, in eo-

 dem

dem plano normali ADF, hinc tranſeunt per rectam FD, & ad eandem ſunt perpendiculares. Jam vero punctorum A, B, C, poſitio inde non mutatur, ſi ex iis ducantur rectæ AE, BG, CI. Ergo, ſi ab extremis linearum parallelarum AE, BG, CI, ducantur normales AF, BH, CK, erunt puncta F, H, K, in eadem recta FD. Q. E. P.

Sint igitur AF, BH, CK, normales ad FD. Ergo ſunt inter ſe parallelæ, & $HD : FD = BH : AF = BD : AD$. Sed, quia AE, GB ex hypotheſi ſunt parallelæ, erit quoque $GD : ED = BD : AD$, hinc $GD : ED = HD : FD$, ideoque GH & EF ſunt parallelæ. Q. E. A.

Corollarium I.

Quia $GB : EA = BD : AD$, & $BH : AF = BD : AD$, erit $GB : EA = BH : AF$. Cumque ſit etiam $GH : EF = HD : FD = BH : AF$, erunt in triangulis GHB, & EFA, omnia latera proportionalia, ideoque ipſa triangula ſunt ſimilia, & angulus $BGH = AEF$.

Corollarium II.

TAB. IV Fig. 1. Si itaque ex puncto reflectente P, & oculo Q, demittantur normales Qd, Pl, ad planum bgc, hæ tranſibunt per eandem rectam dlM, punctisque d & l cum punctis W & g, quæ a parallelis QW, Ag, reſecantur, connexis, rectæ WdK, glf, erunt parallelæ, & angulus $QWd = Pgl = Agf$, ideoque ob angulos ad d & f rectos, triangula QWd & Agf, vel Pgl, ſunt ſimilia.

Corollarium III.

Si AF ſit linea repræſentans, quæ a radio reflexo QP ſecetur in I, & ex I demittatur perpendicularis Ir, hæc cum perpendicularibus Qd, Pl, erit in eodem plano, & puncta d, l, r, in eadem recta dM (per *Dem. I*).

Problema VIII.

XXXV. Invenire ſubocularem Wg.

Solutio.

1) Sint omnia, uti in §§. præcedentibus, & præterea

vd

$vd = p$, $vf = q$, & quidem vd ſit ad bf perpendicularis, ut poſitio oculi R inde determinari queat (§. XXI).

2) Quia WK & gf ſunt parallelæ (§. XXXIV Cor. II), erit $dKv = gfK = x$, hinc ob angulum ad v rectum (n. 1) habetur $vK = \frac{p\surd(r^2 - x^2)}{x}$, ideoque $Kf = vf - vK = \frac{qx - p\surd(r^2 - x^2)}{x}$.

3) Continuetur gM in H, ergo $fH : gH = fgH$ (vel fgM) : gfH (vel gfb), vel quia fgM = coſ. Mgq = $sgt = \frac{rl}{\surd(f^2 + l^2)}$ (§. XVI & XXII Cor. III) & $gfK = gfb = x$ (n. 2) erit $fH : gH = \frac{rl}{\surd(f^2 + l^2)} : x$.

4) Jam vero eſt quoque $fH : gH = Kf : Wg$ (n. 2), ergo $\frac{rl}{\surd(f^2 + l^2)} : x = \frac{qx - p\surd(r^2 - x^2)}{x}$,

$$\frac{qx\surd(f^2 + l^2) - p\surd(f^2 + l^2)(r^2 - x^2)}{rl} = Wg.$$

Q. E. I.

Problema IX.

XXXVI. Data poſitione puncti radiantis e, & angulo $bfg = x$, quem planum reflectens Agf cum fundamentali Abf includit, invenire altitudinem oculi Q, ut radius reflexus eum attingere poſſit.

Solutio.

1) Sit $Pe = \delta$, ergo, quia $ge : Pe = Wg : QP$ (per *Demonſtr.* §. XXXII) erit $\surd(f^2 + l^2) : \delta =$

$$\frac{qx\sqrt{(ſ^2+l^2)}-p\sqrt{(ſ^2+l^2)(r^2-x^2)}}{rl} : QP = \frac{q\delta x - p\delta\sqrt{(r^2-x^2)}}{rl} \text{ (§. XXXV).}$$

2) Quia angulus incidentiæ *ePS* angulo reflexionis *QPR* eſt æqualis (§. II), & anguli ad *R* & *S* recti, erit $Pe : eS = PQ : QR$.

3) Ergo, ſi valores *QR*, *eS*, ex §. *XXII* & *Cor. I* ſubſtituantur, habebitur

$$\delta : \frac{amx - abr + bnr - ad\sqrt{(r^2-x^2)}}{r\sqrt{(a^2+b^2)}} = \frac{q\delta x - p\delta\sqrt{(r^2-x^2)}}{rl} : \frac{apx - abr + bcr + aq\sqrt{(r^2-x^2)}}{r\sqrt{(a^2+b^2)}};$$

4) Ergo $(apx - abr + bcr + aq\sqrt{(r^2-x^2)})\, rl = (amx - abr + bnr - ad\sqrt{(r^2-x^2)})(qx - p\sqrt{(r^2-x^2)})$, vel quia $l = \frac{dx + m\sqrt{(r^2-x^2)}}{r}$ (§. *XXII Cor. II*).

$(apx - abr + bcr + aq\sqrt{(r^2-x^2)})(dx + m\sqrt{(r^2-x^2)}) = (amx - abr + bnr - ad\sqrt{(r^2-x^2)})(qx - p\sqrt{(r^2-x^2)})$, hinc $c = (2aqmx^2 - abqrx + bnqrx + abpr\sqrt{(r^2-x^2)} - bpnr\sqrt{(r^2-x^2)} + adpr^2 - 2adpx^2 + abdrx - 2aqdx\sqrt{(r^2-x^2)} - 2apmx\sqrt{(r^2-x^2)} + abrm\sqrt{(r^2-x^2)} - aqmr) : brdx + bmr\sqrt{(r^2-x^2)}$. Q. E. I.

Scholion.

Poterat quidem ex eadem æquatione, ſi altitudo oculi *c* cognita, inveniri angulus *x*, ſed, quia ſic ad æquationem altiorem devenitur, quæ difficulter reſolvi poteſt, melius hoc ut cognito ſuppoſito, altitudo *c* inde determinatur.

Problema X.

XXXVII. Invenire altitudinem puncti reflectentis *P*, a baſi coni.

Solutio.

Solutio.

1) Quia PG & QW ſunt parallelæ, erit $gn : Pg = On : OQ = Qg + gn : OQ = Wg + gn : QO$ (§. XXXII) id eſt, (§. XXXI) $\sqrt{(f^2 + l^2)} : \frac{(y-n)\sqrt{(a^2+b^2)}}{a}$

$$= \frac{qx\sqrt{(f^2+l^2)} - p\sqrt{(r^2-x^2)}\,(f^2+l^2) + rl\sqrt{(f^2+l^2)}}{rl}$$

$$: QO = \frac{(qx - p\sqrt{(r^2-x^2)} - rl)\,(y-n)\sqrt{(a^2+b^2)}}{arl}$$

(§. XXXV).

2) Quia triangula QWd, Agf, vel Pgl, ſunt ſimilia (§. XXXIV Cor. II), erit $Af : Ag = Qd : QW$, id eſt, $a : \sqrt{(a^2+b^2)} = c - n : \frac{(c-n)\sqrt{(a^2+b^2)}}{a} = \frac{c\tau - \tau n}{a}$ (§. XXXIII n. 1).

3) Jam vero eſt $OW = \frac{Wg.\ bf}{\sqrt{(a^2+b^2)}\,(f^2+l^2)}$ (§. XXXIII Cor. II) & $Wg = \frac{qx\sqrt{(f^2+l^2)} - p\sqrt{(r^2-x^2)}\,(f^2+l^2)}{rl}$ (§. XXXV). Ergo $OW = \frac{fbqx - bpf\sqrt{(r^2-x^2)}}{rl\tau}$.

4) Hinc $OQ = WQ - OW = \frac{rlc\tau^2 - rln\tau^2 - abqfx + abpf\sqrt{(r^2-x^2)}}{arl\tau}$.

5) Æquatis igitur hiſce valoribus OQ (n. 2 & 4) habetur

$$y = \frac{rlc\tau^2 - abqfx + abpf\sqrt{(r^2-x^2)} + qx\tau^2 n - p\tau^2 n\sqrt{(r^2-x^2)}}{qx\tau^2 - p\tau^2\sqrt{(r^2-x^2)} + rl\tau^2}.$$

Q. E. I.

 Corol.

Corollarium I.

Si conus in cylindrum abit, fiet $a = \infty$, hinc $\surd(a^2 + b^2) = a = r$, & $f = \frac{mx - br - d\surd(r^2 - x^2)}{r}$ (*§. XXII n. 13*), hinc $y = \frac{rlc + qxn - pn\surd(r^2 - x^2)}{qx - p\surd(r^2 - x^2) + rl}$.

Corollarium II.

Si linea fundamentalis *bc* ducatur per punctum ſuboculare *d*, quod fieri poteſt, ſi quidem terminus, a quo computatur poſitio oculi & puncti radiantis, eſt arbitrarius, erit $p = dv = o$, hinc $y = \frac{rlc + qxn}{qx + rl}$.

Scholion I.

Si in hac formula ſubſtituatur valor *c*, in *§. XXXVI* inventus, habebitur regula pro omnibus caſibus, in quibus planum reflexionis conum oblique ſecat. Ad ceteros autem caſus, in quibus planum reflexionis tranſit per axem coni, ea applicari nequit. Nam in hoc caſu planum reflexum *QPgW* & incidens *egP* coincidunt. Quod ut in data formula exprimatur, ponendum erit $d = o$ & $fb = d$, angulus $bfg = x =$ ſin. tot. hinc $\surd(r^2 - x^2) = o$, quo facto, lineæ *gf* & *eb* coincidunt. Et, ut etiam *Qd* cadat in planum *Agf*, ponendum $vf = g = o$. Sed, ſi hoc, fiet $l = o$ (*§. XXII Cor. II*), unde tam numerator, quam denominator fractionis, quæ valorem *y* exhibet, ſit nihilo æqualis, ideoque *y* ex hac æquatione determinari nequit. Eodem modo illud etiam oſtenditur de æquatione pro *c*, in *§. XXXVI* inventa. Nam in termino tertio (*n. 3*) tam numerator, quam denominator, eſt nihilo æqualis, ergo iterum nihil determinati inde inferri poteſt.

Scholion II.

Ex hactenus inventis poterat etiam determinari altitudo imaginis in ſpeculis conicis ope formulæ algebraicæ. Sed, quia

Digitized by Google

quia hæc nimis prolixa evadit, (inveniri enim antea debent ex rectis gf, gF, anguloque fgF, anguli gfF & bfF cum recta dM) prætereaque hæcce magnitudo ope conſtructionis geometricæ longe facilius determinatur, licebit, miſſa illa, hanc potius ſequi; hoc modo enim non tantum deſiderata altitudo inveniri, verum etiam imago lineæ radiantis delineari, poterit. Huic conſtructioni vero ſubjungemus formulam univerſalem pro ſpeculis cylindricis, quippe in quibus magnitudo imaginis longe facilius, quam in conicis, reperiri poteſt.

Problema XI.

XXXVIII. Altitudinem imaginis in ſpeculo conico geometrice determinare. TAB. IV Fig. 1.

Solutio.

1) Deſcribatur circulus bgc, cujus ſemidiameter $gf = \frac{ab - bn}{a}$ (§. *XXII n. 5*), & in eo fiat $bfg = x$, $fb = d$, $eb = m$, & ducatur gf, ac puncta g, e, connectantur recta ge, quæ erit $= \surd(f^2 + l^2)$ (§. *XXII Cor. III*).

2) Ducatur tangens Tq puncti g, & fiat $qgM = qge$ (§. *XVI*), ac producatur gM verſus W.

3) Cape $vf = q$, $dv = p$, & per d ducatur WK parallela gf, quæ reſecabit ſubocularem Wg (§. *XXXIV Cor. II*).

4) Fiat $gf : Af = Wd : Qd$, unde etiam habetur Qd (§. *XXXIV*) $= e - n$, quæ jungatur Wd ad angulos rectos, ut habeatur QW.

5) Puncta d & g connectantur recta dg, & conſtruatur triangulum rectangulum Qdg; nam, quia Qd ad totum planum bgc eſt perpendiculare, erit etiam Qd perpendicularis ad dg, unde habetur hypothenuſa Qg, quæ pertinet quoque ad triangulum QWg, quod ob tria latera QW, Wg, gQ, data in plano conſtrui poteſt.

6) Conſtructo igitur triangulo QWg, baſis Wg producatur infinite, & per g ducatur gPA, parallela QW.

7) Fiat

7) Fiat $Og = Wg$ (§. XXXII), & producatur Og in n, ita ut ſit $gn = ge = \sqrt{(f^2 + l^2)}$ (n. 1). Ergo in n eſt punctum unionis (§. III & XXXI).

8) Per oculum Q & punctum unionis n ducatur Qn, quæ in P determinabit punctum reflectens, &, ſi Wg producatur eo usque, ut rectæ Qn occurrat in M, erit gM linea ſectionis (§. XIII & XVI Cor. II), quæ transferatur in planum bge, ut ibi habeatur punctum M.

9) Punctum ſuboculare d jungatur in plano bge puncto M, & ex §. XVII determinetur focus F (§. XIX), qui cum centro f connectatur ope rectæ fF.

10) Conſtruatur triangulum rectangulum QdM, & ex puncto r, in quo dM & fF ſeſe decuſſant (n. 9), erigatur perpendicularis Ir, quæ radio QPM occurrat in I. Hanc dico eſſe deſideratam altitudinem. Q. E. F.

Demonſtratio.

Nihil aliud hic demonſtrandum eſt, quam punctum r, in quo rectæ dM & fF ſibi occurrunt, eſſe idem illud punctum, in quod cadit perpendicularis, ex imagine I ad planum bge demiſſa, quod quidem fiet hoc modo: Omnes perpendiculares, ex linea QPM demiſſæ, transeunt per rectam dM (§. XXXIV), ideoque Ir per eandem rectam tranſit. Jam vero triangulum AfF eſt quoque perpendiculare ad planum bge. Ergo normalis Ir tranſit quoque per baſin ejus fF, conſequenter per punctum r, quod utrique eſt commune. Q. E. D.

Problema XII.

XXXIX. Data natura coni, una cum poſitione oculi Q & angulo bfg, quem planum reflectens Agf cum fundamentali Abf includit, invenire poſitionem lineæ objectivæ ge, quæ tota ab oculo Q videatur in eodem plano $QWgMP$.

Solutio.

1) Deſcribatur circulus bge, æqualis iſti, qui reſecatur in cono ab iſto plano, in quo jacere debet linea objectiva ge, & in illo fiat $bfg = x$, $vf = q$, $dv = p$.

2) Per punctum ſuboculare d ducatur WK parallela gf, & fiat $Qd : Wd = Af : gf$. Ergo, ſi ex W ad g ducatur recta Wg, erit hæc ſubocularis (§. XXXIV Cor. II).

3) Du-

3) Ducatur tangens Tgq puncti g, & fiat $egq = WgT$, quo facto, ducatur eg, quæ erit deſiderata objectiva (§. *XVI Cor. II* & §. *XX*). Q. E. F.

Problema XIII.

XL. Deſcribere curvam, quæ repræſentet imaginem lineæ objectivæ ge. TAB. IV Fig. 3.

Solutio.

1) Ex poſitione oculi Q & lineæ objectivæ ge determinetur angulus $bfg = x$, vel, ſi hic datus ſit, inveniatur inde poſitio objectivæ (§. *XXXVI* & *XXXIX*). Ex hiſce datis inveniatur triangulum QWg ex §. *XXXVIII n.* 4 & 5, & deſcribatur iſtud triangulum in plano.

2) Fiat $Og = Wg$, & producatur Og infinite.

3) Aſſumantur in recta gn pro lubitu puncta ν, N, n, &c. quæ connectantur cum oculo Q ope rectarum $Q\nu$, QN, Qn, &c.

4) Fiat gE, gE, ge, reſpective $= g\nu$, gN, gn, unde ſi E, E, e, aſſumantur pro radiantibus, erunt puncta ν, N, n, puncta reſpondentia unionis (§. *III* & *XXXI*), ideoque rectæ $Q\nu$, QN, Qn, ſunt reflexi radiorum ex E, E, e, in puncta reflectentia π, p, P, incidentium. Hinc in iiſdem rectis etiam videri debent imagines punctorum E, E, e (§. *XVIII*).

5) Datis igitur punctis radiantibus, eorumque diſtantiis a puncto g, poterunt etiam ope formulæ, §. *XVII* datæ, inveniri foci F, f, φ (§. *XIX*), qui erunt omnes in recta gn (§. *XX*).

6) Fiat gA æqualis lineæ reflectenti gA, & parallela lineæ QW. Et ex vertice coni A per focos F, f, φ, ducantur lineæ repræſentantes AF, Af, $A\varphi$, quæ occurrent reflexis $Q\nu$, QN, Qn, in I, I, i. Si igitur hæc puncta inter ſe connectantur, erit curva $gIIi$ imago deſiderata (§. *XVIII*). Q. E. I.

Corollarium I.

Hæc reſolutio generalis eſt, & quadrat etiam ad ſpecula cylindrica. Modo in hoc caſu QW ſit normalis ad Wg, & rectæ AF, Af, $A\varphi$, Ag, inter ſe parallelæ, quia in hoc caſu vertex A infinite remotus eſt (§. *I*).

Corollarium II.

TAB. IV Fig. 4. Si data ſit curva gIi, poteſt inde inveniri quodlibet punctum, v. g. F, lineæ objectivæ, quod in dato puncto repræſentatur. Si enim I ſit iſtud punctum, ducatur per illud recta AF, & ex data diſtantia foci gF quæratur diſtantia puncti radiantis. Nam $obgF = \frac{eg.Ng}{4eg + Ng}$ (*§. XVIII Cor. II*) erit, ſi gF data, $eg = \frac{gF.\ Ng}{4gF + Ng}$. Immo poteſt etiam E inveniri, ſi per oculum $\underline{Q}$, & punctum I, ducitur $\underline{QIN}$, & gF ſit $= gN$ (*n. 3.*).

Corollarium III.

Quia gF nunquam $> \frac{fg}{2}$, licet ge in infinitum accreſcat (*§. XVIII Cor. II*), ſequitur, ut, quamdiu ge ſit valoris finiti, curva gIi contineatur triangulo $gA\Phi$, in quo $g\Phi < \frac{b}{2}$, & quidem ſi ge brevis ſit, differentia diſtantiarum gF, gf, $g\Phi$, ſit fere inſenſibilis, ideoque curva dicta ſine errore ſenſibili pro recta haberi poſſit. Si igitur cupis, ut iſta curva appareat ut recta in partes æquales diviſa, debet tantummodo duci recta AF ex vertice A per focum v. g. F, puncti mediocriter diſtantis, ut E, quæ habeatur pro imagine objectivæ, hic, ſi ea dividatur in partes æquales FI, Ii, & ex punctis diviſionis quærantur puncta radiantia objectivæ per *Cor. II*, habebuntur diviſiones objectivæ, ſi imago ejus in partes æquales diviſa apparere debet. Notandum tamen, ut curvatura fiat eo minus ſenſibilis, requiri, ut linea objectiva Ee paululum a puncto g remota ſit; nam circa iſtud punctum curvatura eſt magis ſenſibilis, quam in punctis remotioribus.


Corollarium IV.

TAB. V Fig. 1. Ex conſtructione curvæ noſtræ apparet, eam tandem tranſire per verticem coni A. Ergo, ſi, oculo v. g. in $\underline{Q}$ conſtituto, ſint duæ objectivæ ge, GE, æqualiter utrinque diſpoſitæ,

Digitized by Google

1. P. I pag. 331 seq.





Digitized by Google

tæ, utraque ab oculo videbitur, & quidem *ge* apparebit ut recta *AF*, & *GE* ut recta *AΦ* (*Cor. III*). Hæ itaque imagines *AF*, *AΦ*, in cono formabunt triangulum quoddam, v. g. *AΦF*.

Problema XIV.

XLI. Deformare imaginem, quæ in ſpeculo conico formoſa appareat. TAB. V Fig. 1.

Solutio.

1) In baſi ſpeculi conici, vel plano, eidem parallelo, *GPg*, ducatur per centrum *f*, & punctum ſuboculare *W* recta *Wf*, & huic jungatur intra circulum *PGg* in puncto quodam, v. g. *R*, recta *ΦF* perpendiculariter, & quæ a recta *Wf* ſecetur bifariam in *R*.

2) Ad extrema hujus lineæ per punctum *W* ducantur *WF*, *WΦ* & horum reflexi *ge*, *GE*, qui erunt conſequenter lineæ objectivæ, & imagines videbuntur in eodem plano, & quidem ut rectæ *AF*, *AΦ* (*§. XX. Schol.* & *§. XL Cor. IV*).

3) Quæratur punctum *K*, ex quo radii egredi debent, ut reflexi a circulo *bgc*, colligantur in *R* (*§. XL Cor. II*), & quæratur punctum *q*, in quo punctum *K* lineæ PB videtur, quod quidem, quia punctum radians *K* eſt in plano reflectente (*n. 1*), fieri poterit per *§. XXV*, deſcriptoque triangulo *AΦF* (= *AΦF* in *n. 1*) ducatur *AR* perpendiculariter in baſin *ΦF*, & fiat *Rq* = *Rq* in *Fig. 1*, ducaturque porro Fig. 2.

4) *lp* parallela *ΦF* per punctum *q*, [illegible] lineæ *Al*, *Aq*, *Ap*, per parallelas *em*, *In*, *Ko*, *lp*, &c. dividantur in quotcunque partes æquales, quæ transferantur in imagines *AΦ*, *AR*, *AF*.

5) Inde quærantur puncta radiantia λ, ζ, η, ε, nec non μ, ν, ξ, *e*, item *K*, *c*, σ, *B*, quorum imagines in dictis diviſionibus videntur, & quod fieri poterit eodem modo, ac in *§. XL Cor. II* & *III*. Fig. 1.

6) Dividatur porro baſis *ΦF* in quotcunque partes æquales, ut *ΦS*, *SR*, *RT*, *TF*, & ex *W* ad puncta diviſionum ducantur *WS*, *WT*, horumque reflexi *vr*, *tw*, & ducantur itidem eorum imagines *AS*, *AT*, & pro punctis diviſionum *a*, *b*, *c*, *d*,

 b, δ,

Digitized by Google

$h, \delta, \epsilon, \theta$, quærantur eodem modo puncta reſpondentia radiantia $\gamma, \beta, \alpha, \upsilon, i, \tau, y, w$.

7) Puncta λ, γ, i, μ, item ζ, β, τ, ν, &c. inter ſe connectantur. Quod ſi fiat, dico, figuram *GEvBwe* apparituram ut triangulum *Alqp* in trapezia diviſam, & imaginem primo in triangulo *Alqp* delineatam, & dein cum craticulis prototypi in craticulas ectypi translatam apparituram formoſam. Q. E. I.

Demonſtratio.

Linearum objectivarum *GE, ge*, nec non *vr, tw*, imagines $A\phi$, *AF, AS, AT*, apparere ut rectilineas, & verſus verticem *A* inclinatas, patet ex *§. XL Cor. IV*, & conſtructione *n. 1* & *6*. Ideoque, quia etiam $\phi S = SR = RT = TF$ apparet (per conſtruct. *n. 6*), ſequitur, ut triangulum $A\phi F$ appareat in triangula æqualia $A\phi S$, *ASR, ART, ATF*, diviſum, id eſt, ut $A\phi F$ in *Fig. n. 2*. Jam vero linea $\lambda\nu Ki\mu$ apparet ut recta *lp*; nam puncta *l, d, q, θ, p*, in eadem recta *lp* aſſumta ſunt, & inde invenimus puncta radiantia λ, ν, K, i, μ, (per conſtr.) & idem valet de ceteris curvis, eodem modo deſcriptis, quæ omnes apparent ut rectæ *Ko, In, em*, ideoque triangulum *Alp* apparet ut *Alp* in *Fig. n. 2*. Ergo, ſi imago depingatur in hoc triangulo, & ſingulæ craticulæ prototypi transferantur in reſpondentes craticulas ectypi, imago deformata ope ſpeculi conici apparebit formoſa. A. E. D.

Corollarium I.

Si lineæ objectivæ *GE, ge*, non ſint ſatis longæ, vel etiam oculus parum elevatus, fieri poterit, ut imagines earum verticem coni non attingant, ſed repræſentent tantummodo trapezium quoddam, v. g. *Ilpn*. Ergo in hoc caſu etiam objectum in trapezio *Ilpn* depingi debet, alias pars iſta, quæ v. g. in ſpatio *AIn* depingitur, ab oculo videri non poterit.

Corollarium II.

Vertice *A* infinite remoto, imago figuræ *EGge* verticem attingere non poteſt, ergo locum tunc habet caſus *Cor. I.* Et, quia tunc rectæ $A\phi$, *AF*, fiunt parallelæ, trapezium *Ilpn* commuta-

mutabitur in parallelogrammum. Ergo eodem modo etiam pro ſpeculo cylindrico imago deformari poteſt.

Scholion.

Quo magis linea φF a peripheria GPg recedit, eo magis quoque recedit punctum medium R, &, quo magis hoc recedit, eo magis removetur etiam punctum K, quippe cujus focus eſt in R, &, ſi $PR = \frac{1}{2}\, Pf$ punctum K erit infinite remotum (*§. XVIII Cor. II*). Ergo punctum R non debet nimis a puncto P removeri, quia alias imago in plano depingi nequit. Quia tamen punctum K apparet eo altius elevatum, quo magis idem a ſpeculo remotum eſt (*§. XXV*), curvatura autem imaginis Aq fit eo minus ſenſibilis, quo propius imago ad verticem A accedit (*§. XXV Cor. I*), linea φF debet ita duci, ut neque nimis propinqua ſit peripheriæ bPc, neque nimis ab eadem remota. Et hinc, ſi imago accurata apparere debet, non poterit triangulum Alp ipſam baſin attingere, quia alias curva $\lambda\nu K i\mu$ cadere deberet in ipſam peripheriam Grg. Et hæc eſt ratio, cur imaginem regularem Alp non computaverimus in *n.* 4 ab ipſa baſi φF, ſed demum a linea lp, quæ eſt imago curvæ $\lambda K\mu$. Ceterum, quæ de diſtantia puncti R monuimus, ea valent quoque de longitudine lineæ φF.

Theorema XVII.

XLII. Si in ſpeculo cylindrico oculus eſt in baſi in e, & objectum QW eidem perpendiculariter inſiſtit, erit compoſita ex ſuboculari ge, & objectiva Wg ad altitudinem objecti QW, ut compoſita ex eadem ſubocularì ge & diſtantia foci $g\varphi$ radiorum, ex W egredientium, ad altitudinem imaginis $i\varphi$. TAB. IV Fig. 5.

Demonſtratio.

Ponatur primo oculus in Q, & perpendicularis QW, ex illo demiſſa, tranſeat per radium Wg, ex g reflexum. Ergo ge erit objectiva, & Wg ſubocularis (*§. XIX Schol.*), ideoque tota linea ge videtur ab oculo (*§. cit.*). Sit Pe ultimus radius, ex eg egrediens, & ex P in Q reflexus, qui continuatus in M, ſubocularì Wg, in M continuatæ, ibidem

rat. Ergo triangula PgM & Pge ſunt æqualia (§. XXXI & I Cor.) ideoque $gM = ge$, &, quia ob parallelas Pg, QW, eſt $gM : Pg = WM : QW$, erit etiam $ge : Pg = Wg + ge : QW$. Jam ponatur oculus in e, & QW ſit objectum radians. Ergo etiam Wg & QP reflectuntur in e, & manet quoque $ge : Pg = Wg + ge : QW$. Sit focus radiorum, ex W egredientium, in φ, ergo, quia linea repræſentans tranſit per illum focum & verticem A infinite remotum, erit $i\varphi$ quoque perpendicularis ad rectam φe, hinc parallela Pg, unde $ge : Pg = \varphi e : \varphi i = \varphi g + ge : \varphi i$, ideoque $Wg + ge : QW = \varphi g + ge : \varphi i$. Q.E.D.

Corollarium I.

Eodem modo demonſtratur, ſi oculus ſit in Q, & punctum radians in e, eſſe compoſitam ex ſuboculari Wg & linea objectiva ge ad altitudinem oculi QW, ut differentia lineæ objectivæ ge & diſtantiæ foci gF ad altitudinem imagis IF, id eſt, $Wg + ge : QW = ge - gF : IF$. Si igitur $ge = \sqrt{(f^2 + l^2)}$ (§. XXII Cor. III) $Wg = \frac{qx\sqrt{(f^2+l^2)} - p\sqrt{(r^2-x^2)}\,(f^2+l^2)}{rl}$ (§. XXXV) & $gF = v$ (§. XVII) erit $\frac{qx\sqrt{(f^2+l^2)} - p\sqrt{(r^2-x^2)}\,(f^2+l^2)}{rl}$:

$$e = \sqrt{(f^2+l^2)} - v : IF = \frac{crl\sqrt{(f^2+l^2)} - vcrl}{qx\sqrt{(f^2+l^2)} - p\sqrt{(r^2-x^2)}\,(f^2+l^2)}.$$

Vel, quia etiam $gM : Pg = WM : QW$, erit quoque $ge : Pg = ge - gF : IF$, id eſt, $\sqrt{(f^2+l^2)} : y = \sqrt{(f^2+l^2)} - v : \frac{y\sqrt{(f^2+l^2)} - vy}{\sqrt{(f^2+l^2)}} = IF = \frac{rlc\sqrt{(f^2+l^2)} + qxn\sqrt{(f^2+l^2)} - vrlc - qnxv}{qx\sqrt{(f^2+l^2)} + rl\sqrt{(f^2+l^2)}}$ (§. XXXVII Cor. II.)

Corollarium II.

Quia ex analogia in *Cor. I* inventa eſt $IF = \frac{QW.ge - gF}{Wg + ge}$, &

& $Wg + ge = Wg + gM$ (per *Dem.*) $= WM$, nec non $ge - gF = gM - gF \pm FM$, ideoque $ge - gF < Wg + ge$, erit quoque $\frac{ge - gF}{Wg + ge} < 1$, hinc altitudo imaginis IF ſemper eſt minor altitudine oculi QW, ſi agatur de cylindris convexis. In concavis autem fieri poteſt, ut focus F ſit poſt ſuperficiem cylindri, ideoque loco $ge - gF$ ponendum $ge + gF$, unde $IF = \frac{QW \cdot ge + gF}{Wg + ge}$. Fieri igitur poteſt, ut altitudo imaginis ſit major altitudine oculi. Idem quoque valet de eo caſu, in quo oculus eſt in e & QW objectum; quia tunc eſt $i\varphi = \frac{QW \cdot \varphi g + ge}{Wg + ge}$, ſequitur, ut, ſi $\varphi g < Wg$, etiam ſit $i\varphi < QW$, id eſt, ut imago minor appareat ipſo objecto. Cum igitur in cylindris concavis fieri poſſit, ut ſit $\varphi > Wg$ (§. *XIX*), patebit quoque, imaginem tunc apparere poſſe majorem objecto radiante.

Scholion.

Poterat hæc formula etiam alio modo ex natura conorum demonſtrari. Eſt enim in conis $gM : Pg = WM : QW$, & $rM : Ir = dM : Qd$ (§. *XXXIV Cor. II* & *III*), ſive $lM - lr : Ir = dl + lM : Qd$. Ponamus jam, ex cono fieri cylindrum, & verticem A in infinitum removeri. Ergo ob PN ad Ag normalem, fiet PN parallela gN. Jam vero cathetus eS parallelus eſſe debet catheto PN, ſunt enim ad unum idemque planum perpendiculares. Ergo, quia e eſt in plano bgc, erit etiam eSn in eodem plano, & punctum n cadit in M, unde $gn = gM = ge$ (§ *XXXI*). Porro, quia Ag & Af parallelæ, erit planum QWM ad planum bgc normale, ideoque QdM & QWM coincidunt, & ſit $dl = Wg$, $lr = gF$, $lM = gM = ge$, nec non perpendiculares Qd, Pl, Ir, cadant in rectas QW, Pg, IF, fient hæ quoque æquales. Hiſce ergo in analogia modo inventa ſubſtitutis, habebitur $ge - gF : If = Wg + ge : QW$, unde

$$IF = \frac{QW \cdot ge - gF}{Wg + ge}.$$

Pro-

Problema XVI.

TAB. V Fig. 3. *XLIII.* Delineare imaginem rectanguli *VZYT*, baſi cylindri perpendiculariter inſiſtentis, ſi oculus eſt in eadem baſi.

Solutio.

1) Sit *DCBA* baſis cylindri, & oculus in *O*.

2) Ex *O* ducantur quotcunque radii *AO*, *BO*, *CO*, *DO*, horum reflexi *AY*, *BP*, *CR*, *DT*, & ex punctis *Y*, *P*, *R*, *T*, concipiantur erectæ perpendiculares *ZY*, *QP*, *SR*, *VT*, quæ aſſumantur pro lineis radiantibus.

3) Quærantur foci *K*, *M*, *W*, *N*, radiorum ex punctis *Y*, *P*, *R*, *T*, in puncta *A*, *B*, *C*, *D*, incidentium (*§. XVII*), & per iſta puncta ducatur curva *KMWN*, quæ erit imago rectæ *YPRT* (*§. XVIII Schol.*).

4) Ex objectivis *YA*, *PB*, *RC*, *TD*, & reſpondentibus diſtantiis focorum ab ſubocularibus quærantur magnitudines imaginum *IK*, *LM*, *FW*, *XN*, quæ reſpondeant perpendicularibus *ZY*, *QP*, &c. (*§. XLI*).

5) Et erectis hiſce imaginibus perpendiculariter ſuper linea *KMWN* habebitur planum curvilineum *NWMKILFX*, repræſentans rectangulum *VTYZ*. Q. E. I.

Corollarium.

Quia perpendiculares *IK*, *LM*, &c. eriguntur in focis radiorum, ex *Y*, *P*, *R*, *T*, egredientium (*n. 3*), hi foci autem ſemper cadunt intra ſpeculum, uti ex *§. XVII* facile apparet, ſequitur, ut etiam tota imago appareat intra ſpeculum cylindricum convexum, quod etiam confirmat experientia.

Scholion generale.

Atque hæc quidem ſunt, quæ circa theoriam Speculorum cylindricorum & conicorum tentaminis loco in præſenti monenda duximus. Quodſi, operas meas qualescunque, ſicuti adhuc, ita etiam in poſterum, rerum peritis haud ingratas eſſe, intellexero, ſtimulum hoc mihi addet, in poſterum etiam altius in theoriam hancce penetrandi, eamque opere paulo ampliore pertractandi, in quo præſertim caſus, quos brevitatis ergo hic negligi oportuit, evolventur, ceteraque, & præcipue doctrina de deformatione imaginum, reddentur dilucidiora.

✲ ✲ ✲

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Junii Anno MDCCL.

Pars II.

RAGIONI DELLA SEDE APOSTOLICA SOpra il Ducato di Parma e Piacenza, &c.

hoc eſt,

DEMONSTRATIO JURIUM SEDIS APOſtolicæ in Ducatum Parmenſem & Placentinum.

Volumina IV.

Sine mentione loci, 1741, 4 maj.
Alph. 9 plag 11.

Cum dominium eminens in Parmæ & Placentiæ Ducatus, quo Imperium Romano-Germanicum fruitur, firmiſſimis nitatur fundamentis, atque a viris doctis tam evidenter demonſtratum fuerit, ut cauſa omni ex parte perorata videatur; haud parum mirati ſumus, extitiſſe aliquem, qui jura hæc Imperii invadere, & curiæ Apoſtolicæ dominium in illas regiones aſſerere, haud dubitaret. Nomen iſtius hominis incompertum nobis eſt; at ex Præfatione, quam librarius Operi præmiſit, intelleximus, Advocatum aliquem harum lucubrationum Autorem eſſe dicendum. Et ſane, ex cau-

Digitized by Google

ſarum patroni, Juris civilis, & rationis litium in foro tractandarum, aliqua quidem notitia imbuti, hiſtoriæ autem & rerum, quæ ad jura Principum ſpectant, imo & artis ratiocinandi, haud ſatis periti, adeoque huic operi neutiquam paris, ingenio hæc ſcripta proficiſci, ipſa eorum inſpectio affatim comprobat. In varia ſcilicet *Capita*, ſive, uti Autori vocantur, *Partes*, opus ſuum diſpeſcuit. Et in *prima* quidem probare annititur, curiam Romanam poſſeſſione horum Ducatuum injuſte ſpoliatam eſſe. *Altera Pars* fœderis Londinenſis injuſtitiam accuſat, idque a diſſentientibus in partes vocari poſſe, negat. *Tertia Pars* rem judicatam crepat, qua jura Pontificum Autor confirmari putat. *Parte quarta* quamplurimi actus dominii eminentis, quos curia Romana poſt *Julii II* Pontificatum exercuit, ediſſeruntur. In *quinta Parte* objectiones, quæ afferri contra hæc poterant, Autor confutare annititur. Argumenta, quibus defenſores jurium imperii utuntur, in *Parte ſexta* idem aggreditur. *Septima Pars* documenta dominii eminentis, *Julio II* antiquiora, proponit. In *Parte octava* titulum, quo jura Sedis Apoſtolicæ in dictas regiones nituntur, Autor demonſtrare fatagit. *Nona* denique *Pars*, longam poſſeſſionem, adeoque præſcriptionem, pro Pontifice Romano adduci poſſe, urget. Utque nec effata JCtorum præclaræ huic demonſtrationi deeſſent, *decima* & ultima *Pars* ſententias eorum, quos ſecum facere Autor credit, complectitur. Cujus igitur pretii iſthæc Autoris cogitata ſint, ut appareat, potiora ejus contenta nunc afferemus. Certe, ſi juſtum ordinem ſecutus eſſet Autor, initio ſtatim ipſi fuiſſet probandum, dominium horum Ducatuum ad Sedem Apoſtolicam ſpectare. At enim vero illud ipſum, quod inprimis in controverſiam venit, fundamenti loco, & tanquam indubitatum axioma, is poſuit. Cum igitur in tabulis inveſtituræ even tualis, in favorem *Caroli*, Hiſpaniæ Principis, anno hujus Seculi XXIII confectis, legiſſet, dominium utile harum regionum Principi iſti promiſſum eſſe, *abſque ullo damno, aut præjudicio, ſalvaque per omnia Principum, qui dictos Ducatus in præſens obtinent, poſſeſſione*, his quidem verbis Sedis Apo-

Apoſtolicæ jura fuiſſe ſtabilita, ſibi perſuadet. Ubi ergo, poſt mortem Ducis *Antonii*, Imperator, jure ſuo uſus, militari manu poſſeſſionem Parmæ & Placentiæ usque ad adventum *Caroli* Hiſpanici, & ad jura viduæ prægnantis defendenda, occupavit, eam quidem rem Autor pro ſpolio & injuſta invaſione reputat. Cumque Juris Canonici oracula dictitent, *ſpoliatum ante omnia eſſe reſtituendum*, hinc, Sedi Apoſtolicæ poſſeſſionem horum Ducatuum ſtatim, & antequam de dominio ulterius diſputetur, concedendam eſſe, & Pontificem in *poſſeſſorio*, quod aiunt, *ſummariiſſimo* vincere, concludit. Ex eodem, quod poſuit, fundamento contra iniquitatem fœderis Londinenſis, A. 1718 confecti, quatenus hoc argumentum tangit, valde declamat, illudque pro injuſto, irrito, & nullo, reputat. Noviter enim ibi a Principibus, quibus nullum jus in iſtos Ducatus competebat, dominium eorum eminens Imperio conceſſum eſſe, ſibi perſuadet. Quam parvi ſint ponderis, & quantum a veritate abhorreant, quæ Autor hic profert, nemini ignotum eſſe poteſt, qui verba *Articuli quinti* iſtius Fœderis unquam inſpexit. Tantum certe abeſt, ut dominium eminens harum regionum Imperio tunc demum a partibus, in fœdere comprehenſis, datum fuerit, ut illud ipſum jus, temporum injuria obliteratum, denuo ſtabilitum, & integritati ſuæ reſtitutum, fuerit. Quæ de natura & indole dominii eminentis Autor hac occaſione in ſequentibus diſputat, cum non adeo magni momenti videantur, merito præterimus. Verum aliud quoddam telum, in bellis advocatorum profecto terribile, contra diſſentientes is vibrat. Rem judicatam ſcilicet, quæ, prout adductis ex Corpore Juris civilis textibus comprobat, *pro veritate accipitur*, jura Pontificis extra omnem dubitationem ponere, contendit. Mirum hoc certiſſime videbitur Lectoribus, neque, quomodo res judicata locum hic habere poſſit, hi fortaſſe intelligent. Verum res ita ſe habet. Cum poſt obitum Ducis Parmenſis *Antonii* hæc controverſia inprimis agitaretur; *Clemens XII*, literis ad pleroſque Europæ Principes, eorumque præcipuos miniſtros, datis, injuriam, quam ſibi & curiæ Romanæ illatam eſſe credebat,

Pag. 3. 6. 7. 77. 107.

Digitized by Google

bat, vehementer quiritatus eſt. Omnes, uti facile eſt ad exiſtimandum, perquam humaniter reſponderunt, ſeque omnem operam adhibituros eſſe, ut jura Sedis Apoſtolicæ ſarta tecta conſervarentur, teſtificati ſunt. Literas illas, quarum inſignem numerum Autor exhibet, tanquam ſententias judiciales ille conſiderans, rem judicatam producere, ſibi lepide perſuadet; quod ſatisne vere dicatur, ex eo, quod in controverſiis illuſtribus nemo judicis officio fungi poſſit, facile intelligitur. Præterea in his ipſis literis nullus illorum Principum, certe pauciſſimi, & hi quidem clericali munere ornati, jus, de quo agitur, Pontifici Romano diſertis verbis aſſerunt. Et, quamvis etiam aſſeruerint, eos tamen urbanitati erga ſanctum Patrem aliquid dediſſe, adeoque ex effatis illis nihil probari poſſe, palam eſt. Paulo majoris momenti eſſe videntur, quæ in *Parte quarta* ad ſtabiliendam ſuam ſententiam Autor in medium profert, quando, inde a Pontificis *Julii II* temporibus, usque ad extinctam *Farneſiorum* domum, curiam Romanam innumeros dominii eminentis actus exercuiſſe, & ſub lege annui canonis terras illas Ducibus conceſſiſſe, commemorat, probationis loco plurima hanc in rem documenta afferens. Quamvis autem laudanda hic utique ſit Autoris diligentia; vere tamen dici poteſt, fruſtra tanto ſtudio ab eodem probari, quod nemo diſſentientium negaverit. Quamvis enim hæc omnia ita ſe habeant; nullum tamen jus curiæ Romanæ in illas terras inde exſculpi poteſt, cum, contradicente Imperio, illud ipſum violento modo peregerint Pontifices. Certe, ubi Galli ex Italia A. 1512 pulſi erant, *Julius II* civitates Parmam & Placentiam, tanquam Ravennatenſis Exarchatus membra eſſent, præter omne jus ad ſe rapuit, unde Rex Arragoniæ pariter ac Imperator *Maximilianus* illico ſtatim vehementer contradixerunt, uti *Guicciardinus* in *Hiſtor. Ital. Lib. X & XI* commemorat. Neapolitanus poſtea Pro-Rex, eodem *Guicciardino l. c.* teſte, Placentiam atque Parmam ſub Mediolanenſium Ducum poteſtatem, ad quos quippe jam antea pertinuerant, redire coegit. Brevi quidem tempore interjecto, utramque civitatem curiæ Romanæ Imperator conceſſit,

illud

illud autem *ſalvo jure Imperii* factum eſſe, adeoque dominium eminens ſibi reſervaſſe Imperatorem, monumenta publica loquuntur. Vid. *Struvii Syntagm. Jur. publ. Cap. II §. 12 pag. 36.* Cum poſtea *Paulus III* filio ſuo, *Aloyſio Farneſio*, utramque urbem, titulo Ducatus, ſub annuo 9000 aureorum cenſu, in feudum daret; *Carolus V* non ſolum illico contradixit, jusque Imperii ſibi & ſucceſſoribus hac ratione ſervavit, teſte *Thuano Lib. IV*, verum, cum deinceps Duci *Octavio, Caroli V* genero, iſtæ regiones darentur, jura iterum Imperii diſertis verbis reſervata ſunt, prout laudatus ſupra *Thuanus Lib. XVII* commemorat. Ex quibus dictis prono fluit alveo, Pontifices dominium eminens iſtorum Ducatuum per vim uſurpaſſe quidem, Imperio autem, quod juribus ſuis nunquam renuntiavit, nihil derogaſſe. Plurimæ profecto turbæ, quibus Germania agitata eſt, fecerunt, ut Imperatores, juris ſui in iſtas terras minus memores, curiæ Romanæ cœptis haud reſiſterent, usque dum circa præſentis Seculi initium, re curatius perpenſa, majeſtas Imperii in iſtis Ducatibus priſtino ſplendori reſtitueretur. Sed, cum nihilo ſecius, dominium Pontificis eminens egregie a ſe demonſtratum eſſe, Autor crederet, ad exceptiones, quæ opponi poterant, diſcutiendas pedem promovit, eique negotio *Pars* hujus Operis *quinta* deſtinata eſt. Cum nimirum diſſentientes urgeant, fœdus, inter *Julium II, Ferdinandum Catholicum*, & rempublicam Venetam, adverſus Gallos initum, duntaxat Bononiæ & Ferrariæ recuperandæ cauſa concluſum eſſe; Autor ex *Guicciardino* nos docet, Papam iſtum de regionibus, ad Eccleſiam pertinentibus, recuperandis ſummo ſtudio cogitaſſe, ideoque ſocietatem cum aliis Principibus iniiſſe. Inter has terras Parmam & Placentiam quoque fuiſſe comprehenſam, ſibi perſuaſit, ex ſententia Autoris, Pontifex. Etiamſi hæc precario, & præter omnem probationem, affirmet Autor, adeoque more ſuo illud pro certo ſumat, quod dubium eſt; dabimus tamen, *Julio II* illam ſediſſe mentem, cum Romanæ curiæ ſemper familiare fuerit, quibuscunque modis bona ſua adaugere. Interim tamen, rectiſſime a diſſentientibus affir- Pag. II.

 mari,

mari, ſocios *Julii II* neutiquam ita ſenſiſſe, neque dominium Parmæ & Placentiæ Pontifici tribuiſſe, contendimus, cum ipſemet *Guicciardinus*, quem tamen Autor impenſe laudat, diſertis verbis *Lib. XI* pronuntiet, Regem Arragoniæ tunc vehementer conqueſtum eſſe, *quod Pontifex ea, quæ manifeſte ad alios ſpectent, occupaverit.* Ipſum quidem hunc *Guic-*
Pag. 13. *ciardini* locum Autor in medium profert, pro egregio tamen, quem ubique adhibet, ratiocinandi modo, querelas Regis Arragoniæ vanas fuiſſe, cum jus Pontificis in iſtas terras certum & indubitatum ſit, pronuntiat. Imo, ipſum Imperato-
15. rem *Maximilianum* jus curiæ Romanæ in iſtas terras pro certo & fundato habuiſſe, cum easdem Sedi Apoſtolicæ ſolenniter conceſſerit, audacter aſſeverat. Multis inde verbis de hac ipſa ceſſione Autor diſputat, &, cauſam jam peroratam eſſe, credit, quamvis univerſa ejus ratiocinatio illico corruat, ſi quis contra dixerit, ſalvo jure Imperii hanc ipſam ceſſionem eſſe factam, prout ex *Ludovici Cavitellii Annalibus Cremonenſibus* jam dudum probaverunt eruditi. Ex quo ſimul apparet, quam contra veritatem Autor tradat, *Maximiliano* plene fuiſſe perſuaſum, nullum jus Imperio in
19. Parmam & Placentiam competere. Fruſtra etiam capita fœderis, cum *Julio II* initi, in partes ſuas Autor trahere laborat, cum, omnia, ibi a Cæſare promiſſa, ſalvo jure Imperii intelligenda eſſe, ex ſupra diſputatis pateat. Etiamſi vero
31. non negemus, dictos ſæpe Ducatus, *Leoni X* a *Carolo V* iterum fuiſſe ceſſos, illud tamen ea conditione factum eſſe, ut iisdem juribus, quibus antea ea obtinuerat curia Romana, poſſiderentur, *Guicciardinus Lib. XIV* teſtatur. Idem vero de ceſſione, ab eodem *Carolo V* in coronatione Bononienſi peracta, dicendum eſt, ubi quidem, rationes, quas ſacrum Romanum Imperium in iſtos Ducatus habet, ſalvas manſiſſe, ipſa
41. ceſſionis verba, ab Autore allata, affatim loquuntur. Fruſtra is ſe in omnes partes torquet, illisque verbis alium affingere ſenſum laborat, cum omnes ſcriptores iſtius temporis, ab ipſomet Autore citati, in eo conſentiant, hoc pacto dominium eminens in dictos Ducatus Imperio reſervatum eſſe. Inſigni vero

vero audacia eorum omnium fidem, horumque verborum interpretationem, exagitat, magnoque conatu alia omnia exſculpere ex illis verbis conatur, prudenti & candido lectori parum ſe probatura. *Paulum III Aloyſio Farneſio* Parmam & Placentiam in feudum dediſſe, ſatis quidem in propatulo eſt, illamque ipſam inveſtituram pro invicto dominii eminentis Pontificum argumento curiæ Romanæ ſectatores venditant. Cum autem appoſite a diſſentientibus excipiatur, *Paulum III* tunc temporis Imperatorem imploraſſe, ut *Petro Aloyſio* itidem dominium utile horum Ducatuum concederet, Imperatorem vero id facere recuſaſſe; Autor, huic exceptioni obviam iturus, primo quidem ſcriptorum, qui illud tradunt, fidem, labefactare tentat, poſtea autem, cum facile videret, non poſſe hoc factum contra tot ſcriptorum teſtimonia negari, aliud telum in adverſarios vibrans, non ſolum negat, ipſum Pontificem petiiſſe Imperatoris inveſtituram, ſed a *Petro Aloyſio* duntaxat id factum eſſe, verum etiam exinde ipſa Imperii jura impugnari poſſe, confidenter aſſeverat. *Carolum V* ſcilicet, ſi perſuaſum ei fuiſſet, jus aliquod ſibi in illas terras competere, non denegaturum fuiſſe *Petro Aloyſio* inveſtituram, ut nempe actum dominii eminentis exerceret, contendit, quod cum non fecerit, eum tacite Sedis Romanæ jura approbaſſe, hinc concludit. Quam parum tribuendum ſit huic Autoris ſententiæ, unusquisque, vel nobis tacentibus, intelligit, cum *Carolus V*, qui in literis, alio tempore ad Papam *Clementem VII* datis, quæ inter *Goldaſti Statuta & Reſcripta Caroli V*, nec non in *Tomo III Conſtitut. Imper.* leguntur, majeſtatem Imperii admodum ſtrenue & diſertis verbis defenderat, *Petro Aloyſio* inveſtituram iſtarum civitatum denegando, auſibus curiæ Romanæ, quæ jura ejus ſuprema hoc pacto invadere, ipſique vaſallum inviſum obtrudere, moliebatur, reſtitiſſe, profecto dicendus ſit. Sed nondum ſatis eſt talium dictorum. Autor enim, ubi poſtea vel invitus concedere compellitur, ipſum *Paulum III* inveſtituram iſtorum Ducatuum pro *Aloyſio Farneſio* ſibi expetiiſſe, contendit tamen, illud ex mera urbanitate, & ut inveſtitura Papalis confirmaretur,

Pag. 77.

tur, factum eſſe, neutiquam vero aliquod jus Imperio hac ratione tribui. Diſcere profecto ab Autore vellemus, quisnam,
Pag. 80. præter dominum directum, inveſtituram alicujus regionis alteri poſſit concedere; & quid, inveſtituram ab aliquo petere, aliud ſit, quam dominium ejus eminens agnoſcere. Quando autem ulterius inſiſtit Autor, &, Pontificem inconſulto Cardi-
81. nalium collegio nihil potuiſſe juribus Eccleſiæ detrahere, dictitat, nemo non videt, principii petitionem, quæ Autori admodum familiaris eſt, hic committi, & nos contra firmiori longe fundamento concludere, Imperatorem, ſi vel maxime jura ſua Romano Præſuli cedere ſecum conſtituiſſet, inconſultis tamen Imperii ordinibus hoc facere non potuiſſe. In *ſexta* operis *Parte* adverſus argumenta, quibus diſſentientes ad iura Imperii in illas terras demonſtranda uti ſolent, Autor calamum ſtringit. Cum non tam rationibus, quam conviciis, pugnare, ipſi ſolenne ſit, ea quidem argumenta, ſtatim ſub initium hujus *Partis*, *rancida* & *frivola* dicere, non erubeſcit. Ut aliquam eruditionis ſpeciem præ ſe ferret, multus deinde eſt in eorum ſententia explodenda, qui, Imperatorem Romanum univerſi orbis dominum eſſe, dicunt, & exinde jura Imperii defendunt. Quod cum nemo ſanus hodie amplius affirmet, laborem vanum, & prorſus inutilem, hoc pacto Autor ſuſcepiſſe dicendus eſt. Univerſam Longobardiam *Carolo M.* ejusque ſucceſſoribus paruiſſe, quidem concedit; inde autem neutiquam ſequi, Parmam itidem & Placentiam, quantumvis ad Regnum Longobardicum pertinentes, horum Principum dominio fuiſſe ſubjectas, urget, & diſſentientibus acerrimam dicam ſcribit. Illuſtrat eam rem exemplo Comitatus Avenionenſis, qui, quamvis partem Galliæ conſtituat, Sedi Romanæ tamen ſubjectus ſit. Jam vero illum ipſum Comitatum hodie Pontificibus parere, (jure, an injuria, non diſputamus,) in aprico eſt, &, ſi de Ducatibus, qui in controverſiam deducuntur, idem conſtaret, res Autoris ſalva foret. Nunc autem nos tam diu pro certo habemus, terras illas eundem cum reliqua Longobardia habuiſſe dominum, usque dum contraria ſententia evidenter comprobetur. Cum, *Juliano*, Epi-

Digitized by Google

Epiſcopo Placentino, juriſdictionem *curtis Guſanæ*, his ipſis in regionibus ſitæ, a *Carolo M.* conceſſam eſſe, Autor legiſſet, illam quidem conceſſionem a dicto Principe tanquam *advocato Eccleſiæ Romanæ* profectam eſſe, hariolatur. Probationis loco neminem, niſi *Fontaninum*, eruditum quidem illum, ſed curiæ Romanæ deditiſſimum, & purpuram Apoſtolicam ambientem, adducit, cujus certe teſtimonium, cum minime etiam hominis coævi ſit, parum apud nos habet roboris. Eodem telo aliud argumentum, a juriſdictione, quam Cæſar A. 830 Parmæ legitur exercuiſſe, petitum, Autor oppugnat. Quamvis enim ipſam rem in dubium vocare non conetur; Imperatorem tamen, tanquam advocatum Eccleſiæ Romanæ, adeoque nomine Pontificis, jus inter Parmenſes dixiſſe, velut ex tripode, & ſine omni fundamento, pronuntiat. Multa hac occaſione de dignitate Patriciatus Imperatorum, quamvis non ex omni parte vera, diſputat, unde quamvis appareat, in terris Italiæ, Pontifici nunc ſubjectis, *Pipinum* & *Carolum M.* ante ſuſceptum diadema Imperiale, tanquam Patricios, jus dixiſſe, (ubi enim Imperialis dignitas acceſſit, Patricii nomen evanuit,) inde tamen neutiquam ſequitur, eosdem in tractu Parmenſi illud jus eodem titulo exercuiſſe, quod profecto tanquam Reges Longobardici, ad quos Parma & Placentia pleno jure ſpectabat, fecerunt. Quin, ſi fingas etiam, vera eſſe, quæ Autor tradit, dominium certe eminens, de quo inprimis agitur, illico exinde probari poteſt, cum auguſtum Patriciatus faſtigium hoc ſecum tulerit, quod poſtea Imperiali dignitati proprium factum eſt. Ne longiores ſimus, quam neceſſe eſt, monuiſſe ſufficiat, Autorem ex ficto illo & aſſumto principio plurima dominii Imperatorum in iſtas terras documenta in dubium vocaſſe, unde facile liquet, quam infeliciter contra diſſentientes pugnet, & quam facilis ſit reſponſio. Quamvis etiam in *Annalibus Metenſibus* ad A. 881 legatur, *Carolo Craſſo*, Romam venienti, *omnes Italorum Epiſcopos* præter Pontificem jusjurandum fidelitatis præſtitiſſe, quod ſane teſtimonium evidentiſſime nobis videtur comprobare, Ducatus, de quibus ſermo eſt, Imperatorum poteſtati tunc temporis

Pars VI pag. 7. 9.

13.

fuiſſe ſubjectos; Autor tamen, in alia omnia diſcedens, ſub
nomine *Italorum Præſulum* non omnes iſtius regni Epiſco-
pos comprehendi poſſe, contendit. Inde enim ſequi, etiam
Neapoleos & Siciliæ Epiſcopos tunc præſentes fuiſſe, urget.
Pag. 25. Ex parte quidem vera ſunt, quæ Autor hic tradit. Neapo-
lin enim a Græcis, Siciliam a Saracenis, tunc fuiſſe poſſeſſam,
novimus. Interim tamen miramur, eruditum illum Advo-
catum, cui omnia Juris civilis brocardica in promtu ſunt, non
cogitaſſe tritum illud: *Exceptio in caſibus non exceptis firmat*
regulam. Siciliæ profecto & Neapoleos Epiſcopis, quin &
Pontifice Romano, exceptis, omnes Italorum Præſules, jureju-
rando interpoſito, Imperatori fidelitatem promiſiſſe, Annales
citati pronuntiant, ut adeo Parmæ & Placentiæ antiſtites ex
illo cenſu nullo modo eximi poſſint. Verum ad conſueta
ipſi latibula Autor poſtea confugit, & omnia, quæ ad rem per-
tinere videbantur, pro arbitrio fingit, Patriciatum nempe Ro-
26. manum nobis venditans. Epiſcopos Parmenſes, ſi vel
maxime juraſſent, illud intuitu cujusdam feudi, quod
extra illos Ducatus in Longobardia poſſidebant, feciſſe, ſine
31. omni fundamento ponit. Violenter, & præter jus, illud
fidelitatis ſacramentum ab Epiſcopis fuiſſe extortum, exiſti-
mat, imo, illud tacitam habuiſſe conditionem, *ſalvo jure Pon-*
32. *tificis*, ſibi perſuadet, quæ omnia, cum precario & citra pro-
bationem afferantur, nullius momenti eſſe, nemo non videt.
Ottonem III Sigfrido, Epiſcopo, jurisdictionem in urbem Pla-
centiam conceſſiſſe, non quidem Autor negat, at, ſimilia ab
aliis Imperatoribus, in terris, Pontifici certiſſime ſubjectis,
73. perpetrata eſſe, urget, ignarus ſcilicet, easdem terras, quarum
dominio utili ex Imperatorum conceſſione Pontifices frue-
bantur, majeſtatem Imperii veneratas eſſe. Sed eadem ratio-
ne ad argumentum, a *Conradi Salici* temporibus depromtum,
reſpondet. Expugnationem enim & vaſtationem urbis
Parmenſis, ab iſto Imperatore, cujus dapifer a rebellibus in-
colis erat occiſus, immiſſam, nihil ad probandum ejus Princi-
77. pis dominium facere, ſibi perſuadet, cum Romæ & Bononiæ
idem nonnunquam acciderit. *Conradum III* Placentinis jus
cuden-

Digitized by Google

cudendæ monetæ indulſiſſe, cum Autor negare non poſſet, ne verbo quidem ad validiſſimum hoc argumentum reſpondet. Defectum tamen illum ſuppleturus, poſtea, quando de fœderibus ipſi ſermo eſt, quæ Parmenſes cum aliis civitatibus, *ſalva fide Imperatoris*, inierunt, dicere nullus dubitat, urbes illas Imperatori, tanquam advocato, & defenſori Romanæ Eccleſiæ, fideles fuiſſe, idque adeo juſſu Pontificis, qui ſibi a potentia harum civitatum metuebat, & brachium ſeculare imploraverat, factum eſſe, dicere non erubeſcit. Actus dominii, quos *Fridericus I* in iſtis terris exercuit, nihil omnino, ex ſententia Autoris, ad probanda Imperii jura faciunt, quoniam Pontifex *Hadrianus IV* contradixit, eaque res graviſſimis litibus inter Sacerdotium & Imperium anſam præbuit. Ad pacem Conſtantiæ, admodum celebratam, & invicta dominii Imperatorum in Italiam ſpecimina exhibentem, dein converſus, illam ipſam pacem ad parvum aliquod tempus duntaxat initam fuiſſe, perhibet. Quod quam longe abſit a vero, epilogus dictæ pacis illico declarat, ubi quidem diſertis verbis legitur: *Hanc pacem in perpetuum ratam haberi, & confirmari, ſtatuimus.* Sed, non omnes civitates, in iſta pace comprehenſas, Imperio ſubfuiſſe, ulterius inſiſtit Autor. Falſo, ex veriori ſententia. Prooemium etenim dictæ pacis liquido monſtrat, Imperatorem de ſubditis ſuis loqui, quibus *offenſas & culpas* remittit, quosque rebelles *in plenitudinem gratiæ ſuæ recipit*, quæ verba de nemine niſi ſubdito dici poſſunt. De Parma vero & Placentia res eo minus dubii habet, quod Conſules harum civitatum inveſtituram tunc ab Imperatore obtinuerint, prout ex ſubſcriptione Inſtrumenti pacis intelligitur. Nec quemquam facile ſibi conſentientem habeat Autor, quando, ſententiam ſuam confirmaturus, Ferrariam, Bononiam, & Ravennam, Imperatoribus quamvis non ſubjectas, in iſta tamen pace comprehenſas fuiſſe, dictitat. Utique enim ſubfuerunt iſtæ civitates Imperatori, ad quem dominium eminens omnium terrarum, a Pontifice

Pag. 84. 85. 90. 93. 94.

poſſeſſarum, ſpectabat. Urbes autem Venetas, quarum iti-
dem hic mentio injicitur, majeſtatem Imperii tunc temporis
coluiſſe, dubio caret. Cum interim ipſemet fortaſſis Autor
intelligeret, quam infirmis nitatur ſua ratio fundamentis, &
quam facile in anguſtias poſſit redigi, vim & injuriam
Imperatoris *Friderici* accuſat, ejusque facta, non con-
ſentiente Pontifice perpetrata, juribus curiæ Romanæ ni-
Pag. 97. hil derogare poſſe, contendit. De *burgo S. Domnini*
controverſia, inter Parmenſes & Placentinos A. 1188 agi-
tata, ad *Henricum VI*, Regem Romanorum, a parti-
bus, in lite comprehenſis, delata eſt, eaque res certiſſimum
præbet teſtimonium, Pontifici tunc nihil omnino juris in iſtas
terras fuiſſe. Autor vero, & hoc argumentum diſcutere la-
borans, antiquam non ſolum cantilenam, de Imperatorum
advocatia, deque vi & injuria Pontifici illata, rurſus ingeminat;
verum, illum ipſum Principem jus cogendi partes non habuiſ-
ſe, exinde concludit, quod eædem in ejus ſententia non ac-
quieverint. Facilis certe eſt ad hanc ejus objectionem re-
ſponſio. *Henricus* nimirum, teſte *Sigonio de Regno Italiæ
Lib. XV ad A. 1188*, eo ipſo tempore a patre in Germaniam
evocatus erat, ut adeo cives inobedientes ad obſequium
reducere propter abſentiam non poſſet. Irriti præterea
ſunt Autoris conatus, quando ex teſtimonio *Sigonii de
Regn. Ital. Lib. XV ad A. 1190* dominium Pontificis
in iſta loca comprobare ſtudet. Quamvis enim ibi nar-
ret *Sigonius*, in conventu Veronenſi juſſu Pontificis per
Cardinales quosdam inter Parmenſes & Placentinos pa-
cem eſſe conciliatam; idem tamen ſcriptor paulo ante tra-
diderat, Italos, poſt mortem *Friderici I*, *ſe quaſi triſtioris ſer-
vitutis metu ſolutos putaſſe*, unde facile patet, Pontificem
turbis, quæ *Friderici* fata ſequebantur, in rem ſuam uſum,
ſe rebus Italicis immiſcuiſſe. Privilegia, ab *Ottone IV*
civitati Parmenſi conceſſa, varias ob cauſas adulterina eſſe,
101. Autor pronuntiat. Cumque de privilegiis *Friderici II* idem
affirmare non auderet; more ſuo, eadem præter jus a dicto
Principe eſſe confecta, perhibet. In *Friderici II* manes hac
occa-

Digitized by Google

occaſione vehementer injurius eſt, contra quem, tanquam rebellem, & juſſis curiæ Romanæ inobedientem, inſolito fervore debacchatur, de conſiliis vero Pontificum, maxime perverſis, quibus *Friderici* imperium miſere turbarunt, ne verbum quidem addit. Eodem impetu in *Ludovicum Bavarum* invehitur, cujus, tanquam hæretici & injuſti Principis, facta juribus Pontificum nihil derogare, ſibi per- Pag. 103.
ſuadet. Fruſtra vero *Caroli IV* Diplomata, quibus ea, quæ 109.
Ludovicus Bavarus in Italia fecit, pro irritis declarantur, in partes ſuas trahit. Cogitare enim debebat, eadem ab ho- 111.
ſte *Ludovici*, qui in ejus odium per nefarias Pontificis artes Imperator creatus erat, profecta eſſe, & inſuper *Ludovici* quidem, neutiquam vero aliorum Imperatorum, qui jura in Parmam & Placentiam ſtrenue exercuerunt, facta ibidem pro nullis haberi. In pace, inter *Galeacium* Vicecomitem, & legatum Sedis Apoſtolicæ, A. 1376 concluſa, *Galeacius* quidem, *Vicarius generalis per Italiam, & dominus urbis Placentinæ*, dicitur, legatus vero Apoſtolicus, terras, in diœceſi Placentina ſitas, & injuſte occupatas, reſtituturum eſſe Pontificem, promittit. Quod cum negare Autor non poſſet, in promtu tamen ipſi eſt exceptio, quando, *Galeacium* hoc nomen præter jus ſibi arrogaſſe, & Pontificem, tempori inſervientem, injurias, ſibi illatas, æquo animo tuliſſe, contendit. Cum ad argumen- 113.
ta, quæ ab exercitio dominii eminentis Imperatorum *Caroli IV* & *Sigismundi* deſumuntur, nihil attentione dignum Autor reponat, ſed vim & injuriam, ab hiſce Principibus Sedi Romanæ illatam, unice crepet, illis quidem non immorabimur. Varia diſſentientes afferre ſolent documenta, ex quibus apparet, ipſos Pontifices profeſſos eſſe, Ducatus, de quibus ſermo eſt, a *Sfortiis* legitimo modo poſſideri. Hoc vero cum Autoris rationibus vehementer eſſet contrarium, illis documentis alium ſenſum affingere, omni ope laboravit. Quod quomodo effecerit, ut appareat, unicum ejus rei ſpecimen afferemus. Literas Pontificis *Pii II*, quibus Imperatorem hortatur, ut *Franciſco Sfortiæ* inveſtituram Ducatus Mediolanenſis concedat, diſſentientes pro ſe adducunt. Has

 autem

Digitized by Google

autem literas non ſolum adulterinas eſſe, Autor contendit, verum etiam, cum Parmæ & Placentiæ nulla ibidem fiat mentio, neutiquam id probare, quod diſſentientes volunt,
Pag. 116. exiſtimat. Ignarus ſcilicet Autor fuit, Parmam & Placentiam ſub titulo Ducatus Mediolanenſis eo tempore comprehenſam fuiſſe. Et hoc quidem ſimilique modo ad omnia iſta documenta, quæ profecto ex parte jura vaſallorum Imperialium Pontifices agnoviſſe, ſatis liquido declarant,
121. Autor reſpondet. Imperatorem *Wenceslaum*, *Joanni Galeacio*, Vicecomiti, Parmam & Placentiam in feudum dediſſe, non quidem diffitetur, illam tamen inveſtituram nihil omnino ad ſtabilienda Imperii jura facere, ſibi firmiter perſuadet. In omnes igitur partes ſe flectit, & JCtorum brocardica, legumque civilium & feudalium dicta in rem ſuam trahit, ut aliquam ſuis dictis concilíet fidem. Duodecim exinde obſervationes ipſi enatæ ſunt, quæ tamen maximam partem inter ſe conſpirant, &, per inveſtituram *Wenceslai* Sedem Romanam jure ſuo violenter ſpoliatam eſſe, adeoque actum illum pro nullo eſſe habendum, innuunt. Quin, inveſtituram illam *Wenceslai* ideo pro nulla habendam eſſe, quod ordines Imperii, quando Principem illum depoſuerunt, omnia
125. ejus acta irrita declaraverint, pronuntiat, quamvis ſibimet ipſe Autor non conſtet, qui paulo ante affirmaverat, illam
122. ipſam *Wenceslai* inveſtituram a *Sigismundo* Imperatore eſſe confirmatam. Tandem vero, omne jus, quod ad Imperium fortaſſis ſpectarit, penitus fuiſſe ſublatum, quando Parmæ & Placentiæ dominium eminens, Seculis proxime præterlapſis,
136. ſibi arrogarunt Pontifices, audacter affirmat Autor, hoc ipſo, uti nobis quidem videtur, perſuaſurus lectoribus, poſſe aliquem, per ejusmodi injuſtam uſurpationem, non obſtante quidem alterius contradictione, firmiſſima jura intervertere. Ex his igitur, quæ ſpeciminis loco a nobis allata ſunt, facile unusquisque intelligit, levibus armis Autorem pugnare, validiſſimisque rationibus ſatis debiles opponere. Addimus, ordinem quoque ab Autore vehementer perturbatum, &, quæ

prius

Digitized by Google

prius debuerant, poſterius diſputata eſſe. Solent alii librorum conditores ſententiam primo ſuam proponere, & confirmare, deinde adverſariorum objectiones refellere. Hic autem ordo nimium naturalis Autori videbatur, unde, poſtquam defenſorum verioris ſententiæ argumenta ample quidem, ſed minus felici conatu, invaſerat, poſtea demum jura Sedis Apoſtolicæ in Parmam & Placentiam demonſtrare conatur. Quamvis autem, more ſuo, triumphum ante victoriam canat; dicendum Pars VII
tamen eſt, nihil omnino ab eodem eſſe probatum, infirmis pag. 5.
fundamentis ejus dicta inniti, plurimaque afferri, quæ ad rem præſentem nihil faciant. Nimirum usque ad tempora *Leonis Iſaurici* adſcendit, &, quomodo regiones Italiæ, quæ Pontifici parent, in ejus ditionem pervenerint, declarat. Nos vero miramur, quo caſu acciderit, ut, inter tot falſiſſime dicta veritatem Autor aliquando profeſſus ſit. Non
enim diffitetur, Pontificem *Gregorium Leoni*, tunc im- 6.
peranti, qui fœdæ idololatriæ, cum imaginibus committi cœptæ, ſemet opponebat, multa faceſſiviſſe negotia, cives ab obedientia, legitimo ſuo Principi debita, revocaſſe,
terrasque illas proprio tandem ſubjeciſſe imperio. Ex qui- 7 ſeq.
bus dictis abunde apparet, quam juſto titulo Ponti- 11.
fices terras ſuas poſſideant. Et, quamvis Autor aliquem fucum peſſimo illi *Gregorii* facto affingere conetur, certiſſimum tamen eſt, ejus cœpta diſciplinæ Chriſti & Apoſtolorum, quorum tamen vicarios & ſucceſſores ſemet Pontifices jactitant, prorſus eſſe contraria. Ille enim, quamvis, imperante *Tiberio*, Principe ſceleratiſſimo, in terris ambulans, auditores tamen ſuos, *ut Imperatori darent, quæ ſunt Cæſaris*, hortatus eſt *Matth. XXII, 21*, & alio tempore dignitatem regiam, a populo, cujus famem levaverat, ſibi offerendam, usque adeo recuſavit, ut in montem ſecederet, *Jo. VI, 1. Paulus* vero, Apoſtolorum facile princeps, cujus tempora in truculentiſſimi *Neronis* tyrannidem inciderant, nihilo ſecius, πᾶσαν ψυχὴν, (adeoque & Epiſcopos Romanos,) magiſtratui civili obedientem eſſe debere, *Rom. XIII, 1*, inculcat. Sed pergimus. Turbas, a Longobardis excitatas, qui Romanum Pon-

Pontificem a poſſeſſione terrarum, ſupra dicto modo acquiſi-
Pag. 15 ſeq. tarum, dejicere moliebantur, ample Autor deſcribit. Quo-
modo auxilium Francorum tunc imploraverit Pontifex, nar-
35. rat. Quid *Pipinus* contra Longobardos geſſerit, deſcribit.
Pipinum tunc Exarchatum Ravennatenſem, Longobardis ere-
ptum, Pontifici, ejusque ſucceſſoribus, dono dediſſe, urget.
49. Quod, licet non plane negemus, omnino tamen nihil
ad comprobandam Autoris ſententiam facere, contendimus.
Ravennam enim, *cum diverſis Exarchatus civitatibus*, Ponti-
fici tunc conceſſam eſſe, locus *Anaſtaſii*, ab Autore citatus, cla-
riſſime indicat, quo in numero an Parma & Placentia
fuerit, valde eſt dubium, neque etiam ſatis probari poteſt,
iſtas civitates ad Exarchatum Ravennatenſem unquam per-
tinuiſſe. Regiones certe, quæ Ravennatenſi Exarcho quon-
dam ſubfuerunt, diligentiſſime recenſuit *Sigonius de Regno*
Ital. Lib. III ad A. 755. in quibus Parma & Placentia exulat.
Inſuper, illam ipſam *Pipini* donationem, ſalvo jure dominii
directi, de quo tamen inprimis ſermo eſt, peractam eſſe, ex
eo certiſſime patet, quod plurimos dominii in Pontifices, eo-
rumque bona, actus & *Pipinus* & *Carolus* exercuerint, eo-
rumque ſucceſſores, qui donationem illam confirmaſſe cre-
duntur, ſi quidem tabulæ eorum genuinæ ſunt, jura Imperii
ſuprema diſertis verbis ſibi reſervarunt. Quin, ex quo fonte
profluxerit hæc ipſa *Pipini* erga Sedem Romanam liberalitas,
ipſemet Autor non diſſimulare poteſt, quando, *Pipinum*, de-
poſitis Regibus, ex domo Merovingica oriundis, per
Pontificis machinationes ſolium Regale conſcendiſſe, fate-
64. tur. Hinc fruſtra profecto illam donationem pro certiſſi-
mo ſententiæ ſuæ præſidio Autor venditat, qui, ſine omni
fundamento & probatione, Parmam & Placentiam cu-
70. riæ Romanæ tunc traditam fuiſſe, pronuntiat. Nec con-
futari merentur, quæ de dignitate Patriciatus *Pipini* &
Caroli profert, quando, illam dignitatem ſub auſpiciis &
juſſu Romanorum Præſulum adminiſtrari ſueviſſe, fingit.
76. Non magis ad rem faciunt, quæ de *Caroli M.* con-
88. firmatione donationis *Pipinianæ* afferuntur, cum illa iti-
dem

dem ſalvo dominio directo contigerit, neque, Parmam & Placentiam ſub ea comprehenſam eſſe, probari poſſit. Audacter quidem illud ipſum Autor aſſeverat, atque in diſſentientes vehementer invehitur, imo, ſententiam ſuam probatione indigere, negat, contrarium potius ab adverſariis eſſe demonſtrandum, urgens, cum curia Romana præſcriptione centenaria ſatis munita ſit, adeoque *præſumtionem juris & de jure* pro ſe habeat. Verum non fortaſſis cogitavit, cum hæc ſcriberet, Advocatus noſter, *affirmanti probationem incumbere*, & ea, quæ facti ſunt, non præſumi, ſed probanda eſſe. Hinc, ubi tranquilliori poſtea animo rem conſideraverat, neminemque iis, quæ ſine evidenti teſtium coævorum effato hoc in genere dicuntur, habere fidem ſolere, intellexerat, confirmare ea, quæ dixit, ſtuduit. Quod qua ratione & ſucceſſu ab eo fuerit peractum, nunc videbimus. Nimirum, e limitibus, qui terras, Sedi Apoſtolicæ donatas, incluſiſſe feruntur, colligit, integram Æmiliam, adeoque & Parmam & Placentiam, huic Sedi donatam eſſe. Univerſum Exarchatum Pontifici conceſſum eſſe, urget, &, ſub eo dictos Ducatus comprehenſos fuiſſe, iterum, quamvis ſine fundamento, contendit. Abbatem *Fulradum*, *Pipini* conſiliarium, ſingulas Æmiliæ civitates recepiſſe, docet, &, exinde ſententiæ ſuæ maximum robur accedere, ſibi perſuadet. Quamvis autem, *Fulradum* univerſam Æmiliam, Longobardis ereptam, recepiſſe, facile concedamus; exinde tamen neutiquam ſequitur, integram illam provinciam Romano Præſuli conceſſam eſſe. Pontificem *Hadrianum I*, in literis, ad *Carolum M.* datis, conqueſtum eſſe, multas civitates, in Æmilia ſitas, dominio Eccleſiæ Romanæ ſemet ſubtraxiſſe, narrat. Ex quo quantumvis, aliquam iſtius provinciæ partem Romanis paruiſſe Pontificibus, appareat; de integro tamen tractu idem affirmare idcirco non licet. Supervacuus igitur eſt Autoris labor, quando, Parmam & Placentiam in Æmilia ſitas fuiſſe, ample demonſtrat. Cum enim nemo facile illud negaturus ſit; probare potius debebat id, quod inprimis in controverſiam deducitur, omnem ſcilicet illam provinciam, nulla civitate excepta, ad Exarchatum Ra-

Pag. 101.
102.
104.

vennatenſem pertinuiſſe, & curiæ Romanæ conceſſam eſſe.
Neutiquam vero eam rem conficiunt recentiorum quorun-
dam, & obſcuriorum hominum, quos Autor in partes ſuas
Pag. 105. trahit, teſtimonia, cum, nullam ſententiam adeo a veritate ab-
horrere, ut non defenſores nacta ſit, vel Autoris noſtri
exemplum abunde doceat. Quæ in proxime ſequentibus
proferuntur, nil niſi longe petitas rationes continent, quæ,
licet aliquam veri ſpeciem præ ſe ferant, neutiquam
tamen, univerſam Æmiliam Pontifici paruiſſe, evincunt, id
quod unicuique legentium patebit. Parmam in donatione
Pipiniana non commemorari, Autor non negat, ejusque rei
rationem, ut ſententiæ ſuæ præſidium quæreret, contortis qui-
busdam concluſiunculis, quæ tamen nullius momenti, & ex
ingenio confictæ, ſunt, proponit. Verum, in donatione *Caro-
li*, quæ *Pipinianam* confirmat, utique Parmam conceptis ver-
110. bis nominari, illudque ex loco *Anaſtaſii* in *Vita Hadriani* ap-
parere, dictitat. Multa quidem circa illum *Anaſtaſii* locum
poſſent moneri, cum de finibus præſertim, quibus territorium
Pontificis includebatur, quos inter & Parma ponitur, verba
ibidem fiant. Sed his ne quidem opus eſt. Cum enim, Hi-
ſtriam quoque & provincias Venetiarum Sedi Romanæ tunc
donatas eſſe, in iſto loco dicatur, dubio procul univerſum
illud teſtimonium neutiquam ab ipſo *Anaſtaſio* profectum,
ſed ab homine recentiore additum, aut certe interpolatum, eſt,
qualibus interpolationibus vitas Pontificum, quæ ſub *Anaſtaſii*
nomine circumferuntur, valde inquinatas eſſe, abunde
conſtat. Ad *Ludovici Pii* tempora Autor deinceps pro-
greditur, quem curiæ Romanæ plurimas terras, inque his
Æmiliam, dono dediſſe, vulgo ſtatuunt. Etiamſi vero *Fon-
taninus*, & cum eo varii, quos Autor ſequitur, pro veritate
iſtius donationis, veluti pro aris & focis, pugnent; nobis ta-
men, qui non aliorum effata, ſed rationes, quæ afferuntur,
conſideramus, inſtar omnium eſt *Antonius Pagius*, vir in hoc
eruditionis genere nemini ſecundus. Cumque is in *Critica
ad Annales Baronii ad A. 817 Tom. III pag. 492* contenderit,
illam donationem æque fictam eſſe, ac *Conſtantinianam*, hoc-

que

Digitized by Google

que tam certis comprobaverit argumentis, ut unusquiſque, cui recti ſenſus ſunt, eidem ſubſcribere neceſſario debeat; merito concludimus, male agere Autorem, quod tam levibus rationibus cauſæ ſuæ, non ſane optimæ, aliquam veri ſpeciem conciliare ſtudeat. Multo autem pejus feciſſe dicendus eſt, quando, dignitatem Imperialem unice a beneficio Pontificis, & ejus coronatione, pependiſſe, audacter dictitat. Certe vel ex hoc ſolo cognoſci poteſt, quale pretium hiſce Autoris lucubrationibus ſtatuendum ſit, & nos profecto actum ageremus, ſi talia commenta, ex eruditorum civitate dudum profligata, & ab ipſis cordatioribus ex Pontificiorum cœtu exploſa, confutare aggrederemur. Conſtat quidem, ſæpius talia Pontifices imperito omnium rerum vulgo perſuaſum iviſſe; quam fortiter vero, inter alios, præſertim Auguſtiſſimus Imperator *Fridericus I* hoſce repreſſerit conatus, recentiſſime *Joſephus Barrius*, diſertiſſimus Hiſtoriæ Germanicæ interpres, operis ſui, nuper evulgati, *Tomo V pag. 52* docuit. Pergit vero Autor, *Ottonis I* etiam, atque *Henrici II*, donationes memorans, quæ & ipſæ a viris in re criti- ca verſatiſſimis tanquam ſuppoſititiæ & fictæ exploduntur. Multos quidem pro aſſerenda harum donationum *αὐθεντεία* Autor producit teſtes, quibus tamen, cum partim ipſi *Petri* cathedræ inſederint, partim curiæ Romanæ dediti ſſimi fuerint, adeoque in propria cauſa teſtimonium præbuerint, fides habenda non eſt. Imo, ſi ipſas harum donationum tabulas inſpiciamus, fere adducimur, ut credamus, easdem aut ſpurias, aut certe interpolatas, eſſe. Non ſolum enim nullus ſcriptor coævus & fide dignus earum meminit, verum etiam ambæ donationes iisdem verbis maximam partem conceptæ ſunt, ita, ut unum eundemque Autorem habuiſſe videantur. Præterea vix eſt credibile, *Ottonem I* tam effuſe liberalem erga curiam Romanam fuiſſe, ut ipſi plurimas & præcipuas Italiæ regiones, inque his illas, quas Imperatoribus Græcis jam *Carolus M.* transmiſerat, Siciliam nempe & Neapolin, concederet, quod tamen factum eſſe, in iſtis tabulis dicitur. Dominium eminens in terris, Pontifici

Pag. 124.

131.

conceſſis, ſibi conſtanter Imperatores reſervaſſe, recte & merito ſtatuunt cordatiores eruditi. Quam ſententiam cum Autor confutare non poſſet, ſummis eam exagitat conviciis, & tanquam figmentum & ſomnium traducit. Non vero inſpexit, arbitramur, *Ottonis I* & *Henrici II* donationes, pro quarum veritate tantis animis ſupra depugnaverat. In *Ottonis I* enim donatione apud *Baronium ad A. 962 Tom. X pag. 753* difertis verbis additur: *Salva ſuper eosdem Ducatus noſtra in omnibus dominatione, & illorum ad noſtram partem & filii noſtri ſubjectione.* Et paulo poſt iterum ſubjungitur: *Omnium, quæ ſuperius leguntur, — — nos, in quantum poſſumus, defenſores eſſe teſtamur, ad hoc, ut ea in illius ditione, ad utendum & fruendum, atque diſponendum, firmiter valeant obtineri, ſalva in omnibus poteſtate noſtra, & filii noſtri, poſterorumque noſtrorum.* Similia in donatione *Henrici II* apud *Baronium ad A. 1024 Tom. XI pag. 48* leguntur. Imo vero ex plurimis aliis harum donationum verbis liquido apparet, in omnibus terris, Pontifici ceſſis, ad Imperatorem potuiſſe provocari, & juriſdictionem altam, uti vocatur, ab eo ſueviſſe exerceri. Quod, cum *Conringius* in libro *de Finibus Imp. Germ. Cap. X* egregie demonſtraverit, hic transſcribere non attinet. Non vero ſatis mirari potuimus, Autorem affirmare, de dominio directo in Parmam & Placentiam non agi, cum tamen ſimul dictitet, curiam Romanam de jure illo, quod per ultima duo Secula in iſtos Ducatus exercuerit, recuperando eſſe ſollicitam. Ignoravitne Autor, dominium utile tunc temporis apud Duces ex domo *Farneſia* oriundos fuiſſe, eminens vero dominium ſibi arrogaſſe Pontifices, deque eo ulterius retinendo, quamvis fruſtra, fuiſſe ſollicitos? De dominio certe pleno ſibi aſſerendo curia Romana ne quidem cogitare poterat, cum, præter Imperium, Regem quoque Hiſpaniæ, & fœderatos Londinenſes, cœptis illis ſe oppoſituros eſſe, facile potuerit intelligere. Inſuper dominio utili ipſamet renuntiavit Romana curia, quando illas terras Ducibus *Farneſiis* in feudum dedit. Cumque hoc pacto ſuprema Imperii jura violaverit; potuiſſet profecto, ſi vel maxime dominium utile iſto-

Pag. 136.

iſtorum Ducatuum ad eam ſpectaſſet, eapropter illo privari. Cum omnis ordo apud Autorem exulet; is poſtea rurſus ad dubia diſſentientium confutanda convertitur, ubi cum ea, de quibus jam ſupra dictum eſt, non ſine tædio lectoris maximam partem repetantur, iis quidem deſcribendis non inhærebimus. Ut vero de Autoris animo, deque ejus diſputandi ratione, vel unico ſpecimine conſtet, monuiſſe ſufficiat, vel ipſum Auguſtiſſimi Imperatoris *Joſephi* edictum, quo dominii directi jus ad Sedem Apoſtolicam pertinere negatur, omnesque actus poſſeſſorii, a Pontificibus exerciti, pro nullis declarantur, illud ipſum, inquam, edictum, in partes ſuas rapere Autorem, &, ſibi potius, quam adverſariis, favere illud, contendere. Et, quamvis aliquam erga invictiſſimum *Joſephum*, Principem omni laude majorem, præ ſe ferre videatur reverentiam, in proceres tamen aulæ Imperatoriæ, qui tunc temporis ad clavum reipublicæ ſederunt, vehementer debacchatur, deteſtandis eorum conſiliis hoc edictum deberi, clamitans, eosque cum corruptis Regis *Joſaphati* miniſtris, quorum in ſacra Scriptura mentio fit, comparare, haud dubitans. Cum autem in illo edicto regiones, *quæ ex munificentia Imperatoria in ſanctam Sedem expreſſim tranſlatæ ſunt*, excipiantur, atque Autor, Parmam & Placentiam in donationibus Imperatorum comprehendi, firmiter ſibi perſuadeat; hinc ipſum *Joſephum*, & eo quidem tempore, ubi de vindicandis a curia Romana iſtis Ducatibus cogitabatur, dominium earum dictæ curiæ denuo conceſſiſſe, argute, ſi Diis placet, concludit. E diverticulo in viam poſtea reverſus, ad celebratiſſimam illam Comitiſſæ Pag. 152. *Mathildis* donationem progreditur, quam curiæ Romanæ firmiſſimum jus in terras, de quibus ſermo eſt, tribuere, ſibi perſuadet. Quamvis autem, Parmam & Placentiam a *Ma-* 153. *thilde* poſſeſſam fuiſſe, urgeat; negari tamen ſimul nequit, de regionum, a *Mathilde* donatarum, limitibus ne quidem ſcriptores inter ſe convenire, uti ex eorum teſtimoniis, quæ *Conringius de Fin. Imp. Germ. Cap. X* collegit, videre eſt, eamque adeo vehementer eſſe dubiam, neque de ejus veritate ſatis conſtare, cum præſertim, teſtamentum, ad quod unice provoca-

vocatur, jam olim periiſſe, ipſemet confiteatur *Baronius.* Mortua inſuper *Mathilde*, non ſtatim dominium regionum, ab illa donatarum, ad curiam Romanam devolutum eſſe, Au-
Pag. 155. tor non negat. Addere autem potuiſſet & debuiſſet locum, ex *Conrado Urſpergenſi* a *Conringio l. c.* allatum, qui, *mortua iſta Comite, directos ab Italia nuntios, ad defunctæ prædiorum terras ampliſſimas, hæreditario jure poſſidendas, Imperatorem invitaſſe*, nos docet. Jam vehementer in *Henricum V* Autor invehitur, eumque per occupationem harum terrarum ſumma injuria Sedem Apoſtolicam affeciſſe, dolet. Verum non prius hiſce conviciis locus erat dandus, quam donationis illius & veritas & æquitas eſſet demonſtrata, quod utrumque ab Autore omiſſum eſt. Ample is poſtea controverſias, inter Imperatores & Pontifices occaſione hæreditatis *Mathildicæ* agitatas, exponit, ſed, quod omnes facile intelligunt, partium ſtudia ubique prodit. Fruſtra etiam ceſſiones, in gratiam Romanorum Pontificum factas, tantopere jactitat, cum, illas vi metuque extortas eſſe, certiſſimum ſit. Talia enim haud difficile efficere poterat dirum Pontificis fulgur, *excommunicationis* vocabulo notiſſimum, quod tamen hodie, ubi per Dei gratiam ſuperſtitionum tenebræ diſcuſſæ ſunt, a nemine amplius timetur. Hoc profecto fulmen metuentes tunc temporis Imperatores, plurima ad nutum curiæ Romanæ compoſuerunt, ejusque dominandi libidini ampliſſima devoverunt jura. Ad id, quod caput rei eſt, Autor dein delatus, donationem *Mathildis* utique pro valida declarandam eſſe, neque terras ejus nexu feudali imperio fuiſſe adſtrictas, ſed pro allodiis habendas eſſe, adeoque libere potuiſſe in curiam Romanam transferri, dictitat. Verum, quot verba, tot falſiſſime dicta. Fac enim, hæreditatem *Mathildicam* allodium fuiſſe, allodialia profecto etiam legibus Imperii ſubſunt. Aſt vero hoc ipſum veritati contrarium eſt. Quicquid enim ex *Ænea Sylvio*
172. Autor proferat, *Onuphrius* tamen in vita *Gregorii VII Mathildem* disertis verbis *Imperii beneficiariam* nuncupat. Niſi fortaſſis ſanctitas *Gregorii VII*, cui hæ terræ primum donatæ

ferun-

feruntur, quam Autor vehementer urget, haud eum injuſte ſibi aliquid vindicaturum, & res Imperii invaſurum fuiſſe, judicans, nos in aliam perducat ſententiam. Profecto, qui hæc Autoris dicta ſine riſu legerit, Catone triſtiorem eſſe oportet, cum, pietatem *Gregorio VII* tribuere, ſit album dicere æthiopem, uti ex ipſismet Pontificiis nonnulli candide profeſſi ſunt. Vid. *Barrii Hiſtoire generale d'Allemagne Tom. IV pag. 307.* Terras interim iſtas feuda Imperii eſſe, nunquam urſerunt in controverſiis, cum curia Romana agitatis, Imperatores, ſed *Fridericus I* ad teſtamentum aliquod provocavit, illo argumento non uſurus, ſi ex capite *conſolidationis* (liceat enim verbo JCtorum uti) terræ iſtæ ad Imperium pertinuiſſent. Ita quidem Autor, qui tamen non cogitavit, qualitatem feudalem, terris illis inhærentem, utique Pontificum cœptis oppoſuiſſe Imperatores, prout ex loco *Onuphrii*, ſupra laudato, clariſſime intelligitur. *Fridericus I* teſtamentum quidem ad cauſæ ſuæ probationem in medium protulit, ſed non alio conſilio, quam ut tela Pontificis, qui quidem ex teſtamento *Mathildico* pugnabat, ſimilibus telis retunderet. Veritas horum dictorum ex loco *Arnoldi Lubecenſis*, ab ipſomet Autore citato, firmiſſime comprobatur, cum iſte ſcriptor diſertis verbis pronuntiet: *Cumque in argumentum probandi, teſtamenti ex utraque parte privilegia porrigerentur, nullo fine cauſa terminata eſt.* Præterea, ad qualitatem feudalem provocare, Imperatori tunc non opus erat, cum non de æquitate, ſed de veritate, donationis iſtius agitaretur controverſia, & Imperator terras *Mathildicas* jamjam poſſideret, prout laudatus modo *Arnoldus* itidem commemorat. Patientia Lectoris abuteremur, ſi, quæ deinde inania ab Autore proferuntur, dicendo hic repeteremus omnia. Facile enim ex dictis intelligitur, nihil novi eum attuliſſe, ſed antiquas fabulas, ab eruditis dudum confutatas & exploſas, putido labore recoxiſſe. Idem judicium de *octava* hujus libri *Parte* ferendum eſt, ubi Autor innumera dominii curiæ Romanæ in illos Ducatus ſpecimina, inde a *Pipini* temporibus usque ad *Julium II* edita, ſibi reperiſſe videtur, eaque rem omnem conficere, jactitat. Anguſti hujus recenſionis limi- Pag. 173.

Digitized by Google

limites, ea omnia deſcribi & dijudicari, non permittunt. Hoc duntaxat dicimus, omnesque harum rerum intelligentes lectores nobiſcum conſenſuros eſſe ſperamus, omnia, quæ Autor ibi admodum fuſe affert, partim ex fontibus inquinatis, teſtibusque nulla fide dignis, eſſe hauſta, partim nil, niſi fortaſſis poteſtatem eccleſiaſticam a Pontificibus ibi exercitam, declarare, partim, Sedi Romanæ reditus quorundam monaſteriorum in iſtis locis conceſſos eſſe, indicare, partim denique ea, quæ Romani Præſules de facto, neutiquam de jure, ſibi arrogarunt, oſtendere, quod inprimis de temporibus *Joannis XXII* dicendum eſt, adeoque ea omnia, ab aliis etiam pleniſſime jam expoſita, plane non patrocinari Autoris

Pars VIII pag. 103. ſententiæ. Neutiquam vero *Julius II* jure belli iſtas civitates acquiſivit, uti Autor ſomniat, cum *Guicciardinus Hiſtor. Ital. Lib. X, Parmenſes & Placentinos ſponte ſuas urbes Pontifici dediddiſſe*, pronuntiet. Quod cum facere illis liberum non fuerit, illa ipſa deditio jus aliquod tribuere Sedi Romanæ in illa loca non potuit. Unicum adhuc ſupererat remedium, quod Autor, cauſa etiam penitus deſperata, valide poſſe adhiberi, & objectiones adverſariorum retundere, credit. In *Parte* nimirum *nona*, *præſcriptionem* pro juribus Pontificis, in ſæpe memoratas terras ſtabiliendis, adduci poſſe, exiſtimat. Omnes ergo JCtorum loculos miſera diligentia excuſſit, &, tanquam omnes operis hujus lectores, quid præſcriptio ſibi velit, ignorarent, quamplurima de hoc argumento corraſit.

Pars IX pag. 7. Etiamſi vero eidem facile adſtipulemur, quando pronuntiat, in terris Imperii etiam præſcriptioni locum eſſe; neutiquam tamen concedimus, Imperium Romanum juribus ſuis in iſtos Ducatus unquam renuntiaſſe, uti ipſe ſine fundamento do-

26. cet. Non enim, uti quidem is credit, Imperatores, quando legatos in aulam Pontificis miſerunt, & adhuc mittunt, Pontificem ideo pro Principe, nulli penitus mortalium ſubjecto, declarant. In aulis certe Electorum aliorumque Imperii Principum idem fieri aſſolet, quos ideo a ſubjectione Imperatoris nemo declaraverit immunes. Fac etiam, nonnullos Imperatores juribus ſuis in terras, de quibus agitur, renun-

nuntiaſſe, & Pontifici easdem ceſſiſſe, nullius certe momenti talis actus erit, cum ad alienationem bonorum Imperii, omnium ejus ordinum requiratur conſenſus. At vero, tantum abeſt, ut ejusmodi ſolennis & legitima ceſſio unquam contigerit, ut ad hodiernum usque diem jura ſua in omnes terras, a Pontifice poſſeſſas, ſibi reſervent Imperatores. Profecto, quod nomen *Imperatoris Romani* a ſupremis Germaniæ moderatoribus uſurpetur, & ab ipſis Pontificibus illis tribui ſoleat, id certiſſimo argumento eſt, jura ſua neutiquam neglexiſſe Imperium, & præſcriptionem adeo, quam Autor fingit, nullam eſſe. Quamvis igitur in ipſa urbe Roma, adjacentibusque terris, plenum dominium exerceat hodie Pontifex, poſſe tamen Imperatorem, quandocunque ipſi placuerit, illo dominio eundem privare, & ad priſtinum reducere ſtatum, certiſſime credimus. Juſtum titulum denique, & bonam fidem, Pontificum *Julii II* & *Leonis X* ex falſis, & ex parte a nobis jam ſupra confutatis, rationibus, monſtrare fruſtra laborat Autor. Imperatores *Maximilianum* & *Carolum V*, cœptis Pontificum contradicendo, jura Imperii ſibi & ſucceſſoribus in illas ditiones reſervaſſe, non quidem negare is audet, argumentis tamen, quæ exinde adverſus eum urgeri poterant, admodum longas, ſed valde etiam contortas, rationes, quas nos referre piget, reponit, ut ea legens exclamare cogatur: *δότε μοι λεκάνην*! Ultimam hujus libri *Partem* non morabimur, ubi JCtorum quorundam, eorumque Proteſtantium ſacris initiatorum, ſententiæ, Autori faventes, adducuntur. Non enim ea res ab effatis unius alteriusque ſcriptoris, ſed ab argumentis certis & indubitatis, pendet. Multorum inſuper JCtorum ſententias veluti obtorto collo in ſuas rapuit partes Autor, cum plerique eorum, quos citat, non quid de jure, ſed quid de facto, acciderit, doceant. Vana proinde eſt ejus jactantia, quando, nullum juris interpretem, aliqua doctrinæ fama conſpicuum, contrarium defendere, dictitat. Vanæ etiam ſunt, quas ad calcem Operis ingeminat, querelæ, quando, curiæ Romanæ vim & injuriam a propriis filiis ſuis inferri, dolet. Prudentiores

Pag. 42. 43.

 hodie

hodie ſunt, & jurium ſuorum magis gnari, Europæ Principes, quam ut ejusmodi fabulis fidem habeant. Cumque ipſa Roma eruditis & egregiis hominibus abundet, nos quidem neutiquam dubitamus, eos perverſo huic jurium Papalium defenſori acclamaturos eſſe: *Non*

Talibus auxiliis, nec defenſoribus iſtis,
Tempus eget.

SUMMI VIRI, FRANCISCI SALIGNAC DE LA MOTTE, Fata Telemachi, filii Ulyſſis, Regis Ithacæ, Latino carmine reddita.

Volumina II.

Berolini, ſumtibus Jo. Andr. Rudigeri, 1743, 8 maj.
Alph. 1 plag. 12, & Fig. æn. 25.

Habet omnino nunc Germania, quam Gallis atque aliis opponat, duplicem *Feneloniani* operis interpretationem: alteram patria lingua conceptam, alteram Latina. Profecto fuit illa de *Telemacho* fabula, quamque adhibuit *Fenelonius*, ſtili ratio, carmini, quam liberæ orationi, accommodatior. Inprimis autem novum adjunxit decus naturalis verſuum pulchritudo, qua veterum optimos quosque modis laude digniſſimis æmulatur Poeta: meliorque rerum diſtributio, qua ſequentem in modum proponuntur. *Libro primo Telemachus, Minerva,* ſub perſona *Mentoris*, comite, navi per tempeſtatem fracta, Deæ *Calypſonis* ad inſulam appellit, benigneque ab eadem excipitur, quæ, juvenis amore capta, immortalitatis ipſi conditionem offert, utque fata ſua recenſeat, depoſcit. Narrat igitur *Telemachus* iter ad urbes Pylum & Lacedæmona, funeſtum in Siciliam ingreſſum, pompamque funeris, ſibi *Mentori*que deſtinati; auxilium denique, ab utroque regi *Aceſtæ* contra barbaram gentem præſtitum. Addit, ſe, Tyria nave ab *Aceſte* dimiſſum, Sicilia exceſſiſſe. *Libro II* recen-

recenſet *Telemachus*, ſe, captum a claſſe *Seſoſtris* regis, & in Ægyptum abductum eſſe. Deſcribit amœnitatem regionis, & ſapiens regis imperium, nec minus infelicitatem ſequentis, qui quidem in pugna cum ſeditioſis civibus, & auxiliis, Tyro miſſis, occidebatur. *Liber III* narrat, ſucceſſorem *Boechoris*, regis Ægypti, captivos de gente Tyria dimiſiſſe, cumque iis Tyrum abſceſſiſſe: deinde, cum, Tyro diſceſſurus, iter per inſulam Cyprum in Ithacam eſſet meditatus, *Pygmalionem* ſe carcere claudi voluiſſe, liberatum autem artibus amicæ regiæ, *Aſtarbæ*. *Libro IV*, cum ſermonem interrupiſſet *Calypſo*, ſpatium datura reſpirandi, *Mentor* juvenem, remotis arbitris, objurgat, propter cœptas narrationes, quas tamen certa lege continuari jubet: is igitur exponit ſomnium ſuum, tempeſtatem inſignem, corruptiſſimos Cypriorum mores, utque *Haſael* Syrus *Mentora*, emtum ab Æthiopibus, ibidem ſibi reſtituerit, amboſque ſua navi duxerit in inſulam Cretam. *Libro V* narratur in ea inſula commoratio, ubi rex *Idomeneus* voti ergo filium unicum *Neptuno* mactarat, a civibus ideo ejectus, ex quo variis ipſe ludis victor, legumque *Minois* interpres, eo venerit autoritatis, ut ſeniores ipſi regnum offerrent. *Libro VI* memorat, hoc ſe munus cum *Mentore* recuſaſſe, qui, virtutibus *Ariſti* expoſitis, regem iſtum creari effecerit, ſe autem cum ambobus navem intraſſe, Ithacam petiturum; *Neptunum* tunc in læſæ *Veneris* ſolatia tempeſtatem excitaſſe, qua naufragium paſſi, *Calypſonis* ad inſulam ſint ejecti. *Libro VII* deſcribitur hujus ipſius Deæ tum amor, tum livor, ut & ardor *Telemachi*, a *Mentore* impeditus, qui ſocium indidem abducere ſtudebat, cumque navem *Cupidinis* aſtu incenſam repériret, in mare præcipitabat, ſimulque nando ad Tyriam navem penetrabat. *Libro VIII* humaniſſime excipiuntur ab *Adoamo*, *Narbalis* fratre, qui præerat navi, ac, *Telemachum* agnoſcens, non ſolum Tyrorum in regno mutationes enarrabat, ſed & lautiſſimo convivio exceptis Bæticæ gentis mores ac felicitatem deſignabat. *Libro IX* docente, *Venus*, interim *Telemacho* conſtanter iraſcens, cum mortem a *Jove* non obtinuiſſet, a *Neptuno* conſequitur ab Ithaca detentionem. Venit is igitur Salentinum,

ubi ſummâ per *Idomeneum* regem, cum omina fauſta potiſſimum accederent, humanitate accipitur. *Libro X* quippe quod dicitur, bellum erat cum Mandurinis, Heſperiæ regionis populo, qui tum urbis Salentinæ mœnibus cum auxiliis ſuis appropinquabant, quibus autem unus *Mentor*, egreſſus civitate, pacis conditiones obtulit. *Liber XI* addit, quod *Telemachus*, in mediis hoſtibus *Mentora* videns, portam urbis aperiri juſſerit, inque hoſtilia caſtra properans, magnum addiderit pacis negotio pondus; leges, a *Mentore* propoſitæ, concluſæ, & ab *Idomeneo* libenter acceptæ: unde obſides utrinque dabantur, ſuperis ſacra fiebant, inque urbem *Idomenei* nunc amici reges intrabant. *Libro XII* artes civiles ac militares continuantur, ubi *Neſtor* auxilia poſcit *Idomenei* contra Daunios; *Mentor*, novæ urbis Salentiæ res juſto ordine compoſiturus, & agriculturæ ſtudium inſtauraturus, *Telemachum* cum centum juvenibus Cretenſibus offert auxilio *Neſtori*, cui & tam exiguus numerus ſatisfacit: interim, poſtquam diſceſſerant reges, *Mentor* totam urbem viſitat, autorque eſt *Idomeneo*, ut aptas imperio ac mercaturæ ſcribat leges; populum in ſeptem claſſes diſtribuit; cujusque claſſis ordinat veſtes; inutiles reprobat artes, & agrorum promovet culturam. *Libro XIII* narrat *Idomeneus* poſitam in *Proteſilao* fiduciam fraudesque, quibus ille cum *Timocrate Philoclis* interitum molitus ſit; fatetur, ſe, fraudibus captum, *Timocrati* mandaſſe, ut e medio tolleret *Philoclem*, qui claſſi præfuerit, ac, deſcenſione cum milite facta, caſtra locaverit in Carpathiis terris; *Philoclem* generoſo animo condonaſſe fraudibus detectis; ſe autem, artibus itidem detectis, nondum auſum *Proteſilaum* ab aula removere. *Libro XIV Mentor* exilium *Proteſilao* & *Timocrati* decernit, quod munus exequitur *Hegeſippus*, qui *Philoclem*, in inſula Samone ſolitaria paupertate preſſum, attamen beate viventem, invenit, vixque permovet, ut redeat ad *Idomeneum*, qui benigniter excipit adventantem. *Libro XV Telemachus* in fœdere junctorum caſtris amicitiam ſibi conciliat *Philocleta*, ob odium adverſus *Ulyſſem* parentem ſibi prius contrarii; *Philocletes* fata ipſi ſua narrat, quibus miſcet commemorationem

mor-

mortis *Herculis*, cui tunica venenata, quam *Centaurus Neſſus* dederat *Dejaniræ*, uxori *Herculis*, cauſam dederat; addit, *Herculis* ſe ſagittas accepiſſe, ſine quibus Troja non potuiſſet vinci; ſe pœnas dediſſe non ſervati promiſſi, jam morituro *Herculi* dati, per ingentia mala, quæ in inſula Lemno ſit paſſus; hic *Neoptolemi* auxilio uſum *Ulyſſem*, ut ſe ad obſidionem Trojæ perduceret, ubi vulnus cruris ſanatum fuerit ab *Æſculapii* filio. *Libro XVI Telemacho* lis exoritur cum *Phalanto*, duce Lacedæmoniorum, ob captivos ab hoſte factos, quos uterque ſibi vindicat; pugnat is igitur cum *Hippia*, *Phalanti* fratre, ac vincit: ſed mox pœnitet eum victoriæ; quas inter cogitationes *Adraſtus*, Dauniorum rex, fœdere junctos, minus opinantes, invadit, *Phalanti*que tentoriis immiſſo igne, cædit *Hippiam*, *Phalantum* ipſum vulnerat. *Libro XVII Telemachus*, divinis indutus armis, advolat auxilio *Phalanto;* dejicit primo ſtatim congreſſu *Adraſti* filium, *Iphiclem;* victoriamque perfectam reportaſſet, ni pugnam interemiſſet tempeſtas; inde vulneratorum curam gerit, præcipue *Phalanti;* celebrat exequias *Hippiæ*, cineresque illius, urnæ aureæ incluſos, offert fratri *Phalanto*. *Libro XVIII* heros ille noſter, per ſomnia ſe putans edoctum, obiiſſe parentem, apud inferos, quærere eum ſtudet. Infert igitur ſe cavernæ Acheronticæ, perque medias tenebras ad ripam Stygis penetrans, a *Charonte* ſuſcipitur; ſuperato flumine, *Plutonem* adit, qui largitur, ut patrem quærat; tunc Tartara tranſit, ubi tormenta videt, quæ patiuntur ingrati, perjuri, pietatem ſimulantes, & inprimis pravi reges. *Libro XIX* hic idem campos Elyſios intrat, ubi agnoſcitur ab *Arceſio* proavo, certiorque fit, *Ulyſſem* adhuc inter vivos degere, Ithacam ipſum eſſe reviſurum, & poſt patrem regnaturum; qua occaſione felicitatem juſtorum hominum, præcipue regum, deſcribit, qui, dum viverent, cultui divino civiumque ſaluti ſtuduerint, datque nepoti præceptiones, caſtra deinceps ſua repetenti. *Libro XX* redeuntis ſententia de non capienda per fraudem urbe Venuſina, in concilio ducum fert plauſum omnium communem. Idem animi ſapientiam oſtendit contra duos transfuga, quorum alter *Acanthus* ipſum veneno tollere poſue-

Digitized by Google

poſuerat, alter *Adraſto* violentas injicere manus promiſerat. Priorem prius ſalvum dimittere voluit heros; cum autem, periculo liberatus, iterum inſtaret, demiſit ad manes. *Libr.* XXI Daunii, *Adraſto* mortuo, dextram porrigunt victoribus, regemque poſcunt e populo ſuo. Conſultum videtur pleriſque ducum in concilio, devictas terras dividere, ac *Telemacho* aſſignatur portio, qui vero potius *Polydamantem* regem deſignat. *Libro XXII Telemachus*, in Salentinam reverſus, mutatas terras miratur, amorem in *Antiopam* deſignat, ſed monetur a *Mentore*, prius eſſe revertendum in Ithacam, ubi *Penelope* ab impetitionibus procorum liberanda. *Libro XXIII Idomeneus* impedire laborat hoſpitum diſceſſum, & inter alia venationem inſtituit, ubi *Antiopam* e mortis periculo liberat *Telemachus*, cum *Mentore* deinceps proficiſcens. *Libro XXIV* accipit idem præcepta gubernandi a magiſtro, qui corpus mox ſeponit aſſumtum, ſeque *Minervam* ſiſtit, mox autem in auras abit; quo facto, in Ithacam veniens juvenis, patrem invenit apud *Eumenem.* Hæc eſt operis totius non omnino ignota diſpoſitio: quam adeo excellenter ornavit Poeta, ut, heroi carminis principes feliciter æmulatum, cuilibet facile appareat. Orationes, comparationes, deſcriptiones, ſunt, quæ præcipue commendant *Maronem.* Neque hic ulla pagina iisdem, & memoria quidem haud indignis, deſtituitur. Vel ſpeciminis loco ſequentia notentur, de *Telemacho* apud *Calypſonem*, ubi omnes illæ concurrunt exornationes:

Tunc Mentor: juvenum flos, tota mente caveto,
Ne tibi dona paret, queis dum cumulabere, certum
Ibis in exitium; fuge blandimenta malignæ
Incantatricis; fugito magis illa, marinos
Quam ſcopulos, navim, circumlatrantibus undis,
Quæ fregere tuam, vaſtoque dedere profundo.
Non ſic naufragium, non mors metuenda, feroci
Terribilis vultu, quam quæ debellat amorem
Virtutis, trux inſidiis, formoſa, voluptas.
Non confide Deæ dictis: eſt illa juventæ

Mos

Mos atque ingenium, plus fidere viribus æquo,
Audacique animo vanum ſibi fingere robur,
Nec, fragili ætati quæ rite timenda, timere.
Quod metuat, cenſet nil, ſtulte credula, habere.
Quantis illecebris etiam te blanda Calypſo
Attrahat, aurem illis facilem præbere caveto,
Nec ſine, damnoſis præcordia ut ignibus intrent.
Mixta hæc Cocyti ſunt atro mella veneno,
Formoſisque latet nocuus ſub floribus anguis.
Ipſe igitur diffide tibi, & me ſedulus audi.
His ita finitis, adeunt penetralia Divæ,
Quæ cupide exſpectans tacito vocat ore morantes.
Mox albens veſte, & flaventes comta capillos,
Nympharum divina cohors, menſam inſtruit: illa
Eſt epulis equidem ſimplex, aſt ordine ſplendet
Munditieque ſua multum jucunda palato.
Sunt rite appoſitæ viſco laqueisque volucres
Ipſis deceptæ Nymphis, atque alite telo
Cæſarum in ſilvis carnes & dorſa ferarum.
Luxus abeſt omnis, peregrini nilque videtur.
Ex argentatis manant dulciſſima vina
Vaſis in pateras, auro ſertisque micantes.
Ver quoque quæ ſpondet, quæ dat bellaria dives
Autumnus, niveis adſunt rubicunda caniſtris.

TRACTATUS DE MORBIS INTERNIS CApitis, Autore JAC. LAZERME, Reg. Conſil. & in alma Facult. Monſpelienſi Medicinæ Prof. Reg. Cui acceſſere ſelectiores quædam celebriorum Medicorum Monſpelienſ. circa eosdem affectus Conſultationes, e Gallica lingua in Latinam converſæ.

Amſtelodami, ſumtibus Societatis, 1748, 12 maj.
Alph. 1.

Singularum corporis noſtri partium proprii quidam morbi ſunt, quos omnes accurate noſſe, diligenterque diſtinxiſſe, medi-

medicum oportet. Capitis inprimis morbi, per ſe ſatis difficiles cognitu æque ac curatu, ſingulari ratione hoc poſtulare videntur. Celeb. itaque *Lazerme*, Monſpelii Medicinam faciens, privatis hoſce expoſuit ſcholis, & theſes conſcriptas cum diſcipulis communicavit, quæ, cum variis, ut fieri ſolet, conſpurcarentur mendis, nunc typis mandatæ comparent induſtria viri, qui nomen ſuum latere voluit, diverſis vero in locis additamenta adjecit. Diffiteri tamen non poſſumus, varias eorum in numero comprehendi affectiones, de quibus dici nequit, quod ſolæ ad caput pertineant, ejusque partes afficiant. Expoſita primo morbi definitione & diviſione, cauſas ſymptomataque recenſet, hiſce ſigna, nec non curandi methodum, adjungens. Sequenti ſeſe deſcripti morbi excipiunt ratione, ut *Cap. I* de dolore capitis; *Cap. II* de apoplexia; *Cap. III* de caro; *Cap. IV* de comate ſomnolento; *Cap. V* de lethargo; *Cap. VI* de lethargo ſpurio, ſeu comate vigile; *Cap. VII* de phrenitide; *Cap. VIII* de mania; *Cap. IX* de melancholia; *Cap. X* de hydrophobia; *Cap. XI* de vertigine; *Cap. XII* de convulſione; *Cap. XIII* de morbis ſpasmodicis, ſeu convulſivis; *Cap. XIV* de epilepſia; *Cap. XV* de catalepſi, ſeu catoche; *Cap. XVI* de incubo; *Cap. XVII* de paralyſi; *Cap. XVIII* de tremore; *Cap. XIX* de catarrho, agat. Adjectæ ab Editore notæ & nova continent, & morbi naturam ſæpius illuſtrant, ſimulque, quantum Autoris ipſius regulæ ab hiſce differant, luculenter declarant. In fine adjiciuntur Celeberrimorum Medicorum Monſpelienſium conſultationes, quibus morbi hiſtorias additas non fuiſſe, dolemus. Numero ſunt novendecim, melancholicos præcipue affectus ſolos, vel aliis cum morbis junctos, tractantes, ad convulſivos itidem affectus & hemiplegiam pertinentes.

CHRISTIANI AUGUSTI CRUSII, PHILOS. Prof. Publ. in Academ Lipſ. Opuſcula philoſophico-theologica, antea ſeorſim edita, nunc ſecundis curis reviſa, & copioſe aucta. Accedit reſponſio ad objectiones quasdam contra Diſſertationem de limitibus principii rationis determinantis.

Lipſiæ,

Commendantur hæc Opuſcula tum argumentorum, quæ tractantur, dignitate, tum Clariſſ. Autoris excellenti doctrina & ingenii acumine, quod ſuperiori tempore ſeorſum publicatis cupidos conciliavit lectores, quemadmodum requirentium deſiderio altera hæc editio itidem debetur, tum denique ſecundis Autoris curis, quibus factum eſt, ut pleraque admodum amplificata, quædam tota fere nova, ſint.

Primo quidem loco collocata eſt Diſſertatio *de corruptelis intellectus, a voluntate pendentibus*. Demonſtratur hic, animam humanam, ſalva ejus ſimplicitate, compluribus facultatibus primitivis, ipſaque natura diſtinctis, præditam eſſe. Voluntas neceſſario requirit vires peculiares, a viribus cogitandi vere diſtinctas. Conſiſtunt illæ partim in tendentiis quibusdam inſitis, quæ appetitus vocantur, partim in libero arbitrio, ſeu ejusmodi volendi facultate, cui ſummum activitatis genus competit, quo fit, ut inter plurium appetituum objecta eligat, ſeque ad agendum ita determinet, ut, poſitis iisdem circumſtantiis, aliter agere, aut ab agendo abſtinere, potuiſſet, ideoque cauſa fuerit ad plures effectus edendos eodem tempore ſufficiens. Eſt tamen libertas humana vis finita, quæ ſuis continetur reſtrictionibus, infirmari etiam poteſt & ſuperari. Pag. 23. Corruptelæ igitur intellectus, quæ ſunt ejusmodi illius diſpoſitiones, quibus veritatis cognitio impeditur, non pendent ab animæ eſſentia, aut ab intellectus naturali limitatione. Aliter nulla daretur actionum humanarum imputatio, nulla perperam factorum culpa. Voluntas enim in perficiendis inſtitutis intellectus ſequitur judicium, circa quod ſi nihil peccari ab homine potuit, innoxia erunt omnia ejus facta, & culpa vacabunt, ſcelerum & virtutis diſcrimen exſpirabit. Explicatur igitur copioſe, quot modis corruptelæ intellectus a voluntate pendeant & proficiſcantur. Denique ſpeciatim in præjudiciorum naturam & varietatem inquiritur.

Sequitur *ſecunda Diſſertatio de appetitibus inſitis voluntatis humanæ*. 72. *Voluntas* eſt facultas ſpiritus ſecundum ſuas

 ideas

ideas agendi, ſive rem cogitatam ſecundum hanc ipſam ideam, tanquam cauſam exemplarem, efficere moliendi. Diſtinguuntur in voluntate ſpiritus ratione utentis *libertas* & *appetitus*, & utrorumque veritas & neceſſitas vindicatur. Omnis *ſenſus grati* a convenientia cum appetitibus, ſenſus vero *doloris* a pugna cum iis, originem ducit. Dantur in nobis *appetitus* quidam *eſſentiales*, & ex his innumerabiles *accidentales* gigni poſſunt. Qui eſſentialibus accenſendi ſunt, non modo univerſales eſſe debent, verum etiam boni, id eſt, perfectioni rerum eſſentiali non repugnantes. Nam, qui poſterioris generis ſunt, inter primos & connatos appetitus quidem in hominibus, uti nunc ſunt, at non inter eſſentiales, a Deo conditos, numerandi ſunt, atque corruptioni, quæ late ad omnes ſerpſit, debentur. Porro circumſpiciendum eſt, quinam inter appetitus eſſentiales pro peculiaribus, & ab ipſa na-
Pag. 93. tura conſtitutis, *viribus primitivis* accipi poſſint, & quinam e contrario nil niſi quorumvis appetituum abſtracta quædam & partes ſint, quæ mentis duntaxat abſtractione ſeparatæ, & peculiari nomine inſignitæ, tanquam ſingulares appetitus ſpectari ſolent. Pro viribus primitivis tantummodo illi appetitus habendi ſunt, qui in niſu ad unam determinatam ideam conſiſtunt, ob quam ſemper objectum ſuum appetunt, & qui præterea ex alio appetitu derivari nequeunt. *Attributa* vero omnium *appetituum communia* ſunt: averſatio contrarii, cupiditas exiſtendi, cupiditas ſecuritatis, cupiditas ſemper aliquid agendi, gradu etiam facultati noſtræ proportionali, averſatio actionis fruſtraneæ, appetitio poſſibilitatis objecti,
102. appetitus felicitatis. Dividendi autem ſunt *appetitus inſiti* in hominibus in *animales* & *humanos*, quorum illi ad naturam animalem ſpectant, nobisque cum animantibus brutis communes ſunt, hi vero ad ſcopum naturæ ratione utentis pertinent, atque ad objecta, quæ informantur abſtracta notione, feruntur. Ubi de appetitibus humanis ſtricte ſic dictis quæritur, penetrari poteſt meditatione usque ad primos illos & fundamentales, qui vere vires primitivæ & peculiares ſunt in ani-

anima humana. E contrario appetitus animales duntaxat in genera ſua, ſeu claſſes, commode deſcribendi ſunt. *Appetitus* vero *humanos* Clariſſ. Autor *tres* conſtituit. Primus eſt *appetitus noſtræ ipſorum perfectionis*, quo fit, ut ſemper plus ultra tendamus, in cujus gratiam quoque luculentam de perfectione in genere tractationem præmiſit. Ex hoc appetitu aviditas ſciendi, honoris, opum, proficiſcitur. Secundus eſt *appetitus unionis cum perfecto*, ſeu tendentia ad conjunctionem cum objectis, in quibus certas perfectiones ineſſe intelligimus, etiamſi nullam ad nos pertinentem utilitatem ſive expectemus, ſive ſpectemus. Inde amor moralis exiſtit, de quo fuſe exponitur. Tertius denique eſt *inſtinctus conſcientiæ*, ſeu tendentia naturalis ad cognoſcendum juſti injuſtique diſcrimen, certasque obligationes ex dependentia ab independenti naturæ domino, ideoque legem divinam, agnoſcendas. In conceptum igitur obligationis legalis profunde inquiritur, & dictus conſcientiæ inſtinctus multis argumentis evincitur. Circa omnes appetitus inſitos notandum quoque eſt, ideas correlatas intellectui ingenitas eſſe, quanquam earum proxime nobis conſcii non ſumus, ſed, dari eas, ex effectu demum colligimus. *Appetitus animales* diſpeſcuntur in claſſes duas. Altera complectitur *niſus determinato modo in corpore agendi*, altera vero *appetitiones determinati corporis ſtatus*, nervorum nempe. Ex utraque de variis animalium moribus, nec non de voluptate & dolore, qui corporis vocantur, ratio redditur. Explicatur, his expoſitis, quomodo ex unoquoque appetitu plures exiſtere poſſint, doceturque, libertatem ſemper cum aliquo appetitu agere, ideoque ſemper motiva aliqua ſequi. Eſt autem liberum arbitrium a Deo hominibus eo conſilio tributum, ut appetitus ſuos ipſi regant, & invicem ſubordinent, atque voluntaria electione ejusmodi volitionum ſyſtema efficiant, in quo vera inſit perfectio, ſeu virtus, quod qua ratione fiat, demonſtratur.

Pag. 108. 117. 129.

Tertia Diſſertatio inſcribitur *de uſu & limitibus principii rationis determinantis, vulgo ſufficientis*. Principium *Leibnitii*,

tii, quod rationis ſufficientis plerumque, commodius rationis determinantis, vocatur, & cui omnis fere Philoſophia *Leibnitiana* ſuperſtructa eſt, in hoc Tractatu ſub examen vocatur, quo accuratius & rigidius nunquam ſubiiſſe videtur. Explicatur primo hoc principium ex mente *Leibnitii* & *Wolfii*. Aſſeclæ enim partim ipſum *Leibnitium* parum intellexerunt, partim in varias abeunt ſententias, neque ſibi ipſi conſtant. Dilucide igitur ob oculos ponitur, quid innovaverit *Leibnitius* ſuo principio, & quantopere, dum is rationes ſufficientes requirit, ſententia ejus ab aliis viris doctis, qui de cauſis & ra-
Pag. 164. tionibus loquuntur, diverſa ſit. Confutationem Clariſſ. Autor orditur ab argumentis indirectis, & ſubtiliter demonſtrat, principium hoc omnium rerum inevitabilem neceſſitatem & fatum introducere, moralitatem vero ita e medio tollere, ut libertati, legi, culpæ, imputationi, ſceleri, virtuti, aliæ notiones ſubjiciantur, ſublatis & negatis iis, de quibus quærebatur, quæque omnibus viris bonis ſummo ſtudio tenendæ atque defendendæ ſunt. Planum deinceps facit, principium hoc nunquam neque demonſtratum eſſe, neque demonſtrari poſſe, quapropter demonſtrationes *Wolfianæ* & complures aliæ exa-
177. mini logico ſubjiciuntur, & refelluntur. Poſtea ambiguitas principii ediſſeritur, & fons detegitur, cur nihilo minus multos reperiat amatores. His expoſitis, Autor principium rationis determinantis directe aggreditur, &, quod nunquam antea factum meminimus, ſingula, quæ de judicando vero & falſo, de cauſis rerum, nec non de moralibus prudentiæ juſtitiæque rationibus, agunt, principia a priori demonſtrat, ut, quo fundamento quodque nitatur, in aprico ſit, neque concluſiones
221. ultra rationem ſuam extendantur. Hoc quidem novem facit propoſitionibus; quo facto, ex ſubjuncta decima a priori perſpicitur, quid in principio *Leibnitiano* peccatum ſit. Si breviter delineandum eſt, quo tandem deveniat Clariſſ. Autoris oratio, ſequentia accipe. Diſputatur inter defenſores cauſæ *Leibnitianæ* & diſſentientes, *num, quicquid oritur, ex ejusmodi gignatur cauſis, quæ tunc non niſi ad unicum agendi modum*

dum determinatæ fuerunt, & an non actiones liberæ proficiſcantur a cauſis, quæ eodem tempore ad plures effectus edendos æque ſufficientes fuerint, quo dato, ſubſtantia libere agens nunquam quidem agit ſine cauſa ſufficiente, ſed agit ſine ratione determinante. Nimirum omnis actio libera pendet a cauſa vere ſufficiente: Sed nihil impedit, quo minus, quæ ad unum effectum ſufficiens fuit, eadem ad plures eodem tempore fuerit ſufficiens. Ergo, dum actiones liberæ a cauſa pendent ſufficiente, non tamen cauſam agnoſcunt ad unicum agendi modum determinatam. *Leibnitius* vero *rationis* vocabulo diverſam a reliquis eruditis poteſtatem ſubjecit, rationem vocans, ex quo intelligitur, *cur* aliquid fit, & *cur* ita, non aliter. Jam, cum ex cauſis nunquam effectus prævideri poſſit, intelligique, cur ita fit, non ſecus, præterquam ubi cauſæ ad unicum agendi modum determinatæ fuerunt, efficitur, ut, dum, quicquid eſt, rationem ſufficientem habere, dixit, neceſſe ſit, fateri, quicquid oritur, a cauſa proficiſci, quæ ad unicum agendi modum determinata fuit, quod libertati adverſatur. Limitat igitur Clariſſ. Autor principium *Leibnitianum* in hunc ferme modum: *Omne ens, quod aliquando non exſtitiſſe cogitari poteſt, oriri a cauſa ſufficiente; præterea, quicquid oritur, niſi actio prima libera fuerit, ab ejusmodi oriri cauſa ſufficiente, ut, poſitis his circumſtantiis, non oriri, aut aliter oriri, non potuerit.* Reliqua in ipſo Tractatu videri debent. Appendicis loco ſubjuncta eſt fuſa confutatio duorum Tractatuum, Autori oppoſitorum, quorum alter Clariſſ. *Jo. Georg. Ehrharti*, Gymnaſ. Luneb. Conrectoris, alter Anonymi, eſt. Pag. 227.

Quarto ſequitur loco diſquiſitio, *an cum B. Luthero recte negari poſſit, idem verum eſſe in Philoſophia & Theologia.* Monet Autor, non ſimpliciter reprehendendum eſſe, quod non *Lutherus* modo, verum etiam permulti viri graves, dixerunt, non ubique idem verum eſſe in Theologia & Philoſophia. Subodoratos eos aliquid, & eminus ſenſiſſe, exiſtimat, quod non ſatis explicuerunt. Ad hoc igitur diſtincte exponendum ſe accingit Noſter, confutatis aliorum afferti hujus interpretationi- 296.

 bus,

Digitized by Google

bus, perperam factis. Nimirum ſtrictiſſime loquendo non niſi unica eſt veritas. Attamen, quæ in Philoſophia valent, non ſemper valent in Theologia, quod, quoniam, quæ in diſciplina quadam valent, ibidem vera etiam eſſe dicuntur, a quibusdam ita enuntiatum eſt, ut dicerent, quod in Philoſophia eſt verum, id non ubique verum eſſe in Theologia. Hujus rei in Tractatu diſtincte & ex intimis Logices principiis nova fere via rationem reddit, ſed quæ in epitomen vix redigi potuerit. Potiora hæc ſunt. Veritas objectiva, ſeu metaphyſica, neceſſario non niſi una eſt. Hanc vero ut reſciant ſpiritus finiti, certa veri criteria intellectui eorum ingenerari debuerunt, quæ in ipſa cogitandi facultatis indole inſunt. Hæc igitur ſpiritus illos veritatem docent, cum quibus quæ conveniunt, reſpectu illorum vera erunt & dicentur. Sed fieri poteſt, ut intellectui noſtro etiam ejusmodi inſint veri criteria, quæ, dum ad objecta Philoſophiæ applicantur, verum metaphyſicum doceant, ſed, dum ad Theologiam transferuntur, vim ſuam amittant, idque iterum ſecundum criteria veritatis ſumma, quæ in intellectu noſtro latent. Quapropter, quando univerſa, quæ in intellectu noſtro inſunt, veri criteria ſimul ſumamus, & inter ſe comparemus, neque ea in re quidquam per temeritatem & præcipitantiam peccetur, ſequitur ob veracitatem divinam, nihil in intellectu noſtro verum eſſe, cui non veritas quoque metaphyſica reſpondeat. Ergo, quando de propoſitionibus omni ex parte determinatis & reſtrictis ſermo eſt, idem verum eſt in Philoſophia & Theologia, ſed ejusmodi propoſitionibus raro utimur, & uti poſſumus, in quibus nihil prorſus reſtrictionis, vel determinationis, deſit. Hinc principia enaſcuntur, quæ in Philoſophia ideo vera ſunt, & ſine reſtrictione ponuntur, quia, quanquam non niſi cum reſtrictione vera ſunt, hujus tamen reſtrictionis in ſphæra philoſophica exemplum, aut occaſio, non occurrit. Contra in Theologia reſtrictio locum habere poteſt.

Pag. 310.

poteſt. Obtinet hoc tum in principiis rationis formalibus, ſeu logicis, tum in materialibus, nec non tum in principiis, quibus in demonſtratione utimur, tum in præſumtionibus, ſecundum quas probabilia dijudicantur. Omnia argumenta nituntur ultimum falſitate incogitabilium. Hoc ipſum vero certis reſtrictionibus capiendum eſt, quoties aliquid non ob repugnantiam, ſed alia quacunque de cauſa, incogitabile eſt. Has itaque reſtrictiones Autor ſubtiliter explicat, atque de colliſione etiam principiorum materialium, & præſumtionum probabilitatis, utiliter commentatur. Appendicis loco ſubjuncta eſt Oratio de ſubſidiis cognoſcendæ veritatis a modeſtia exſpectandis.

Quintus denique Tractatus, qui omnium latiſſime patet, agit *de decoro divino*. Orditur Clariſſ. Autor a ſubtili philoſophica tractatione de decoro in genere, & repertas notiones deinceps ad decorum divinum, & ad doctrinas præcipuas theologicas, applicat. *Decorum* eſt agendi modus, debitas perfectiones in ente rationis participe ſignificans. Quare, quando **Pag. 370.** decorum vulgo dicitur, quod convenit cum perfectionibus, in aliquo requiſitis, cogitandum eſt de convenientia ſigni cum ſignato. Commonſtrat Autor, notionem hanc ſupponi *1 Cor. XI, 3 - 15.* Sequitur exinde, ut, quoniam virtus una itidem tanquam ſignum alterius conſiderari poteſt, etiam illa hos homines decere recte dicatur, qui hujus ſpeciem præ ſe ferre volunt, **378.** aut debent, & quatenus ita ſpectantur, v. g. *Epheſ. V, 3, 4. Tit. II, 2.* Quare poſtea explicite tradit, quomodo differant honeſtum, decorum, & pulchrum, docetque, hæc ſibi invicem non opponi, ſed conceptus eſſe, quorum alio quisque conſilio abſtractus eſt, ſed qui in eodem exemplo concurrere poſſunt. Dividitur igitur decorum in *decorum virtutis*, quod tale eſt ob nexum cum officiis, ſeu honeſtis, quibusdam, & in *decorum elegantiæ*, ſeu pulchritudinis. *Deo decorus* dicitur ejusmodi agendi modus, qui idoneus eſt ad ſignificandas perfectiones, quæ ſecundum rectæ rationis princi-

pia

pia Deo competere debent, ſive *decet Deum*, quatenus aliquid, quod Deus facit, aut ordinat dirigitque, ita eſt comparatum, ut ex eo intelligatur, illud ab hujusmodi cauſa profectum eſſe, aut ſaltem proficiſci potuiſſe, quæ entis infiniti pollet perfectionibus. Poſtquam multa, huc ſpectantia, egregie & copioſe diſputavit, ſubſiſtit præcipue circa decorum paſſionis & baptiſmatis Chriſti *Ebr. II, 10*, & *Matth. III, 13-15*, in quibus Scripturæ S. locis decori expreſſe mentio injicitur. Sed excurrit etiam ad multo plura doctrinæ Chriſtianæ capita, & ſyſtema redemtionis tanquam Deum exactiſſime decens vindidicat, nec non œconomiam Evangelii, & potiores vitæ mortisque Chriſti circumſtantias, ſigillatim perluſtrando, decorum divinum, ex his effulgens, oſtendit. Non minus ſolide tractatum, quam in ſe jucundum, eſt hoc argumentum, multisque novis fere argumentis & obſervationibus ſcitu digniſſimis profanitati noſtrorum temporum eſt obviam itum. Quapropter, hanc Diſſertationem ut multi legant, optamus. Neminem enim fugit, profanos Chriſtiana religione non aliam ob cauſam offendi, quam quod, multa Deo indecora in ea reperiri, falſo ſibi perſuadent, & viciſſim animum probum nulla re magis ad ejus venerationem ſollicitari, quam decori divini, in doctrina & factis ubique elucentis, pulchritudine atque conſtantia.

ELOGIUM JUSTI HENNINGI BOEHMERI, JURE-consultorum Halenſium principis.

Juſtiſſimos ingeminant gemitus Muſæ Halenſes de luctuoſiſſimo funere Celeberrimi *Bœhmeri*, qui merito præſidium Academiæ, delicium urbis, eruditorum reipublicæ ocellus, ſeculi noſtri *Papinianus*, civilis & eccleſiaſtici Juris heros, ſalutatur. Hinc Fridericiana obſtrictiſſimam ſe agnoſcit, honoris ut monumentum ei erigat, vitæque rectisſime ab eo actæ memoriam conſervet. Patria ei obtigit nobiliſſima Guelforum urbs, Hanovera, ubi natus fuit die 29 Januarii anni ſuperioris Seculi quarti & ſeptuageſimi. *Valentinus Bœhmerus*, cauſa-

cauſarum patronus ſpectatæ prudentiæ & integritatis, ipſi fuit pater, mater vero ex gente *Schirmeria*, nobiliſſima ſtirpe, oriunda. Non abs re erit, Lectores hic monere, *Bœhmeros* gentis ſuæ origines debere Bohemiæ, unde etiam nominis affinitatem facile liceat colligere. Eo enim tempore, quo bello Huſſitico Bohemia premebatur, multique, ſacrorum cauſa patria extorres, peregrina quærebant hoſpitia, inter eos etiam *Bœhmeri*, in Germaniam profugi, ad Brunſuicenſes terras, tanquam ad tutiſſimum portum, ſe receperunt, & fortunarum ſuarum ſedem, patriis relictis laribus, hic conſtituerunt. Optimi hi parentes in filiolo vividam facile indolem, & præclari ingenii inuſitatum agnoſcebant acumen; quin tralatitium etiam eſt de eo, inſediſſe jam infanti aliquod quaſi naturale librorum deſiderium, adeo, ut vagientem blandimenta nulla, nulla crepundia, certius demulcere potuerint, quam adſpectus libellorum. Magis tamen in puerili ætate divina ejus indoles eluxit; id quod parentes excitavit, optimis ut ſcientiis filium mature imbuerent. Ad annum usque decimum quartum intra privatos parietes, tum ipſius patris ſtudio, tum aliorum magiſtrorum opera, literis ſe tradidit *Bœhmerus* noſter. Poſtea in ſcholam Hanoveranam publicam receptus, & peritiſſimis magiſtris commiſſus eſt. Vix exacto biennio, primi ordinis alumnis adſcriptus, & doctiſſimo *Hoyſenio*, Rectori, in diſciplinam traditus eſt; ubi quam maxime artibus, quæ ad humanitatem pertinebant, expolivit ingenium, ſatis cognoſcens, in his verum decus & excellentiam totius eruditionis eſſe ſitam, nec nobile aliquid & magnificum exſurgere, niſi jacto prius in literis politioribus fundamento. Academiæ maturus juvenis patris arbitrio ad altiora tranſiit A. 1696, eoque fine Jenam abiit, præclariſſimis abundantem doctoribus, ubi, prudentiſſimo ſane conſilio, ſtudiis Philoſophiæ ſe tradidit primum, ducibus *Schubarto*, *Treunero*, & *Hartungio*. His inſtructus præſtantiſſimis ſubſidiis, feliciter ad ipſam deinde Jurisprudentiam excolendam acceſſit, docto-

tibus uſus celeberrimis, *Lynckero*, *Wildvogelio*, *Schrætero*, *Friſio*, *Flærckio*. His continuo adhærens, eorumque ſolidiſſimas doctrinas penitus imbibens, maximorum præterea Juriſconſultorum ſcripta aſſidua manu verſans, brevi totum Juris peritiæ ambitum ingenio ſuo eſt complexus. In illud tempus incidit Fridericianæ inauguratio, inſigni apparatu ſolennique feſtivitate ſuſcepta. Quæ ſolennitas cum exteros magno numero alliceret, ac unusquisque plane inſolito ſpectaculo oculos implere feſtinaret, tactus quoque rei magnitudine *Bœhmerus*, Halam petiit, ut pompam dedicationis præſens miraretur. Mox, ut ibi vivere daretur, ardentiſſime optabat. Sed patria voluntas eum revocabat a Salanis Muſis, inter quas aliquoties publica in cathedra fortiter ſteterat, inprimis cum proprio Marte elaboratam defendiſſet Diſſertationem *de imputatione culpæ propriæ*. Redditus natali ſolo, ſuaſu hortatuque parentis forum frequentare cœpit, & dextre ardenterque cauſas egit. Curam tamen animumque haud abjiciebat vitæ Academicæ, cui, ſi fors ita ferret, ſe totum erat traditurus. Commoda ipſi paullo poſt occaſio offerebatur, Rintelienſem Academiam, ut juveni ibi nobiliſſimo eſſet comes, petendi, ex qua, cum Rintelienſium res viliſſimæ atque abjectæ viderentur præ Halenſis Academiæ celebritate atque dignitate, cum juvene, fidei ipſius demandato, Halam ire jubebatur, quo lætius nihil ei contingere poterat. Præter alios magni nominis Profeſſores tum præcipue ſe addicebat viris illuſtribus atque clariſſimis, *Stryckio*, *Thomaſio*, *Buddeo*, quorum nomina & erant, & adhuc ſunt, celebratiſſima. In præcipua vero felicitatis parte poſuit, quod ad *Stryckii* atque *Thomaſii* penates facillimi ipſi patuerint aditus. Maximis a *Stryckio* inprimis cumulatus eſt beneficiis, qui, adjutum omni ratione cupiens Virum probatiſſimum atque eruditiſſimum, nullam tuendi ejus atque ornandi occaſionem neglexit. Paterna enim caritate noſtrum *Bœhmerum* complexus, optima eruditionis

nis, ſubſidia largiter ei ſubminiſtrabat, inſtructiſſimæ Bibliothecæ uſum concedebat, arcana Jurisprudentiæ aperiebat, atque ita formare eum ſtudebat, ut hunc præcipue ampliſſimæ doctrinæ ſuæ hæredem ſibi adoptaſſe videretur. Poſt hæc illuſtriſſimo Comiti *Waldeccio, Georgio Henrico*, ſtudiorum atque morum moderator datus eſt, cum qua dignitate honores Licentiati, hortatu inprimis *Stryckii*, conjunxit, *de jure Epiſtalmatis* publice A. 1697 diſputans, cui diſceptationi publicæ mox aliam addidit perelegantem *de teſtamento non prælecto*, quam inſigni cum applauſu Præſes propugnavit. Docendi deinde perſpicuitas ac fides, cum abundantiſſima doctrina conjuncta, maximam ipſi celeriter auditorum conciliabat frequentiam, quam Diſſertationes doctiſſimæ maxime adjuvabant. Inter hæc *Stryckius* ad Actorum quoque judicialium tractationem *Bœhmerum* adhibebat, ut in Jurisprudentiæ practica parte opportunitates multas ſibi acquireret. Annus agebatur hujus Seculi primus, ubi proceribus regiis, ſingulari plane ipſi ſuppeditata occaſione, innoteſcere incipiebat, atque favorem eorum inſignem colligebat. Contigit igitur, ut vix Halam redux Berolino, ubi ſolennes novi Regis poſt Regiomontanam coronationem reditus, cum Comite *Waldeccio*, ſpectaverat, Profeſſor Juris Extraordinarius appellaretur, & inſequenti anno infulam Doctoralem ſibi compararet. Quam ſpartam, omni fide atque diligentia ab eo ornatam, illud ſecutum eſt, ut anno hujus Seculi quarto a *Stryckio*, laboris in Jurisconſultorum ordine levandi cauſa, Regis Sereniſſimi permiſſu, adſciſceretur; in cujus locum etiam, quod ad Profeſſionem ordinariam, anno hujus Seculi undecimo ſucceſſit. Novum officium novis eruditionis ſpeciminibus illuſtrabat, cum, præter crebras Diſſertationes, aliosque feliciſſimi ingenii fœtus, inſignia & profundioris doctrinæ opera ederet. Poſt obitum *Jo. Sam. Stryckii*, majora *Bœhmerus* ſibi emolumenta comparabat, cum in locum illius exem-

 plo,

plo, addita honorifica Conſiliarii regii dignitate, ſufficeretur, *Stryckiano* ſalario clementiſſime donaretur, & locum ordinarium in Ordine juridico obtineret, quem adhuc extra ordinem & ſupra numerum occupaverat. Factum id anno Seculi noſtri decimo quinto. Quadriennio poſt Conſiliarii intimi ſplendidiſſimum nomen a Rege ſuo clementiſſimo accepit, &, fatis functo *Chriſtiano Thomaſio*, A. 1729 in alterum a Facultatis Juridicæ Præſide locum adſcendit, digniſſimis honoribus ſubinde altius evectus, donec eniti daretur ad ſummos, qui in Fridericianæ Profeſſorem cadere poſſunt. Maximæ inprimis *Bœhmero* noſtro gloriæ erat, Regem glorioſiſſimæ memoriæ, *Fridericum Wilhelmum*, ubi inter alias regni curas conſilia aliquando agitaret reſtituendæ priſtino nitori Fridericianæ, Noſtrum conſuluiſſe, eumque ad ſe Potsdamium evocaſſe. Hic multa peculiaris gratiæ teſtificatione cumulatus, atque ſic dimiſſus, fructum itineris paulo poſt largiſſimum reportavit, ubi ſub ineunte vere anni 1731 Vicarius Ordinis Jurisconſultorum Præſes reſcripto regio appellaretur, addita ſublimi Directoris Academiæ dignitate, proxima a faſtigio Pro-Rectoris. Novam denique dignitatis obtinuit acceſſionem A. 1743, ubi non modo Præſes Juridici Ordinis regio juſſu poſt obitum Ill. a *Ludewig* ſalutaretur, verum etiam honore Magdeburgici Ducatus Cancellarii donaretur. Ita illuſtrem nominis famam adeptus, fieri vix potuit, quin ab exteris ſæpenumero, ut ad ſe tranſiret, ſtudioſiſſime ſollicitaretur. Nunquam tamen voluit locum illum relinquere, ubi primam fortunarum ſedem invenerat, & tot tantisque regiis beneficiis auctum ſe gratiſſime agnoſcebat. Conſulatu Academico bis eſt functus, tertia tamen vice, multis aliis diſtentus negotiis, magiſtratus honorem recuſavit modeſte, ac ſponte ſucceſſori reſignavit. Ordinis ſui Decanatum geſſit decies ſepties, tam largo Candidatorum proventu, ut in univerſum LXXV numeraverit ſuis auſpiciis creatos Juris doctores atque Licentiatos. Animum *Bœhmeri* ſi noſcere

ſcere cupias, ſine veritatis offenſione dicendum eſt, ſanctitatem atque pietatem in ipſo excelluiſſe ſingularem, eumque ſolidiſſimæ animi tranquillitati ſtuduiſſe, ſicque vitam reapſe vixiſſe feliciſſimam, atque imaginem Jurisconſulti vere Chriſtiani exhibuiſſe per omnes vitæ dies. Hinc publicis frequentisſime intererat ſacris, a quibus frequentandis eum nec multiplices occupationes, nec ingruentes ſenectutis moleſtiæ, unquam retardare poterant; inter privatos parietes precibus ardentisſimis Numen propitiare, diligentique divini Codicis lectione animum paſcere, ſolebat. Quam vivendi rationem conſtantisſime tenens, cœleſtique præſidio, tanquam ſcuto, ſecurus, immotam animi conſtantiam familiari ſymbolo exprimebat: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Moderatione fuit egregia, fide antiqua, & candore atque integritate animi eximia: ab omni mentis malignitate, fallaciisque, alienisſimus, nullam artem, niſi illam ſimulandi, ignorans magis. Memoriæ vim habuit prorſus excellentem, cujus vivacitati nihil ſenectus detraxit, memineruntque jam ſenem collegæ Juridici Ordinis promtisſime & maxima animi præſentia, ſine ullo excerptorum ſubſidio, forenſes controverſias retuliſſe ex Actis, imo ipſas interdum ex tempore paginas allegaſſe, ac, ubi opus eſſet, ſine mora & negotio evolviſſe. Præterea diligentisſimus atque laboris fuit impatientisſimus, erga ſtudioſam juventutem animo propenſisſimo, & in prælectionibus ſuis fidelisſimus. Quo dum in curſu conſtanter perſeveravit, nec ulla corporis debilitate ab explendis officii partibus revocari potuit; accidit ei, ut apoplexiæ inſultibus corriperetur docens, id quod decorum ipſi fuiſſe exiſtimandum eſt, ſiquidem non minus glorioſum putatur, docentem atque Jura explicantem Profeſſorem, quam ſtantem mori Imperatorem. Interponere hic juvat ea, quæ ad matrimonium ejus pertinent auſpicatisſimum, cum lectisſima *Stuzingia*, virgine ornatisſima, Patricii ac Salinatoris Halenſis filia, anno tertio hujus Seculi initum. Nactus eſt in ea tori ſociam piam, fidam,

dam, prudentem, omniumque virtutum egregiarum ornata conſpicuam, qua vero triceſimo nono hujus ævi anno orbatus fuit. Vidit ex ea clariſſimos filios, in quibus etiam poſt fata victurus eſt, paternarum virtutum hæredes, ac fere ſingulos Jurisconſultos, ut *Bœhmeriana* domus, quemadmodum Romæ olim *Scævolarum* gens, Juriſconſultorum vere appellari poſſit. Maximus natu eſt Vir illuſtris, *Jo. Sam. Frid. Bœhmerus*, Regis Pruſſiæ Conſiliarius intimus, Profeſſor olim in Fridericiana Juris Ordinarius, & Comes Palatinus Cæſareus, nunc Ordinis JCtorum in Francofurtana ad Oderam Academia Præſes. Ex cujus matrimonio, cum virgine ornatisſima, magni *Stahlii* filia ſecundo genita, triceſimo quinto Seculi noſtri anno inito, pater nepotes ac neptes octo amplexus eſt. Natu ſecundus fuit filius Vir Perilluſtris *Carolus Auguſtus de Bœhmer*, Regi Pruſſiæ a conſiliis ſanctioribus, & Glogavienſis ditionis in Sileſia Præſes, dignitatis ſplendore munerisque excellentia ſpectatiſſimus. Junctus is matrimonio fuit fœminæ generoſisſimæ *de Kalkreuth*, quacum ſocietatem vitæ conjugalis iniit, quæ ſeriem nepotum avi binis auxit filiabus, filioque unico. Acerbiſſimus tamen caſus fuit, cum ipſe etiam, ſplendidum illud familiæ lumen, inopinata & ſubita morte in medio annorum flore, exſtingueretur die 7 Martii anni 1748, & fata parentis, turbato naturæ ordine, anteverteret. Tertius natu filius eſt *Georg. Ludov. Bœhmerus*, Regis Britanniæ & Electoris Brunſvicenſis Conſiliarius aulicus, ac Profeſſor Juris Gœttingenſis, magnum inclytæ Academiæ ornamentum. Poſtremus natu eſt Vir excellentisſimus atque ampliſſimus, *Philippus Adolphus Bœhmerus*, Medicinæ & Anatomiæ Profeſſor Ordinarius Halenſis, præclara eruditione celeberrimus, ac de fama medici ordinis optime meritus. Conjux huic contigit virgo nobilisſima, *Naumannia*, Patricii & Salinatoris Halenſis filia unica, ex qua illuſtris Cancellarius nepotes tres, & neptem unam, vidit. Ultima quod ſpectat vitæ pericula, quæ *Bœhmerus* illuſtris ſubiit, notandum eſt, diem 11 Auguſti triſtisſimum fuiſſe, quo ſiniſtrum corporis latus invaſit improviſa

viſa & ſubita apoplexia, multum minitans periculi, cui quidem morbo clariſſimi mature occurrebant Medici. Vana tamen erant omnia humana conſilia. Hinc ipſe ſenex ſentiebat, exitum ex hac vita mortali imminere, januamque ad novam vitam, eamque æternam, patefieri. Deceſſit placide die 23 Auguſti, & ſine ullo prope ſenſu mortis animam Deo reddidit, poſtquam vivendo annos expleverat LXXV, menſes VI, hebdomades III, dies IV. Admirandæ diligentiæ monumenta, a celeberrimo *Bœhmero* edita, *Catalogus Scriptorum* exhibet, cum annotationibus quibusdam a *I. G. K.* editus, & quatuor plagulis typis excuſus. Illorum potiora hæc ſunt: 1) *Petrus de Marca de concordia ſacerdotii atque imperii*, cum obſervationibus eccleſiaſticis, 1708, fol.; 2) *Conſultationum & deciſionum Juris Tomi tres*, 1733-1748, fol.; 3) *Jus eccleſiaſticum Proteſtantium, Tom. I-IV*, 1714-1737, 4; 4) *Tractatus de Jure parochiali*, 1701, 4, cujus quinta A. 1738 prodiit editio; 5) *Uſus moderni Stryckiani* continuatio tertia a *Lib. XXIII*, usque ad *Librum XXXVIII*, 1713, 4, aliquoties deinde & noviſſime prodiit A. 1747; 6) Meditatio juridica *de iniquitate & injuſtitia actionum injuriarum*, 1714, 4; 7) *Manuductio ad methodum diſputandi, & conſcribendi Diſputationes juridicas*, 1703 8; 8) *Introductio in jus Digeſtorum*, cujus ſeptima editio A. 1746 prodiit; 9) *Introductio in Jus publicum univerſale*, cujus editio ſecunda emendatior prodiit A. 1726, 8; 10) *Delineatio de actionibus, gradibus matrimonialibus, & ſucceſſione ab inteſtato*, cujus octava prodiit editio A. 1749, 8; 11) *XII Diſſertationes Juris eccleſiaſtici antiqui ad Plinium Secundum & Tertullianum*; 12) *Schilterus illuſtratus*, 1720, 8; 13) *Corvini a Belderen Jus Canonicum*, notis ſuccinctis illuſtratum, 1717, & quarta vice recuſum A. 1736, 8; 14) *Juſtiniani Inſtitutiones*, 1718, & emendatius editæ A. 1728, 4; 15) *Fleurii Inſtitutiones Juris eccleſiaſtici*, cum animadverſionibus; edidit has Autor ſecunda vice A. 1733, 8; 16) *Inſtitutiones Juris Canonici*, tum eccleſiaſtici, tum

Pon-

Digitized by Google

Pontificii, ad methodum Decretalium, nec non ad fora Catholicorum atque Proteſtantium compoſitæ, 1738; tertia vice ſunt editæ A. 1747, 8 maj.; 17) *Mevii Deciſiones*, ſeptima vice editæ, cum proloquio *de collectionibus, uſu, & autoritate Deciſionum*, præcipue rotæ Romanæ & Mævianarum, Francof. 1740, fol.; 18) *Corpus Juris Canonici*, in *duos Tomos* diviſum, & Appendice nova auctum, cum Codicibus veteribus MStis, aliisque editionibus, collatum, & variantibus lectionibus, notis, atque indicibus, inſtructum, 1747, 4 maj.; 19) *Exercitationes ad Pandectas, Tom. I - III*, 1745 - 1748. Succedit index *Diſſertationum Academicarum*, ſub præſidio *Bœhmeri* habitarum, ab ipſoque vel elaboratarum, vel expolitarum, quarum numerus ad centum & triginta novem adſcendit. Tertio loco enarrantur Præfationes, quarum duodecim hic conſpectui dantur. His decem alia ſcripta minora adduntur, & magnus numerus particularum, Theotiſce perſcriptarum, *Halenſibus Indicibus* inſertarum, adjicitur enarratus. Hæc ſunt monumenta ſaxis marmoribusque longe ſpecioſiora, & per omnem ætatem in animis hominum duratura. Hæc ſunt incitamenta, omnibus ingenuis ingeniis ad imitationem atque excitationem expoſita, ut ſecundum virtutis tramitem, & exquiſitam doctrinam, in communem uſum aliquid offerant, atque nominis ſui famam poſt ſe æternum duraturam relinquant. Nos ſanctam omni tempore habebimus memoriam Viri ab omnibus etiam poſt mortem amari digniſſimi, cujus ut exemplum imitentur, qui ſolidæ eruditioni ita ſtudent, ut veram ejus, non fucatam, laudem conſectentur, vehementer optamus.

Menſe *Aprili pag. 227 lin. 28* poſt (v. g. *Ir, Im, Io,*) adjiciatur *intercipiunt.* Ibidem *pag. 234 lin. 33* pro *Fig. 4* ſcribatur *Fig. 2.* Ibidem *pag. 235 lin. 3* addatur in margine *Fig. 4.* Menſe *Majo pag. 268* & *272* pro *Tab. III* ſcribatur *Tab. II.*

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Julii Anno MDCCL.

ROMANUM MUSEUM, SIVE THESAURUS eruditæ antiquitatis, in quo proponuntur ac dilucidantur Gemmæ, Idola, Inſignia ſacerdotalia, Inſtrumenta, ſacrificiis inſervientia, Lucernæ, Vaſa, Bullæ, Armillæ, Fibulæ, Claves, Annuli, Teſſeræ, Styli, Strigiles, Gutti, Phialæ lachrymatoriæ, Inſtrumenta muſica, Vota, Signa militaria, Marmora, &c. adjectis in hac tertia Romana editione plurimis annotationibus & figuris; opera & ſtudio MICHAELIS ANGELI, CAUSSEI DE LA CHAUSSE.

Tomi II.

Romæ, ſumtibus Fauſti Amidei, 1746, fol.
Tom. I Alph. 1 plag. 11½, Tom. II Alph. 1 plag. 13, cum Tabb. æn. 208.

Admittimur in muſeum, ubi oculos variis ornamentis paſcere unicuique, inprimis vero antiquitatis ſtudioſo, liceat. Proponuntur ac dilucidantur in hoc opere, quod ſtatim inſcriptio docet, gemmæ, idola, inſignia ſacerdotalia, & ſimilia multa antiquitatis monumenta. Sive Autorem, ſive ipſum opus, ſpectes, notius eſt nomen eorum, quam ut, copioſius de his dici, neceſſarium videatur. Proſtant inter alia Autoris *Picturæ antiquæ cryptarum & ſepulcri Naſonum, delineatæ & expreſſæ ad archetypa a Petro Sancte Bartholi & Franciſco, ejus filio, deſcriptæ & illuſtratæ,*

quod opus ex Italico Latine redditum fuit A. 1739. Quod ad hoc opus, quod præ manibus habemus, attinet, tranſtulit illud in linguam Batavam *David von Hoogſtraten*, & P. *le Clerq* cum figuris edidit. Quæ cum ita ſint, & tertia vice lucem adſpiciat publicam hoc ſcriptum, quod ſub initio hujus Seculi primum prodiit, jam de eo non niſi pauciſſimis dicemus.

Tomo I præmiſſa eſt Dedicatio ad *Carolum* S. R. I. Baronem *de Firmian*, *a Conſiliis aulicis imperii*, a bibliopola, qui etiam Præfationem ad Lectorem dedit, quæ de toto opere pluribus nos docet. Illud, plurimis annotationibus & figuris in hac tertia editione auctum, in *ſeptem Sectiones* dividitur. Gemmæ, quæ primam & pretioſiorem ejus partem conficiunt, in duas claſſes diſtinguuntur, quarum altera Deorum, illuſtriumque virorum, icones, altera figuras, exhibet. Illæ omnes ſcalptura vel elevata, & exſtanté, vel cava, reperiuntur, Poſteriores ſigillorum vicem gerebant, quarum multæ ſuperſtitioſæ, variis characteribus figurisque inſignitæ, tanquam amuleta geſtantur. *Secunda Sectio* verſatur circa Deorum ſimulacra, idola, aliasque imagines æreas, ac marmoreas. Hæc *primum* comprehendunt *Volumen*. In *altero Volumine tertia Sectio* flaminis dialis, pontificis maximi, & auguris, inſignia, nec non inſtrumenta, ſacrificiis inſervientia, proponit. *Quarta Sectio* inſtrumenta muſica veterum; *quinta* elegantes æneas antiquorum lucernas; *ſexta* miſcellanea, continet, vaſa nempe, bullas, armillas, fibulas, annulos ferreos, claves, teſſeras, ſtylos, ſtrigiles, guttos, phialas lachrymatorias, manus æneas, hieroglyphicis inſignitas ſymbolis, vota referentes, & ſigna militaria, nec non antiquam picturam *Barberinam*, notis illuſtratam; quibus ſubjungitur Diſſertatio de Mutini ſimulacris, quæ *ultima Sectio* eſt. Adjectum eſt in fine corollarium, marmora, aliaque antiqua monumenta, declarans. Aliam deinde editionem promittit bibliopola, & nonnulla indicat, quæ in exſcribendo opere mutata fuerunt. Idem, quamplurimas tabulas, æri inciſas a præclariſſimis viris, eximias gemmas, marmoraque inſculpta, præcipue vero *Sectionem* integram, veterum muſica inſtrumen-

menta, quæ in ipſius *Cauſſei* editione deerant, referentem, adjeciſſe ſe, profitetur, adhibita in editione omni cura tam nitidæ chartæ, quam pulchris characteribus, ac meliori operis diſpoſitioni, diviſioni, annotationibusque. Subjicitur Index Cimeliarchiorum, e quibus res antiquæ, in hoc libro citatæ, depromtæ ſunt. Hæc generatim indicaſſe, ſatis ſit; nunc ad ipſum opus progrediamur. *Sectio I* ſiſtit gemmas antiquas, capita & ſymbola Deorum referentes, & complectitur Tabulas 65, quarum figuræ æneæ ſunt adjectæ. Occurrit in iis *Serapis*, *Iſis*, bis expreſſa, *Jupiter Ammon*, *Minerva*, bis expreſſa, *Minerva*, ſive *Aſpaſia*, *Apollo*, *Æſculapius*, *Hygiea*, *Silenus*, *Baccha*, bis expreſſa, *Africa*, *Solon*, *Socrates*, *Plato*, *Alexander Magnus*, ejusque mater, *Olympias*, *Lyſimachus*, *C. Cælius Caldus*, *Cn. Pompejus Magnus*, *M. Tullius Cicero*, *A. Poſtumius Albinus Brutus*, *Cn. Domitius Ahenobarbus*, *C. Julius Cæſar*, *Tiberius*, *Lucius Verus*, *Commodus*, *M. Did. Sever. Julianus*, *L. Sept. Severus*, *Elagabalus*, *Julia Sabina*, *Iſis Loto inſidens*, *Iſis inter quatuor elementa*, *Cybele*, *Apollo*, *Solis quadriga*, *ſeptem Planetæ*, *Diana Lucifera*, *Venus Verticorda*, *Venus Pelagia*, *Venus victrix*, *Venus a Tritone vecta*, *Bacchus a Centauris vectus*, *Bigæ*, *Amuletum*, *Mercurius & Fortuna*, *Mercurius & Minerva*, *Hercules*, *Ficus Ruminalis*, *Amor & Centaurus*, *Centaurus*, *Sacerdos Perſicus*, *Ganymedes*, *Antinous*, *Mænas*, *Meduſæ capita*, *Silenus & Satyri*, *Elementorum ſymbola*, *Vas ex Achate*, *Serapis*, *Sapientia*, *Idolum*. *Sectio II* conſiderat in Tabulis 64 Deorum ſimulacra, idola, aliasque imagines æneas & marmoreas. Conſpicitur *Jupiter*, *Serapis*, *Dea Roma*, *Bacchus*, bis expreſſus, *Faunus*, *Satyra*, ſeu *Fauna*, iterum *Bacchus*, *Bacchantes*, tribus Tabulis expreſſæ, *Cybele*, *Ceres*, *Neptunus*, *Mercurius*, *Minerva*, bis, *Diana Epheſia*, *Diana lucifera Diana triformis*, tribus Tabulis expreſſa, *Mythras*, *Æſculapius*, *Salus*, *Vulcanus*, *Fortuna*, tribus Tabulis expreſſa, *Abundantia*, *Signum Pantheum*, bis, *Harpocrates*, bis, *Angerona*, *Victoria*, *Hercules*, ter, *Canopus*, quater, *Sacerdos Ægyptius*, *Ibis*, *Camillus*, *Pocillator*, bis, *Atys*, *Autumnus*, *Venus*, bis, *Narciſſus*, *Mithridates*, *Rex*

Pag. 1—48.

49—109.

Ponti, *C. Marius*, *Silla*, *M. Tullius Cicero*, *Nero*, citharœdus, *M. Aurel. Antoninus*, *L. Verus*, *Julia Mœſa*, *Julia Aquilia Severa*, *Lictor*, *Venatio*. Hæ ſunt figuræ *Tomi primi*, quæ omnes & ſingulæ vario eruditionis apparatu ex ſcriptoribus Latinis & Græcis antiquis & recentioribus explicantur & illuſtrantur, adeo ut facile unicuique evolventi librum cernere detur, diligentem & attentum fuiſſe veterum lectorem *Cauſſeum*.

Tomus II, qui reliquas *Sectiones* continet, non minorem delectationem, & utilitatem *priore* affert. Inſcriptus eſt *Julio* Abbati *Franchino-Taviano*, *Franciſci*, Romanorum Regis, Imperatoris electi, ac magni Ducis Etruriæ,
Pag. 1—20. apud S. Sedem pro rebus Etruſcis ablegato. Præfatio prædicat laude digniſſimum Autorem. *Sectio III* profert inſignia flaminis dialis, pontificis maximi, & auguris, nec non inſtrumenta ſacrificiis apta. Tabulæ ſunt 28. Invenimus filum capitis ſeu albogalerum flaminis, apicem Pontificis M. lituum, ſimpulam, præfericulum, vas aquæ luſtralis aſperſorium, malleum, cultros, ſecurim, cochlear, ſeceſpitam, ligulam, acerram, thuribulum, tripodes æreos, candelabrum, diſcum, ſiſtrum Ægyptiacum, ter, pateras varias, æreas & fictiles, quibus figuræ inſculptæ ſunt, caveam pulla-
21—50. riam. Divertit nonnunquam Autor ad Scripturam ſacram & Judæorum ſacra. *Sectio IV* agit de tribus generibus Muſicæ veterum, inflatili, tenſili, ac pulſatili. Tabulis VIII huc pertinentia exprimuntur: calamus paſtoralis, qua occaſione vox Hebræa עוגב, *Huggab*, inſtrumentum muſicum, explicatur, oſſea, buccea, ærea, tibia, tibia Phrygia matris Deum, fiſtula *Panis*, ſeu Syringia, tibiæ longæ & ſpondiacæ, ſeu ſpondiales, tibiæ pares, tibiæ paxillis inſtructæ, tibiæ bifores, tibiæ geminæ, tibiæ utriculariæ, ſeu utriculares, organum pnevmaticum, tibia Siticinium latior, Hebræorum קרן, *cornu*, lituus militaris, cornu venatorium, buccina, cornea tuba, dulcinum, tuba communis, tuba ductilis, Sinenſium organum πολύαυλος, ſeu avena vitricularis, Sinenſium Dulcinum, Monochordum, dichordum, lyra trichordis, tetrachordum,

lyra

lyra acuta ſeptem fidibus, chelys, *Amphion* cum cithara, triplex lyra *Pythagoræ* Zacynthi, endecachordis, dodecachordis lyra, pſalterium decachordon Hebræis נבל, octachordum, trigona lyra, כנור, *Cinnor*, Nablium, caduceus *Mercurii*, tympanum, tintinnabulum, ſeu crepitaculum, tympanum crepitaculis inſtructum, cymbalum ſacrum Armeniorum, cymbala Bacchicarum, tympanum leve, hymnologium, zylorganum, cymbalum penſile, ſtella penſilis Fuldenſium, diſcus Crotalophorus. Sequuntur antiquorum æneæ lucernæ *Sectione V*, quæ in *Theſauro Gravii Vol. XII* exſtat. Tabulæ ſunt 26, & in his habemus lucernas Chriſtianorum, lucernas B. *Petri* & *Andreæ*, lucernam *Jovis*, lucernam *Veſtæ*, lucernam *Solis*, lucernam *Ledæ*, lucernam *Ledæ* & *Europæ*, lucernam *Palladis*, lucernam *Neptuni*, lucernam *Pegaſi*, lucernam *Sileni*, lucernam *Veneris*, lucernam *Dianæ Epheſinæ*, lucernam *Panos*, lucernam inexſtinguibilem, lucernam *Anatis*, lucernam *Cygni*, lucernam *Equitis*, lucernam *Platonis*, lucernam ſerpentigeram, lucernam *Zodiaci*. *Sectio VI*, miſcellanea continens, apud *Gravium* legitur. Diſſeritur vero de iis, quæ Tabulæ 18 exprimunt. Cernis vaſa fictilia, ænea, marmorea, variis figuris inſignita, bullam auream, bullas, armillas, fibulas, annulos, claves, teſſeras, ſtylum, ſtrigilem, guttum, phialas lachrymatorias, manum æneam, quæ votum exprimit, Aquilam legionariam, Victoriam, Vexillum equitum, Romam gentium dominam. *Sectio VII* denique inſcribitur de Mutini Simulacris. Veniam petit Autor, priuſquam id aggreditur opus, a caſtis auribus. Legitur & hæc apud *Gravium*. Tabulæ ſunt 9. *Priapus* pingitur variis in Tabulis, in quibus ſaltatorium, pallum alatum, lucernam Mutini alati æream, vides. His ad finem perductis, ſequitur catalogus Tabularum, quæ in his *Voluminibus* continentur, nomenclatura Autorum, qui in hoc Opere citantur, & index rerum ac verborum memorabilium. Plauſus, qui excepit hoc opus, eruditorum communis ſpem facit certiſſimam, fore, ut a ſcombris, aut tineis, nunquam ei ſit extimeſcendum.

Pag. 51-70. 71—95. 95—114. 115—117. 118—121. 123—138.

DANIELIS GERDESII HISTORIA REformationis, ſive Annales Evangelii, Seculo XVI paſſim per Europam renovati, doctrinæque reformatæ. Accedunt varia monumenta pietatis & rei literariæ, utplurimum ex MSS. eruta. Tomus tertius, qui reformationem Belgii usque ad A. 1558, itemque Sueciæ & Daniæ, complectitur.

Groningæ & Bremæ, apud Hajonem Spandaw & Gerh. Wilh. Rumpf, bibliopolas, 1749, 4.
Alph. 3 plag. 20.

Quam pertexere cœperat telam Celeb. Autor, eandem in præſentia eadem doctrina, prudentia, & accuratione, ſtudioſe urget. In ſuperiori *Tomo* hiſtoriam ſacrorum, in Germania & Helvetia emendatorum, ad A. 1530 proſecutus erat, pollicitus, ſe in ſequentibus regna & provincias reliquas Europæ luſtraturum, &, quæ in illis veritas doctrinæ evangelicæ incrementa fecerit, enarraturum eſſe. Cujus ſui promiſſi memor, in præſenti *Volumine* percenſet, quænam initia, progreſſus, & incrementa, ſacrorum emendationis fuerint in *Belgio*, *Suecia*, & *Dania*, & quibus cum difficultatibus atque adverſitatibus, ab hoſtibus perpetiendis, ſacrorum puriorum doctores colluctari neceſſe habuerint. *Belgicarum* eccleſiarum a ſuperſtitione Pontificia repurgationem inde a primis illius initiis ad exceſſum usque *Caroli V*, Imperatoris, A. 1558 deducit, *Suecicarum & Danicarum* ad A. 1560. *Tomum* hunc inſcripſit Sereniſſimo Naſſaviæ Principi, totius fœderati Belgii ſupremo, eidemque hæreditario, gubernatori, *Guilielmo IV*, cui jamdum *Tomum I* nuncupaverat. Quinque effigies, affabre expreſſæ, *Cornelii Graphei*, *Davidis Georgii*, *Guſtavi Erici*, Regis Sueciæ, *Joannis a Laſco*, & *Joannis Tauſſani*, Epiſcopi Ripenſis, operi huic inſigni ſunt ornamento. Sed inſtituti ratio flagitat, ut, quid ſpeciatim Summe Venerandus Autor ordine afferat, videamus, & illorum quædam in medium adducamus.

Prima emendationis ſacrorum in Belgio initia repetit a diſcipulis *Gundulfi*, qui Seculo XI per Leodienſem & Cameracen-

racenſem diœceſin ſe diffuderunt, in multis recte ſentientes. Seculo XII *Tanchelinus*, ſive *Tandemus*, Seculo XIII *Guilielmus Cornelius*, & *Henricus a Gandavo*, Seculo XIV *Gerhardus de Groot*, erroribus Pontificiis ſe oppoſuerunt; quorum ſectatores per Waldenſes ſunt aucti & confirmati, quibus poſt Huſſitæ acceſſerunt. Sub iisdem temporibus os calamumque adverſus curiam Romanam & eccleſiæ abuſus haud pauci ſtringebant, ex quibus nominandi *Nicol. Cuſanus* & *Jo. Weſſelus*, a diſtorto pedis talo *ganſevoet*, vel *gooſevoet*, dictus, de quo *Eraſmus* teſtatur, multa cum *Luthero* habuiſſe communia, quod & ipſe agnovit *Lutherus*, teſtatus, ſuam doctrinam cum *Weſſeli* amice conſpirare; hinc recte omnino *præcurſor* & *prodromus reformationis* fuit appellatus, quod quam verum ſit, contra Editorem *Antiquitatum eccleſiaſticarum Bataviæ* adſtruitur. Simul atque aurora lucis evangelicæ per *Lutherum* atque *Zuinglium* exorta erat, oppido plures non ex plebe ſolum, verum etiam literatis, illam admiſerunt, ex quibus *Eraſmus* de *Luthero* optime ſenſit. Sed huic *Luthero* ſuperſtitioni Pontificiæ additi tum ſcriptis, tum opere, ſe oppoſuerunt, doctrinæque purioris profeſſores variis modis afflixerunt; quod contigit *Cornelio Grapheo*, Secretario Antverpienſi, qui in carcerem conjectus, tandem munere ſuo exutus, Bruxellas exulatum ire eſt coactus, itemque *Jacobo Spreng*, qui, ad carcerem raptus, procul dubio igne uſtulatus fuiſſet, niſi ſententiam mutaſſet, ſed poſt pœnitudine facti ductus, ad vincula eſt retractus, ex quibus ope Franciſcani cujusdam liberatus, Bremam abiit, & ibidem Evangelium per aliquot annos prædicavit. Publice etiam, ſumma rerum potiente *Margaretha*, *Caroli V* amita, ſanguinaria edita ſunt propoſita, quorum vi plures admodum, qui emendatis ſacris addicti erant, ultimo ſupplicio ſunt affecti, quorum, durante imperio *Caroli V*, 50000 numerantur, ex quibus referendi ſunt *Henricus Voeſius*, & *Jo. Eſchius*, qui, rogo impoſiti, igne ſunt abſumti; *Cornelius Honius*, itemque *Guil. Gnapheus*, per ſatis longum tempus in carcere fuerunt detenti; *Henr. Mollero*, qui vulgo *Zutphanienſis* dicitur, ultimum

Pag. 1—6. 6—10. 10—20. 20—25.

mum ſupplicium intentabatur, a quo tamen mirum in mo-
Pag. 26 - 33. dum eſt liberatus. Scriptis etiam doctrinam puriorem opprimere laborarunt, ſed, quoniam inepte erant confecta, & cauſa non tam argumentis, quam clamoribus & crimina-
33 — 37. tionibus, agebatur, plures eidem aſſenſum ſuum præbuerunt. In ampliſſima urbe Antverpienſi jamdum A. 1524 numeroſus fuit cœtus, varie ſubinde vexatus. *Chriſtianus II* Rex cum conjuge ſua *Iſabella, Caroli & Ferdinandi I* ſorore, ubi ad Selandos in exilio appuliſſet, Evangelio faventes, mul-
37 — 39. tum ad ejusdem lætiorem curſum attulerunt. Etiam *Philippus*, Burgundus, antiſtes Trajectinus, cujus a concionibus erat *Gerardus Geldenhaurius*, ante exortum *Lutherum* ad religionem puriorem viam expeditam reddere eſt annifus.
40, 41. Hujus igitur incremento validiora remedia opponenda judicarunt. A. 1525 juſſu Pontificis *Hadriani VI* illud ſacrum, quod appellant, inquiſitionis tribunal eſt invectum, cujus ſupremam poteſtatem *Clemens VII Erbardo*, purpurato, Præſuli Leodienſi, ut hæreſes radicitus exſcinderentur, commiſit. Vidit igitur hic annus Martyres præ aliis inſignes, *Jo. Piſtorium*, *Bernhardum* Carmelitam, *Jo. Caſtellanum*, Tornacenſem, igne excruciatos & enectos, de quorum ſecundo refert *Spalatinus* apud *Schelhornium Amæn. liter. T. IV*, ipſum ter fruſtra in ignem conjectum, ſed ignem ſemper exſtinctum eſſe, donec aliquis malleo caput ejus percuteret, ſicque ipſum interimeret. Edicta porro ſevera de
44 — 53. conventibus religioſis non habendis, non legendis libris divinis, & illis, qui ad pietatem faciebant, de rebus, ad religionem ſpectantibus, diſſerendo haud explicandis, deque libris hæreticorum comburendis, ſunt promulgata; verum iſta molimina religionem emendatam non tam ſufflaminabant,
53 — 57. qum promovebant. Inde ab A 1523 libri divini, ſecundum verſionem *Lutheri* in Belgicum ſermonem converſi, per partes prodierunt. Omnium præſtantiſſima eſt editio, quæ typis *Jac. Lieſveldii* A. 1542 prodiit, quæ vero ipſi capitis ſupplicium attraxit A. 1545, potiſſimum quoniam margini hæc verba adſcripſerat: *totam hominis ſalutem unice nobis per Jeſum Chri-*

Chriſtum venire. A. 1527 *Wendelmutha*, fœmina Monachodamenſis, edita ante egregia confeſſione, ignis ſupplicium fortiter ſuſtinuit. Pace inter *Carolum* Auguſtum & *Franciſcum* Pag. 62 —
Gallum conciliata, Cameraci A. 1529 de exſcindendis hæreticis convenerunt, ac proinde novum, idemque durum, in 63.
Proteſtantes decretum d. 14 Octobr. eſt promulgatum. Idem fecit *Carolus* Egmondanus, qui Arenaci religionis ergo multos carceribus includi, alios ſubmergi, alios capite truncari, alios in exilium mitti, curavit. Præ aliis *Adolphus Clarenbach*, ſcholæ Veſalienſis moderator, d. 28 Sept. itemque *Gulielmus Suollenſis*, quondam *Chriſtierni*, Danorum regis, miniſter atque tibicen, d. 20 Octobr. vivi ſunt combuſti. Mortuæ *Margarethæ*, Gubernatrici Belgii, ſuffecta eſt *Maria*, Hungariæ regina, *Caroli* ſoror, quæ mitiora ſuggesſit conſilia, in hæreſeos crimen propterea incurrens apud *Paulum III*, a *Philippo II* in Hiſpaniam accita A. 1556. A. 68 — 70.
1531 Imperator decretum de plectendis illis, qui ab eccleſia 74, 75.
diſcederent, renovabat, atque inde apud Limburgenſes & Buſcodunenſes quidam martyrio ſunt affecti. Ab A. 1533 infelicia ſemina anabaptiſmi Amſtelædami atque alibi locorum auſpiciis *Melchioris Hoffmanni* ſunt ſparſa, quorum veſtigia legerunt *Ubbo Philippi*, *Jo. Matthias*, alii, quorum conatibus magiſtratus fortiter obviam iverunt. Inde ordine enarrat initium, progreſſum, denique exitum, motuum 82 — 92.
Monaſterienſium. Ἔκτυπον numi, quem *Joannes Leidenſis*, 92 — 106.
Rex putatitius, cudendum curavit, exhibet. De *Guilielmi Tyndalli* verſione N.T. itemque quinque librorum *Moſis*, in ſermonem Anglicum, quæ multis ad veritatem religionis viam monſtravit, enucleate diſſeritur, quæ res vero Autori exitio fuit, A. 1534 ad ignis ſupplicium condemnato. Inſtitutum ac doctrina *Ubbonis Philippi* & *Mennonis Simonis*, furo- 107 — 109.
Res etiam *Batenburgicorum*, quibus a *Joanne Theodorico Batenburgio* nomen adhæſit, referuntur, ſubjiciturque hiſtoria *Davidis Georgii*, cujus cadaver tandem terra erutum, ac una cum libris atque effigie eſt combuſtum. *Philippi Marnixii* 110 — 125.
merita in rempublicam Belgicam prorſus ſunt eximia, cu-

Pag. 128 — jus vita & res memoratu dignæ accurate enarrantur. *Ca-*
131. *roli*, Egmondani Ducis, mors halcyonia quædam puriorem do-
131 — 133. ctrinam profitentibus attulit. A. 1539 Pontifex *Paulus*
III graves ad *Carolum* Imperatorem de *Maria* regina
querelas deferebat, quod Lutheranæ factioni clanculum
faveret, oratorem ad fœderatos Smalcaldicos miſerit, & Ca-
tholicos Principes revocarit, quo minus in fœdus contra
Smalcaldicos deſcenderent, & quæ hujus generis erant alia.
138 — 142. Sub idem tempus gravis ſeditio Gandavi eſt exorta, quo-
niam cives ſe ſuis privilegiis exutos quiritabant, quam Cæ-
ſar ſuppreſſit, ac urbem omnibus ſuis immunitatibus or-
bavit. Monachi & Theologi Lovanienſes, tempori ſervien-
tes, *Carolum* ſolicitarunt, ut vetera edicta de exſtirpanda
hæreſi renovarentur, quo impetrato, quidam igne ſunt uſtu-
142 — 145. lati, duæ fœminæ vivæ in terram defoſſæ. *Joannes a Laſco*
juſſu *Ennonis* Comitis, ac poſt viduæ ipſius, ſtatum eccleſiæ
Emdanæ & vicinarum, quæ multis cum malis conflictaban-
tur, reformavit, ſumma hac in re uſus prudentia; cujus
vita recenſetur, ejusdemque character repræſentatur, ac,
Reformatorum doctrinæ addictum fuiſſe, propriis ipſius ver-
145 — 157. bis declaratur. Hujus amicus erat *Albertus Hardenber-*
157 — 159 *gius*, cujus præcipua fata percenſentur. Ex *Balæi Carſen-*
næ Oratione *de placanda & componenda republica ad Belgas*
adducit verba, quibus graviter invehitur in lanienam, qua
ultra centum hominum millia & plures longe, omnis ſexus,
generis, ætatis, ordinis, intra 50 annos trucidata fuiſſe, lamen-
tatur, &, hanc truculentiam ſuperiorum crudelitatem longe
159 — 163. ſuperare, ingenue fatetur. *Franc. Dryander*, Hiſpanus,
vero nomine *Enzinas* dictus, quoniam N. T. in ſermonem Hi-
ſpanicum transtulerat, longum examen & diuturnos carce-
res ſuſtinere debuit, ſupplicium etiam ſubiiſſet, niſi pro-
165 — 172. vida Dei manu evaſiſſet. Apud Lovanienſes A. 1543 reli-
gionis cauſa 20, vel 30, viri fœminæque ignis ſupplicio ſunt
abſumti, quos inter eminuit *Ægidius Tilemannus*, vir pius
172 — 174. ac beneficentiſſimus. Ad Veſalienſem ſcholam, A. 1544
apertam, multi confluebant, quare *Carolus* Imperator die
17 Mart.

Digitized by Google

17 Mart. edictum promulgavit, quo ſupplicium capitale
intentabatur illis, qui filios, vel cognatos, eo mitterent, in
qua urbe jamdum ab A. 1540 religio emendata vigere cœ-
pit. A. 1545 Lovanienſes Articulos aliquot, quibus dog- Pag. 178 —
mata Pontificiis priva continerentur, ad exemplum Pariſien- 180.
ſium conſcribebant, quos Cæſar edicto confirmavit A. 1545
d. 19 Febr. *Petrus Brulius*, verbi divini miniſter piiſſi- 182 — 183.
mus, lento igne excruciatus, de vita migravit. Idem fatum
apud Mechlinienſes d. 23 Dec. manſit *Franciſcum* & *Nico-* 184 — 187.
laum Thierſen. De initiis eccleſiæ peregrinorum in ur-
be Londinenſi, quæ conſtabat ex Belgis ac Gallis reli-
gionis ergo patria extorribus, quædam memorantur. Hac 187, 188.
tempeſtate *Libertinorum* factio prodire cœpit autoribus
Coppino, *Quintino*, *Bertrando*, aliis, quos omnes ver-
ſutia & impudentia ſuperabat *Loy*, unde ipſius aſſeclæ
Loiſtæ ſunt appellati, qui in Belgio & Gallia multos cor-
ruperunt. Urbs Groningana a Pontificiorum vexationi- 188 — 190.
bus diu manſit immunis, quod acceptum eſt referendum mi-
tioribus conſiliis *Weſſeli Ganſfortii* & *Rud. Agricolæ;* qua
occaſione recenſio Paſtorum Groninganorum ab A. 1594
inſtituitur. *Regneri Prædinii*, qui ingentem celebritatem ſcho- 190 — 192.
læ Groninganæ attulit, vita deſcribitur, &, quæ ipſius
ſententia de præcipuis religionis dogmatibus fuerit, doce-
tur. Poſtquam quædam de libro *Interim*, A. 1548 publi- 192 — 202.
cato, diſſeruiſſet, perhibet, cum mandato in Friſiam ori-
entalem miſſum fuiſſe, quem etiam vidua *Ennonis*, invita
licet, ex parte admiſerit. A. 1549 *Carolus Philippo II* 203 — 207.
filio Belgii totius imperium tradidit, qui, ubi provincias
ſingulas in fidem ſuam recepit, jurisjurandi religione ſe
obſtrinxit, ſe illarum privilegia & immunitates inviolatas
ſervaturum eſſe, inter alia jurans: *Si nos, aut noſtri hæredes,
ullum eorum, quæ prædicta ſunt, infregerimus, conſentimus,
& permittimus, ut Brabantiæ Prælati, Barones, equites, ci-
vitates, municipia, omnesque omnino ſubditi, nullam nobis
opem, aut obedientiam, præſtent, aut debeant, donec, quod
delictum eſt, fuerit plene revocatum.* Quo ipſo articulo ſe 207 — 210.

poſt Belgæ purgarunt, ubi Hiſpanicum jugum excuterent.
Verum, quam parum his promiſſis ſteterit, poſt paulo ap-
paruit. A. 1550 mandato Cæſaris inquiſitio, Hiſpanicæ
æmula, obtrudebatur, quæ res deteſtanda viſa fuit Belgis.
Mercatores Antverpienſes, ſacris purioribus addicti, ſe
alio diſceſſuros eſſe, minitabantur, & ad ſeditionem omnia
ſpectabant. *Maria* regina, de his ſolicita valde, a fratre Im-
peratore in gratiam Antverpienſium hoc obtinuit, ut tem-
peramentum aliquod excogitaretur, & inquiſitionis negoti-
um non ſpecialibus judicibus, ſed magiſtratibus, committe-
Pag. 211— retur. *Jo. Anaſtaſii* defectio, & inde reditus ad eccleſiam,
218. commemoratur. *Jo. Saſceridis*, Batavi, qui religionis cauſa
patria exceſſit, & poſt per 37 annos Profeſſorem Theologiæ
218—221. in Academia Hafnienſi egit, vita enarratur. Edicta trucu-
lenta, in Belgio propoſita, veritatem non oppreſſerunt; con-
tra multi læti ac cantantes ad rogum properaverant, quo-
rum quædam exempla proferuntur. Subjicitur brevis vitæ
221—225. *Andreæ Hyperii* deſcriptio. Eccleſia peregrinorum Londi-
nenſis ſpeciali decreto *Eduardi VI* egregiis mactata erat pri-
vilegiis, quibus autem, rege præmaturo fato erepto, ſuc-
cedente *Maria*, privabatur, occludebatur, ipſique illi, qui
cœtum ſacrum conſtituebant, per varias regiones fuerunt
ſparſi ac diſſipati. Vehementibus jactati ventis ac undis, cum
Daniam appuliſſent, ob diverſitatem doctrinæ de ſacra Cœ-
na, in terram deſcendere, integrum ipſis non fuit, nec ab
aliis urbibus maritis recepti. Hinc delati ad Friſios,
ab *Anna* Comite, Emdanis, ac aliis civitatibus Friſiæ, comiter
ſunt excepti, multaque beneficentia recreati, quorum alii
poſt *Francofurtum ad Mœnum*, alii *Dantiſcum*, *Veſaliam* alii,
226—238. *Argentoratum* alii aliove, ſe contulerunt. Cum occaſione bel-
li, quod inter *Carolum* & *Henricum II* in Belgio adminiſtra-
batur, copiæ Germanicæ, ex quibus multi Lutherani erant,
ductarentur, non obſtantibus ſeverioribus edictis, cultus
publicus & carnis uſus ipſo tempore quadrageſimali, & qui-
dem in urbe Antverpienſi, permittebatur, quod cum ægre
haberet cives, res ad ſeditionem ſpectare videbatur, quam
tamen

tamen *Lazarus Suendius* tempeſtive compeſcuit. A. 1552 Pag. 239,
Proteſtantes, ſaltem Germaniæ, in ſpem atque fiduciam eri- 240.
gebantur, fore, ut laborum ſuorum finem invenirent.
Carolus quippe, multis fatigatus malis, tandem cum illis in
pactionem deſcendit, qua liberum religionis exercitium
ipſis concedebatur, quæ vulgo e loco *Pacificatio Paſſavien-* 240—243.
ſis dictitatur, confirmata Auguſtæ Vindelicorum A. 1555.
Ipſo hoc anno Imperator ſe dominio provinciarum hære-
ditariarum, potiſſimum Belgii, abdicabat, inque filium *Phi-
lippum* transferebat; inde in Hiſpaniam navigabat, inque
fano S. *Juſti*, quod reliquum erat vitæ, pietatis exercitiis &
ſpiritualibus meditationibus exegit. Moriturus, fiduciam ſu-
am in merito Chriſti unice repoſitam, diſertis verbis decla-
ravit. *Philippus*, ſimul atque imperium erat ingreſſus, de- 243—248.
creta, contra hæreticos lata, renovabat, & inquiſitionis tri-
bunal ſtabilitum cupiebat; quoniam autem Antverpienſes
& Friſii intercedebant, aliquantisper ſunt mitigata. Nihi-
lo tamen minus confeſſorum mortes ſunt multiplicatæ, ex
quibus memorabile exemplum conſtantiæ reliquit *Angelus
Merula*, pagi Heenulietenſis paſtor, qui, quod veram au-
ditoribus ſuis inſtillaverat religionem, ad inquiſitores dela-
tus, rem ſuam tam ſtrenue egit, & confeſſionem adeo egre-
giam edidit, ut ipſi hoſtes in ruborem darentur, nihilo ta-
men minus poſt moleſtiſſimas vexationes & diuturnos car-
ceres ignis ſupplicium in ipſum eſt ſtatutum. Quam pœ-
nam ubi jam ſubiturus eſſet, in genua provolutus, arden-
tiſſimas ad Deum fudit preces, ac inter precandum piam exha-
lavit animam, atque ita Deus ſingulari providentia hoſtium
machinationes irritas fecit. Erat illa tempeſtate facies ec- 248—267.
cleſiæ lugubris; qui doctrinæ puriori adhæreſcebant, ſtu-
dioſe conquirebantur, in carceres conjiciebantur, quidam
vita privabantur. In publicos cœtus coire, integrum non
erat, &, qui illorum doctores agebant, ſedulo ſibi cavere
debebant, ne agnoſcerentur. Doctores fere Emda voca-
bantur, quam urbem *Hieroſolymorum* nomine dignabantur;
Friſiam Orientalem *Canaanis*, Amiſiam fluvium *Jordanis*,

 mare,

mare, quod Friſiam Orientalem ab Hollandia dividit, *maris rubri*, nomine inſigniebant.

Pag. 267 — 276. Sed progredimur ad hiſtoriam reformationis *Suecicæ*, quæ exhibetur *Sect. II Cap II.* Uti ſchedularum venialium nundinatio occaſionem inſtaurationis ſacrorum dedit in Germania; ita pariter hoc dicere poſſumus de Dania & Suecia. *Arcimboldo* hoc negotium datum erat a *Leone X*, qui, Daniam ingreſſus, a *Chriſtierno II*, qui Sueciæ inhiabat, benevole eſt exceptus, ſperante, fore, ut hujus ope partes ſuæ in Suecia firmarentur. Cujus fraudes cum *Steno*, qui ad gubernacula regni ſedebat, cum ſingulari ſagacitate expiſcatus eſſet; *Guſtavus Trollius*, præſul Upſalienſis, qui Dani partes tutabatur, de ſede ſua eſt dejectus, ejusque arx ſolo eſt æquata. *Leo*, qui facinus hoc indigne ferebat, minitabatur, ſe toti regno ſacris interdicturum eſſe, verum Sueci non ſiverunt, ut edictum Pontificis regno inferretur & publicaretur. *Chriſtiernus Leonis* ſententiam executioni dare conabatur; bello igitur Suecos laceſſebat, in quo inferiores quidem exſtebant Dani, ſed *Steno*, tormenti ictu graviter ſauciatus, occubuit, ſucceſſorem nactus *Guſtavum Erici*. *Chriſtiernus*, indignatus *Arcimboldo* proditori, ipſi

277 — 285. pecuniam, qua utrumque regnum emunxerat, eripi, & regni theſauro inferri, curavit. Semina doctrinæ evangelicæ jamdum in Suecia erant ſparſa, cui *Guſtavus* ipſe clanculum favebat, quam ut palam amplecteretur, præ aliis inſolentia Epiſcoporum in cauſa fuit. Homines fanatici, *Melchior Rinckus* & *Knipperdollingius*, alii, ex Hollandia adventantes, turbas dare ſunt auniſi, quæ vero tempeſtive

285 — 289. ſunt repreſſæ, illarum auctores in vincula conjecti, indeque toto regno exire juſſi. Epiſcopi juſſi ſunt decimam bonorum eccleſiaſticorum partem ſolvere; *Olao* imperatum, ut N.Teſt. in vernaculum converteret ſermonem. De utroque cum quererentur Epiſcopi, *Guſtavus*, jam rex creatus, A. 1523 mandavit, ut publica diſputatio in Collegio Upſalienſi inſtitueretur, cujus potiora momenta referuntur.

289 — 298. Cum *Chriſtiernus* bellum inſtauraret, rex A. 1526 poſtulavit,

vit, ut decima redituum epiſcopalium pars in ærarium regium inferretur; cui poſtulato cum obniteretur maxime *Joannes*, præſul Upſalienſis, qui etiam alios contra regem ſolicitabat, hic in carcerem eſt conjectus, & poſt regno exportatus, qui Romam quidem contendit, & Pontificis opem imploravit, ſed nil quidquam obtinuit. Epiſcopi & clerus Pag. 298 — Pontificius Dalecarlios in partes ſuas pertraxerant, quare 304. comitia totius regni A. 1527. ſunt convocata. In his propoſitum eſt, celeri opus eſſe conſilio ad Dalecarlios compeſcendos, & vim externam arcendam; bona eccleſiaſtica eſſe nimia, nobiles atque cives opprimi, his igitur modum eſſe ponendum. His cum ardentius obniterentur Epiſcopus Lincopienſis & reliqui, dictitantes, ſe de privilegiis ſuis nil quidquam remiſſuros, & religionem priſcam ad extremum halitum tuituros eſſe, rex, commotior factus, minitatus eſt, ſe regiam dignitatem depoſiturum eſſe. In- 304 — 311. de totius ſenatus conſilio eſt definitum, ut Epiſcopi dehinc a republica regenda abſtinerent, arces atque prædia ſive regi, ſive illis, ad quos ſpectabant, redderent, aliaque circa res eccleſiaſticas ſunt conſtituta. Ipſo illo anno *Olaus Petri*, qui jure ſuo reformator Sueciæ haberi poteſt, in diſputationem cum *Paulo Elia*, Carmelita, deſcendit, ejusdemque inſultus graviter retudit. A. 1528 d. 12 Jan. rex ſolenni ritu eſt inauguratus, & coronatus. A. 1529 in comitiis Orebrogienſibus eſt definitum, abjecto cultu eccleſiæ Romanæ, religionem omnem ad normam ſacræ Scripturæ eſſe exigendam, ita tamen, ut ritus quidam externi, a ſuperſtitione purgati, ne infirmiores offenderentur, remanerent. Adhuc *Olaus Petri Enchiridion* lingua Suecica exaravit, in quo 317 — 320. officia paſtoralia accurate delineavit, doctrinam etiam de juſtificatione hominis peccatoris coram Deo verbis adeo perſpicuis explanavit, ut, quod Venerandus Autor recte judicat, *vel in hac noſtra temporum luce proferri non poſſit accu-* 320 — 323. *ratius.* Inde doctrina Evangelii per Sueciam mira incrementa ſumſit. In Finnoniam etiam penetravit, & Novum Teſtamentum ex Bibliis Suecicis cura M. *Michaelis Agri*

cola

Digitized by Google

Pag. 323, *colæ* in ſermonem Finnonicum eſt translatum. Capto A. 1533
324. *Chriſtierno* a *Friderico*, Dano, rex & regnum multo metu eſt
liberatum. A. 1537 miſſa ſolenni legatione in Daniam,
ut ſe fœderatis jungeret, ſi quidem vis aliqua Principibus
Proteſtantibus fieret, rex benigne annuit, cumque A. 1542
nova legatio eo mitteretur, A. 1543 in fœderis Smalcaldi-
325, 326. ci ſocietatem eſt ingreſſus. In comitiis A. 1544 ſinceritatem ſuam negotio religionis gravi oratione ita teſtatam fecit, ut regni proceres, ea moti, communibus ſuffragiis jus
327 — 330. hæreditarium regnandi ipſi ac poſteris ſuis decernerent. Libellum interimiſticum, privata autoritate in regnum importatum, examinandum juravit, qui cum judicaretur dolo Pa-
332 — 334. piſtico conſarcinatus eſſe, eum rex rejecit. Mortua priori conjuge A. 1551 d. 16 Aug., animus ejus inclinabat in illuſtrem virginem *Catharinam*, defunctæ conjugis ex ſorore neptem; ne autem nimia propinquitas impedimentum poneret, ſententias Theologorum ſuorum eſt ſciſcitatus, qui, legibus divinis conjugium prohibitum non eſſe, pronuntia-
334, 335. runt. Ipſi, fatis functo A. 1560, 3 Cal. Octobr. filius natu major, *Ericus*, ſucceſſit, qui autem A. 1568 regnum fratri *Joanni* relinquere debuit.

337. *Sectionis II Cap. III de reformationis Danicæ primordiis* ſub *Chriſtierno II*, *Friderico I*, & *Chriſtierno III*, agitur. *Arcimboldus* ſua impudentia & temeritate *Chriſtiernum II* a ſe alienum reddiderat, ut ipſum cum probro & numorum corrogatorum diſpendio a ſe dimitteret. Inde *Paulus Eliæ* reformationis
338 — 339. ſtudium præ ſe tulit, ſed poſt, a veritate averſus, illius adverſarius eſt factus. Ipſe quoque *Chriſtiernus* doctrinæ *Lu-*
339 — 341. *theri* ſe non præbebat adverſum, quin a *Friderico*, Electore, & *Joanne*, Duce Saxoniæ, concionatorem evangelicum efflagitabat. Mandatum de *Lutheri* libris condemnandis ad Academiam Hafnienſem miſſum erat, qnod ne publicaretur,
344. rex ſerio interceſſit. Adhæc promulgavit legum eccleſiaſticarum & civilium codicem, quibus luxus & avaritia Clericorum circumſcribebatur, quibusque via quædam ad ſacrorum emendationem pandebatur. Sed exigua hæc initia ulterius

terius ſunt provecta, poſtquam, *Chriſtierno* regno excedente, *Fridericus*, Holſatiæ Dux, *Lutheri* doctrinæ favens, Rex eſt con- Pag. 344 —
ſtitutus, qui ſolidiora Reformationis fundamenta po- 349.
ſuit. A quo cum ſibi metuerent Epiſcopi, ipſum certis pactionibus conſtringere ſunt anniſi. Inter primos autem Daniæ reformatores ſunt habendi *Georgius Joannis*, ſive *Jani Sadolinus*, *Jo. Tauſonus*, ſive *Tauſanus*, quibus ſe poſtea adjunxit *Chriſtianus Schrokkius*, qui libere in errores Pontificios os ſtrinxit, plurimos aſſeclas nactus: quare *Joannes Andreæ*, Epiſcopus Othonienſis, acerbiſſimas ad ſenatum populumque Aſſenſem exaravit literas. A. 1527 in frequentibus comitiis Otho- 349 — 362.
nienſibus eſt conſtitutum, cum plures eſſent, qui doctrinam *Lutheri* ſequerentur, æquum eſſe, ut utraque religio, & Pontificia & Lutherana, libere permitteretur. Hoc facto, civi- 362 — 365.
tates certatim miniſtros evangelicos poſtulare, varioſque abuſus tollere, atque alia in cultus divini gratiam conſtituere. Malmogiæ primum Gymnaſium theologicum eſt erectum. A. 1530 comitia Hafniæ ſunt convocata, de quorum exi- 365 — 372.
tu Epiſcopi ſibi multa pollicebantur, impares autem ſeſe doctoribus evangelicis animadvertentes, ex Germania præter alios quendam nomine *Stageſyr* arceſſiverunt, cui adjungebatur *Paulus Eliæ*. Conſignata igitur fidei confeſſione a *Tauſano*, qua ſumma doctrinæ evangelicæ conſignata continebatur, edito etiam ab adverſa parte ſcripto quodam, cum jamjam in arenam deſcendendum eſſet, poſtulantibus Pontificiis; rem agendam eſſe Lingua latina, ac in anteceſſum, ſe certos eſſe debere, contenderent, quis controverſiarum judex futurus eſſet; Evangelici contra linguam Danicam præoptarent, ac ſacram Scripturam controverſiarum judicem agnoſcerent, non poſthabito judicio regis, procerum, totiuſque populi, poſt multas altercationes res in caſſum cecidit. Cum igitur Pontificii cauſam ſuam de- 373 — 382.
ſeruiſſe judicarentur, hoc decretum eſt conditum, *ut Evangelici verbum divinum libere deinceps & publice annuntiarent, donec finis litibus per Concilium generale totius Chriſtianiſmi imponeretur, dum interim ſuam utrique parti*

Digitized by Google

protectionem rex non denegaret. A quo tempore Evangeli-
corum numerus in Dania multum eſt auctus, monaſteria
Pag. 382 — paſſim ſunt deſerta, quorum reditus partim ſcholis erigen-
385. dis, partim pauperibus alendis, ſunt deſtinati. Interea tem-
poris *Jac. Ronnovius* formulam aliquam regi exhibebat, in
qua rituum tantum aliquorum emendationem proponebat,
de ceteris doctrinas Pontificias incruſtabat, ut nihil aliud ſua-
deret, quam priſcam reltgionem, levioribus quibusdam im-
mutatis, retinendam eſſe, ut hinc totum illud interim Da-
nicum haberetur, quod a regni proceribus non eſt acceptatum.
385 — 390. *Friderico* vivis evcedente, cum de ſucceſſore altercationes
orirentur, Epiſcopi vim omnem ſuam eo converterunt, quo
Pontificia religio reſtitueretur, doctrina puriore conten-
tio exſtirparetur, miniſtri Evangelii, ſpeciatim *Tauſſanus*,
in jus vocarentur, multi de muneribus ſuis dejicerentur, alia-
que in extitum religionis conſtituerentur. Cum A. 1534
390 — 401. *Chriſtianus*, *Friderici* regis filius major natu, plerorumque
ſuffragiis rex electus eſſet, et urbem Hafnienſem poſt diu-
turnam obſidionem in fidem & clientelam ſuam A. 1536
recepiſſet, pollicitus eſt Evangelicæ religionis confeſſoribus
401 — 404. plenarium religionis ſuæ exercitium. Epiſcopi multa huc
usque in perniciem regni machinati erant; de illorum igitur
autoritate abſoluta conſilium eſt initum, paſſim ad captivita-
tem redacti, ſuisque caſtellis ſunt exuti. Convocata igitur
tandum ſunt comitia Hafniæ A. 1536, in quibus ſtatutum eſt,
404 — 408. ut ordo Epiſcoporum prorſus tolleretur, religio emendata
per totum regnum introduceretur, A. 1537 juſſi ſunt do-
ctores & verbi divini miniſtri in regno Daniæ & Ducatibus
annexis ordinationem eccleſiaſticam conſignare, quæ, ad *Lu-
therum* miſſa, ab ipſo & aliis Theologis Vitembergenſibus eſt
comprobata. *Jo Bugenhagius* etiam eſt arceſſitus, quo res
ſacræ ordinatius conſtituerentur; loco Epiſcoporum Super-
intendentes ſeptem ſunt deſignati, & a *Bugenhagio* in tem-
plo ſummo Hafnienſi, præmiſſo χειροθεσίας ritu, ſunt inau-
gurati. Etiam Academia Hafnienſis collapſa fere conſiliis
Bugenhagii eſt reſtituta, ac illi viri docti atque idonei ſunt
præ-

Digitized by Google

præfecti. Adhuc in Islandia emendatio ſacrorum eſt ſuſce- Pag. 408 —
pta. A. 1549 Synodus in urbe Ripenſi eſt habita, in qua 414.
conditi ſunt Articuli 26, qui vulgo Ripenſes dicuntur, Ordi-
nationi eccleſiaſticæ adjecti. In colloquio, habito A. 1543 414 — 417.
ipſo rege præſente, inter Theologos Hafnienſes & Capitu-
lum Roſchildenſe diſceptatum eſt de miſſa, cœna Domini, &
miniſterio verbi, cujus exitus ſatis fortunatus fuit, quando-
quidem plerique, rectius inſtructi, Articulis emendatæ religio-
nis ſubſcripſerunt. Poſtea memoratur, qua ratione *Eduar-* 417, 418.
dus VI Anglorum rex, *Chriſtiani* amicitiam ambiverit, *Pe-*
trus Palladius & *Jo. Maccabæus Oſiandri* & Anabaptiſtarum
erroribus obviam iverint, & rex tandem, cum regnum &
eccleſiam ſatis ſtabilitam videret, A. 1559 diem ſupremum
obierit, & regni habenas ad filium *Fridericum II* trans- 424 — 426.
miſerit.

Adjuncta ſunt monumenta, ad illuſtrandam hiſtoriam Reformationis facientia, quæ partim ex impreſſis rarioribus documentis ſunt recuſa, partim ex MStis primum eruta, hoc ordine diſpoſita: 1) Epiſtolæ tres *Deſid. Eraſmi* ſuper religionis in Belgio negotio, exaratæ A. 1521; 2) *Henrici Zutphanienſis* propoſitiones, A. 1521 in Alademia Vitembergenſi ventilatæ, ex Spicilegio *Kappiano* depromtæ; 3) Acta diſputationis Groninganæ, habitæ A. 1523; 4) *Mart. Lutheri* Epiſtola ad Antuerpianos de novis Prophetis, ſcripta A. 1525; 5) Sententia degradationis, qua *Jo. Caſtellanus*, Martyr, ſolenni formula a gradu & ordine ſacerdotali eſt remotus A. 1524, antequam magiſtratui ſeculari comburendus traderetur, depromta ex Martyrologio magno; 6) *Jo. Utenbovii* & *Hier. Zanchii* Epiſtolæ de rebus *Joannis* a *Laſco* Polonicis; 7) *Franc. Dryandri*, Hiſpani, Epiſtola ad *Joannem a Laſco*, Baronem, A. 1541 ex αὐτογράφῳ edita; 8) & 9) Articuli, a Facultate Pariſienſi A. 1542, & Lavanienſi A. 1544, ſuper controverſiis religionis propoſiti; 10) *Petri Brulii*, Martyris, Epiſtola ad uxorem, data e carcere A. 1545; 11) *Godofr. de Hamelle*, Martyris, Tornaci d. 23. Jul. A. 1552 exuſti, Epiſtola ad piam quan-

dam mulierem, ex carcere ſcripta; 12) Inquiſitionis Hiſpanicæ formula, inſtituta & edita in inferiori Germania A. 1550 ex *Jo. Wolfii* Lectionibus memorabilibus; 13) *Petri Deloeni* ad *Joannem a Laſco* Epiſtola A. 1554 ex tabulario eccleſiæ Belgico-Londinenſis; 14) *Ger. Mortaigne* & *Arn. Piſcatoris* Epiſtolarum triga ad *Jo. Utenbovium* A. 1557, 1558, pariter ex tabulario Londinenſi; 15) *Caſp. Heidani* Epiſtola Belgica, ad Emdenſes ſcripta; 16) *Adr. Hamſtedii* Epiſtola ad *Jac. Acontium*, ex tabulario eccleſiæ Londinenſis; 17) *Car. Utenbovii* Epiſtola ad *Jo. Utenbovium* in cauſa *Andr. Hamſtedii* ex Archivo Eccleſiæ Belgico-Londinenſis; 18) Acta Colloquii Upſalienſis, habiti A. 1526 inter D. *Petrum Galle* & M. *Olaum Petri*; 19) Apologia *Guſtavi I*, Regis Sueciæ, adverſus *Joannis Magni*, Archiepiſc. Upſalienſis, calumnias; 20) Excerptum ex ſcriptis *Olai Petri* de numero Sacramentorum & uſu conjugii A. 1527; 21) *Liturgia*, ſive admonitio publica, ab ordinibus regni Suecici evulgata, & in feſto coronationis regiæ *Guſtavi I* promulgata A. 1528; 22) Forma reformationis eccleſiæ Suecicæ in Concilio Orebrogenſi definita, atque publicis Clericorum Sueciæ ſubſcriptionibus confirmata, & lingua patria publicata A. 1529; 23) *Laurentii Petri*, Archiep. Upſalienſis, admonitio pia ad preces publicas & pœnitentiam; 24) *Friderici I*, regis Daniæ, indultum, *Jo. Tauſſano* conceſſum A. 1526; 25) Quatuor Cimbriæ Epiſcoporum literæ ad *Jo. Eccium* A. 1527; 25) *Jo. Anderſen*, Epiſcopi Othonienſis, Epiſtola ad Senatum populumque Aſſenſem in Fionia A. 1527; 27) Confeſſio Hafnienſis A. 1530; 28) Articuli, Pontificiis in comitiis Hafnienſibus A. 1530 exhibiti, una cum reſponſione Evangelicorum; 29) *Pauli Eliæ*, Carmelitæ, Epiſtola ad *Chriſtophorum*, Comitem Oldenburgenſem, 1534.

HIERONYMI FALETI DE BELLO SICAMBRICO Libri IV. Præmiſſa eſt Epiſtola CORNELII VALERII VONCK ad Virum illuſtrem, JANUM DE BACK,

Poten-

Potentiſſimo Auriacorum & Naſſavienſium Principi a Conſiliis ſecretis, ac Libellorum ſupplicum Magiſtrum.

Noviomagi, typis Henrici Heumans, 1749, 8 maj. Plag. 7.

Carmen ipſum heroicum jam complures ante annos in lucem exiit, adeoque brevi laudatione, ac repetito calculo, quem jam *Paulus Manutius* dedit, hic videtur transmittendum. Moratur nos tamen hujus ipſius *Pauli* Præfatio, atque inprimis, quæ recens additur, Epiſtola. *Manutius* Poeſin laudat, quippe in qua lateant arcana Philoſophiæ, profanis oculis non patentia, quæ rudes animos excolat, quæ nos ab rerum humilium ſtudio deducat ad egregios mores, ad veram religionem, ad excellentem magnarum rerum cupiditatem. Pergit argumentando, qua conſecutione, viderint Logici, eandem habere ſuavitatem, quia vocibus apte conſtructa oratio miram infundat auribus animiſque jucunditatem, verbo, Poeſin eſſe numerum, numerum porro nihil aliud, quam ordinem, ordinis autem principium a Deo fluere, divinos igitur eſſe Poetas homines, nec ullo non honorum genere decorandos. Attamen definit Poetas, non quicunque verſus faciant, qui moleſta & odioſa garrulitate ſæpe nobis obſtrepant, ſed eos, quorum in vita non minus, quam in ſcriptis, eluceat ordo, a quibus colatur humanitas, & beneficentia non modo laudetur, verum etiam pro facultatibus exerceatur. Hæc enim eſſe ſacra illa myſteria, quæ Poeſis ita fabularum ſpecie velet, ut ea tamen vatum excellentium, hoc eſt, bonorum virorum, mentes intelligant: quæ vero his virtutibus adverſantur vitia, hæc eſſe illa monſtra inimica naturæ, quæ poeticis figmentis oſtendantur, ſuem Erymanthium, leonem Nemeæum, hydram Lernæam, gigantes & harpyas, quæque alia traduntur, perdendis hominibus, aut frugibus, nata. Laudes illas ad ipſum *Hier. Faletum, Herculis*, Ferrarienſium Principis, apud Venetam Remp. oratorem, amicum ſuum, cujus Poemata edidit, applicat *Paulus*, neque nulla miſcet ad ipſius

laudes fuſius proſequendas. Multo longior eſt, ultra duas plagulas comprehendens, locum primum quæ occupat, Epiſtola *Vonckiana.* Tractat hæc ipſum bellum, ad hiſtoriam Gelricam pertinens. Nimirum inter *Guilielmum* Clivium, *Caroli Egmondi*, octavi Gelriæ Ducis, ſucceſſorem, & *Carolum* V Imperatorem, bellum interceſſit ſuper Ducatus illius poſſeſſione, qua demum etiam *Guilielmus* excidit, armis fractus, atque ad pacem petendam compulſus. Quo quanta iis terris acciderit mutatio, alio inde ſeculorum ordine naſcente, in vulgus notum eſt, atque conſtat e *Pontano.* Verum neque cauſas ille, & belli ſemina, & maxime quæ Ducibus ſuberant, ita expoſuit, neque progreſſum porro, atque inprimis exitum, conventionis leges, ac plura, eo quæ ſpectant, alia, ſic enarravit, uti non curioſo alicui exploratori multa reſtare videantur, quæ & paulo melius atque amplius multo deduci poſſint. Et, quanquam conjectando nunc quidem magis, per neceſſariorum defectum, quam certiſſimis indiciis, exſculpere veritatem liceat, ſpondere tamen id audet, ubi per eorum humanitatem, ad quos primario hæc cura pertinet, nonnulla penitius rimari contigerit. Vixit autem, eadem illa tempeſtate, *Conradus* quidam *Sutphanus* ab *Achtevelt*, Zutphania, unde alterum illi prænomen, oriundus: qui, præter *Triumphum Caroli quinti*, & inepta plura, *Chronicon* etiam *Gelriæ*, carmine heroico deterioris notæ, condidit, in quo pluribus Libris, conſtat autem tredecim, eandem illam hiſtoriam deſcripſit, ita quidem, uti e fimo iſto nonnunquam aurum elici poſſit, atque ad pleniorem harum rerum cognitionem conducat plurimum. Ridicule autem ubique ſe *Paſquillum Merum Germanum* nominat, adſcito ſubinde *Apoſtolici Poetæ* titulo, ſubjecto tamen plerumque proprio nomine. Indicat ipſius poeſin *epytheton Autoris, defenſioni illius umbræ Lutheri* præmiſſum:

En Chonradus adeſt Paſquilli voce vocatus,
Germanique Meri nomine dignus homo,
Factus Apoſtolicus fuerit quicunque poeta
Atque Theologicus totus homoque pius,

Inclyta

Inclyta quem clarum genuit Sutphanica tellus
Achterveldenſis progenieſque virum.

Hac occaſione memorat doctiſſimus *Vonckius*, ipſum *Gelriæ eruditæ* opus, cujus primum *doctorum Noviomagenſium* ſpecimen fere ad umbilicum perduxerit, moliri. Idem, ad propoſitum revertens, addit, omine meliori, ſoluta quidem, eademque terſa, oratione, *Jo. Servilium*, Antverpienſem, ante duo nunc, & quod excurrit, Secula, & in ipſo rei geſtæ articulo, *Geldro Gallicam conjurationem*, *in totius Belgicæ clariſſimam civitatem*, *Antverpiam*, *duce Martino Rosheymio*, eadem in civitate, publicare inſtituiſſe. Ubi quanquam ſingulatim docemur, quæ in illa *Guilielmi Clivii* in Brabantiam expeditione, duce *Mart. Roshemio*, adverſus Antwerpiam tentata ſint; Autor tamen addiderit multa, unde univerſa iſtius expeditionis hiſtoria non parum luculentior evadat. Eundem *Jo. Iſaacus Pontanus* tanti fecit, ut non raro vel ipſa illius verba in hiſtoriam ſuam derivaret. Ab argumento ad Poetam venit Clariſſ. Editor, eumque verbis prædicat *Lilii Greg. Gyraldi*. Patria *Phaletus* Saonenſis ex Liguria, nobili loco natus, diverſas orbis partes circuivit ad bonas artes capeſſendas. Verſus Latinos & vernaculos Etruſcos commode pepigit, neque ſoluta ipſum deſtituit oratio. Idem patrem habuit *Guidonem Phaletum*, pariter & Poetam & Oratorem, cujus utriusque facundiæ monumenta ipſe perlegit *Gyraldus*. Habuit & avum maternum *Dominicum Nanum Mirabellium*, qui elego carmine nonnulla ſcripſit, Elegias ſcilicet & Epigrammata, ſtilo pæne omnia *Ovidiano*. Nepotis Carminum prior editio prodiit Venetiis A. 1557. Hic etiamſi ad antiquitatem exſurgat, ut initio præſertim carminis; reperiuntur tamen & ibi loca, in quibus non ſui modo apparet diſſimilis, ſed longe ſimul inferior. Ut autem *Virgilii* multa imitatus eſt, nonnulla etiam *Ovidii*, aliorum pauca; ſic præ ceteris ſibi *Lucanum* propoſuit, cujus integros ſæpe verſus, non niſi leviter immutatos, intexuit carmini ſuo; cujus rei ſtatim exemplum addit, non ſine ipſius laudibus, laude & ipſe digniſſimus, Editor.

COM.

COMMENTARII DE REBUS, PERTINENTIbus ad Ang. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum, Pars prima, in duos Libros diviſa.

Brixiæ, ex typographia Joannis Mariæ Rizzardi, 1749, 8 maj. Plag. 20.

Pag. 5. Ipſe Pater Purpuratus eminentiſſimus & glorioſiſſimus, motus exemplo *Auguſtini Valerii* atque aliorum, nobile, res ſuas
7. ſcriptis conſignandi, conſilium cepit. Ut autem tanto major dictis fides conſtaret, Epiſtolarum utitur teſtimoniis, quas eo digniores arbitratur eſſe, ut imprimantur, quo longius eorum, qui ſcripſerunt, animus abfuerit ab editione *Bozius* jam ejusmodi ſententiam fovit, dum multas *Dacerii* & *Daceriæ* conjugum memoraret. Sunt autem, quorum epiſtolarum fide nituntur hoc præſertim *Volumine* comprehenſæ narrationes, ad ordinem literarum, atque ipſius Autoris indicium, *Henr.*
11. *Franc. Agueſſeau*, Cancellarius Franciæ, *Petrus Joſephus Alary*, *Corn. Bentivolus*, Purpuratus Pater, *Henr. Biſſi*, Purpuratus, *Jo. Boivinius*, *Rodulphus Boutardus*, *Jo. Bouhierus*, *Claudius Bozius*, *Henr. Brenkmannus*, *Auguſtinus Calmetus*, Ord. S. Bened. *Jo. Clericus*, *Car. Joach. Colbertus*, Monpeſulanus Epiſcopus, *Coſmus III*, magnus Dux Etruriæ, *Andr. Dacerius*, *Cæſar Eſtreus*, Purpuratus, *Felicitas Eſtrea*, Saleſiana, *Franc. Fenelonius*, Archiepiſcopus Cameracenſis, *Andreas Hercules Fleury*, Purpuratus, *Honoratus Gaillardus*, Pater Lojoliticus, *M. G.* Gebennenſis Epiſcopus. *Leo Poter. Geſurius*, Pa-
12. ter Purpuratus, *Guido Grandius*, Ord. Camald. *Jac. Gronovius*, *Dominicus Lazarinus*, *Jac. Janſonius*, Archiepiſcopus Arelatenſis, *Ludov. Longuerue*, Abbas, *Franc. Mailly*, Purpuratus, *Bern. Montfauconius*, Ord. S. Bened. *Henr. Neutonius*, *Gaſto Baptiſta Noallius*, Epiſcopus Catalaunenſis, *Lud. Ant. Noallius*, Purpuratus, *Dominicus Paſſioneus*, Purpuratus, *Philibertus* Epiſc. Agathenſis, *Henr. Car. Pomponius*, Abbas, *Leander Porzia*, Purpuratus, *Franc. Seraphinus Regnierus*, *Euſebius*

ſebius Renaudotius, *Armandus Robanius*, Purpuratus, *Dionyſ. Sammarthanus*, Ord. S. Bened, *Catharina Felicitas Torcy*, Marchioniſſa, *Jac. Turellius*, *Franc. Turrius*, Gener. Berullian. *Lud. Paul Vallonius*, ſeu *Vaucelius*, *Franc. Villeroy*, Gallorum militiæ præfectus. Quæ nomina facile ſitim excitabunt lectoribus & ad hanc partem evolvendam, & ad deſiderandas futuras: ſi vel eminentiſſimum *Quirini* nomen taceamus. Hujus autem vitam inde a feliciſſimis natalibus, qui in anni 1680 diem 16 Martii inciderunt, uſque ad annum 1714, hic loci commemoratam legimus; cujus *alter Liber* non niſi triennalem in Gallia commorationem a menſe Majo anni 1711, ad Majum anni 1714, reliqua *prior*, comprehendit. Natus eſt Pag. 1.
Venetiis patre *Paulo Quirino*, æd. D. *Marci* poſt Procuratore. Inde ab anno 1687 Brixiæ fuit educatus in Collegio Nobilium S. *Antonii* Viennenſis. Hos & proximos annos ad vigeſimum uſque *Caput primum* exponit, decennium alterum 19.
ſecundum, *tertium* non niſi annos duos, *quartum* vero duos 37.
priores menſes anni 1711, ut *poſtremus* duos proximos ejus- 50.
dem complectitur. Anno jam 1706 Ebræa literatura No- 62.
ſter innotuit, quod ſtudium *Nincius* Præſul admodum pro- 28 ſeq
bavit, & Cæſenatenſibus typis, Autore prorſus inſcio, evulgendam curavit ejusdem Orationem *de Moſaicæ hiſtoriæ præ*- 32.
ſtantia. Ipſemet autem A. 1707 Theſes *de Lingua ſancta* publicavit. Multa ſunt, quæ de literatiſſimis viris hic paſſim 89.
ſingularia memorantur, e. g. de *Auguſtino Calmeto*, de quo inter alia dicitur, nihil ipſi magis cordi fuiſſe, quam ut ſacros Commentarios ſuos ab iis notis vindicaret, quibus inuſti fuerant a *Fourmontio*, editis quatuor Epiſtolis, quas idem *Cal*- 98.
metus jam expunxerat, libello recens impreſſo. Neceſſitudinis, quæ *Calmetum* inter & *Quirinum* interceſſit, teſtis adeſt epi- 106.
ſtola, quæ principem locum obtinet in *tertia Epiſtolarum Quirini Decade*. De *Natale Sanadonio* dicitur, eum, poſtquam humaniores literas Cadomi, deinde in Collegio *la Fleche* dicto, docuerat, Pariſios ad Rhetoricam tradendam arceſſitum. Quemadmodum iſti ad Ordinum regularium literatos Pariſienſes pertinent; ſic *Cap. III* dicitur de viris aliquot erudi- 107.

 tis,

tis, qui, nulli religioſæ familiæ adſcripti, Lutetiæ floruerunt inter Socios Regiæ Academiæ inſcript. & literar. politior.
Pag. 110. Ibi *Io. Boivinio* dicitur *Homerus*, *Anacreon*, *Sophocles*, *Ariſtophanes*, ſic in deliciis fuiſſe, ut, niſi cum iis atque in illis, vivere non poſſe videretur; neque ſolum domi, quoties ad ipſum accederet *Quirinus*, ſed in publicis etiam compitis, dum occurrebat, eorum Poetarum aliquot loca tam diſerte, tam accute, interpretaretur, ac ſi doceret in Lyceo. De *Anna Daceria* verſus, tanquam tunc triti, memorantur perquam honorifici:

Docto nupta viro, docto prognata parente,
Anna, viro major, nec minor Anna patre.

111. *Jac. Turellius* quotidie ad *Quirinum* accedere, & cum eo duas treſve horas veſpertinas inſumere, inſolebat, ut, in *Demoſthene* Latine reddendo occupatus, ab ipſo majus lumen acciperet. Nova editio *Turellii* verſionum debetur *Guil. Maſ-*
117. *ſieu*, ſatisque eædem libere ſunt conceptæ. Ad tunc impugnatam ac defenſam *Homericam* poeſin ſpectant *Renaudotii* epiſtolæ, quarum in altera: *Enfin l'Iliade de la Motthe à paru avec un diſcours, ou il juge d'Homere. Le Poeme eſt deja mort, & le Diſcours eſt à l'agonie. Il ne ſe ſoutient, que dans l'eſprit de quelques ignorans, pour leſquels il eſt fort ſpecieux. Mais comm'il n'eſt bati, que ſur des faux principes, deja ſouvent rebattus, il ne ſubſiſtera pas long tems. Il eſt bon que l'on ſache en Italie, que nous n'approuvons pas en France des projets ſi inſenſés & ſi mal ſoutenus.* In altera vero: *On acheve l'impreſſion d'un Ouvrage de Madame Dacier pour defen-*
118. *dre Homere contre Monſ. de la Motthe. Elle n'a jamais rien fait de ſi bon, & il eſt difficile de mieux traiter la matiere pour la ſolidité, & avec plus d'agréement.* Continuatur argumentum
123. de Pariſienſibus eruditis *Capite* ſequenti; cui *quinto* additur de
134. luſtratis magnificis villis regiis, demumque Cœnobio Sandio-
139. nyſiano poſtremis menſibus anni 1711, narratio. *Caput ſextum* agit de adita aula Verſalienſi, de itinere Remenſi, & de ac-
166. ceſſu ad exequias *Sandionyſianas*, primis quinque menſibus anni 1711; *ſeptimum* de reditu ad Fontem bellaqueum menſe Julio, de aſſidua deinde cum *Blanchino* Præſule conſue-

ſuetudine, deque itinere Meldenſi menſe Decembri eiusdem anni 1711; *octavum* de reditu ad urbem Pariſienſem, deque itinere Normanico; *nonum* ac *decimum* de peragratione quarundam Galliæ provinciarum; *ſequens* de tranſactis natalitiis Domini in urbe Anneciensi; *penultimum* de ſuſcepto Avenionem verſus Viennæ, Valentiæ, & Auraſicæ, urbibus luſtratis, ut & itinere Occitano; *poſtremum* tandem de peragratis primariis provinciæ urbibus, de acta hebdomade majore A. 1714 in Cœnobio Lirinenſi, ac poſtea de ſuſcepto ex urbe Forojulienſi Italiam verſus itinere. Quæ omnia variis, cognitu jucundis & ulilibus, narrationibus tam ſunt referta, ut, nihil de his, quam breviter, commemorari, ſatius exiſtimemus. Pag. 139. 210. 245. 262. 278.

MISCELLANEA CRITICA, IN SECTIONES QUINque diſpertita. Scripſit RICHARDUS DAWES, A. M. Coll. Eman. apud Cantabrigenſes non ita pridem Socius, hodie ludo literario & Gerontocomio apud Novocaſtrenſes præfectus.

Cantabrigiæ, 1745, 8 maj.

Alph. 1.

Hic eſt ille *Dawes*, qui ante decennium ferme Græco carmine epico redditum promittebat *Miltoni Paradiſum amiſſum*, ejusque dabat ſpecimen. Patet ex hujus libri Præfatione, Virum a vappido illo guſtu, & intempeſtivo Græca carmina ſcribendi impetu, ad ſaniorem mentem rediiſſe. Non tantum enim vineta ſua cædit; profitetur, irrepſiſſe in illud operæ ſuæ ſpecimen quædam Græcæ linguæ atque poeſi diverſa, non ſatis emendata, eaque deletum it: quod ſapiens magnoque animo dignum inſtitutum eſt; ſed etiam, quod multo ſapientius, ait, ſe conatum illum prorſus abjeciſſe. Superioribus nempe ſeculis hoc ſibi ſumebant ludimagiſtri, ut Græco ſermone ligato ſolutoque ſcriberent. Hodie novimus utiliora & graviora, quæ agamus. De cetero intelligas & ex iſto conatu, & ex ipſo, quem luſtrabimus, libro *Miſcellaneorum criticorum*, Autori natura ingenium ludimagiſtrale contigiſſe.

tigiſſe. Regnat in eo grammaticarum minutiarum immodicum ſtudium, ſæpe inutiliter collocata ſedulitas, faſtus immanis & intolerabilis, in ceteros paſſim deſæviens maximi nominis viros, ſed præcipue in *Richardum* & *Thomam Bentlejos*, & *Joſ Barneſium*, vehemens in re minimi momenti commotio, novarumque opinionum, haud raro perquam improbabilium, ſaltem incertarum, denique uſu carentium, affectatio & impotens jactatio. At, ſi verum tamen & æquum amamus, negari viciſſim nequit, lætique profitemur, præter iſta, quæ attigimus, vitia, permulta his chartis ineſſe optimæ frugis, Anglicano digna ingenio, id eſt, juſtum in rebus & ſolidum, & profundum, ſubtiliterque exaſciatum, ſcrutante; ineſſe digna eruditorum oculis & plauſu; mereri librum, in his oris oppido rarum, ut vulgatior eſſet; *Daweſium* tandem in Græcis Autoribus, ſed vetuſtis præcipue Poetis, verſatiſſimum eſſe, felicemque terſæ auris & emunctæ naris Criticum. Plenus eſt liber bonarum rerum a capite ad calcem; at ultima tamen, ſeu *quinta, Sectio* excellit. Noſtrum nunc eſt, ſingularum guſtum dare.

Prima itaque ſelectas in *Terentianum Maurum* emendationes exhibet, Autorem rariſſime editum tractatumve a doctis hominibus, ideoque paſſim corruptum, præſertim cum præter unum illum Codicem, e quo proditus fuit, alius nuſquam reperiatur. Præcipit initio ſtatim *Terentianus*, ſyllabam, natura ſua brevem, ſequente duplici conſonante *st*, produci. Hoc ex capite emendat noſter Anglus illud *Ovidii Metam. I. 38:*

Addidit & fontes immenſa & ſtagna lacusque,

pro vulgato *immenſaque ſtagna lacusque.* Legitur apud *Terentianum* hic verſus:

Sic & illud ἐκ ςόματες ἐκκεκώφηται ξίφη

Perite obſervavit Noſter, verſus *Euripidai* ex *Oreſte v. 1287* particulam hanc eſſe, ſic refingendam: *Sic & illud* ἐς τὸ κάλλος ἐκκεκώφωται ξίφη.

Secunda Sectio a *pag. 34* exhibet *in Oxonienſibus Pindari editoribus deſiderata* ἀκριβείας *Specimen*, & *quidem ſextam*

tam Pythiorum Odam,(ut ipſe ait,)*plus vice ſimplici emendatam.* Deſiderat nempe in eruditis illis hominibus ſollicitam metri *Pindarici* curam, quod nunquam violaſſe *Pindarum*, contendit. Qua de re ſtatuat pro intelligentia quisque ſua. Si non alio prodeſt metrica hæc περιεργία, prodeſt ſaltem eo, ut habeant otioſi & bile turgidi Grammatici, quod velut ſaxum objectum rodant & lacerent, monſtretque interdum latentia vitia pinguioribus, qui alias ſua vi ſubodoraturi ea non erant. Citata itaque *Pindari Oda v. 13*, mutat vulgatum τυπτόμενος ſuo τυπτόμενον, vertitque θησαυρὸν ὕμνων, τὸν οὔτε ὄμβρος οὔτ ἄνεμος ἄξει τυπτόμενον χεράδει, *hymnorum theſaurum, quem neque imber, neque ventus, rapiet glareæ ictus patientem.* Humanus hic ſit ſenſus, *hymnus glareæ ictus patiens*, an divinus, & noſtro captu potior, æſtiment alii. *V. 31* reponit ἀρχὸν pro vulgato ςράταρχον, & *v. 43* παρῆκεν pro παρήκει. Alia porro *Pindari* loca emendat, ut notum illud *Olymp. II, 158:* λάβροι παγγλωσσίᾳ κόρακες; ὡς, ἄκραντα γαρύετον, pro ultima voce γαρυέομεν ſuadens. *Pyth. I, 147*, legit, profecto eleganter, ἀρέομαι, (id eſt, ἀρῶμαι) pro vulgato αἰρέομαι, in iſtis: αἰρέομαι πὰρ μὲν Σαλαμῖνος Ἀθηναίων χάριν μισθόν. *Pyth. IV, 6*, pro αἰητῶν (in iſtis, Διὸς αἰητῶν πάρεδρος,) ſubſtituit ὀρνίχων, magno auſu; at majore aſſeverat, illud *Nemeon I, 11*, ἀρχαὶ βέβληνται θεῷ (id enim imperat pro vulgato θεῶν) κείνα σὺν ἀνδρὸς δαιμονίαις ἀρεταῖς idem eſſe, atque dixerit ἀρχαὶ σὺν θεῷ βέβληνται δαιμονίαις κείνα ἀνδρὸς ἀρεταῖς. Horribilis & inaudita ordinis convulſio. Quodſi eo modo conſtruere, deſilire, ſumma imis miſcere, jungere, ſeparare, pro arbitrio liceret, jam non erit conturbatiſſima balbuties & barbaries, quæ excuſari, quæ pro elegantiſſima Græcitate venditari, nequeat.

Sectio tertia declamat adverſus accentus noſtros, & ejici hos tam e ſcriptura, quam e pronuntiatione, jubet. Sectandam ubique in pronuntiando quantitatem ſyllabarum proſœdicam (ſic ipſi placuit ſcribere). Ipſe nuſpiam accentus appoſuit. Negat, τυποῖμι, τυπῶμαι, τυπῆθαι, τυπούμενος, & ſimilia, uſpiam extra Grammaticorum ſcripta & cerebella exſtare.

ſtare. Negat, præſens ab Atticis pro futuro uſurpari, quod illos affectaſſe perhibent veteres juxta & recentes Grammatici: ut δρῶ pro δράσω, ἐξελῶ pro ἐξελάσω, καλῶ pro καλέσω. Vel enim talia ipſa futura eſſe, qualia quoque ſint ipſum εἶμι, & ἄπειμι, quamvis formam præſentis gerentia; vel eſſe ſubjunctiva, quæ non raro notionem futuri habeant, τί ποιῶ; *quid agam?* σιωπῶ, *taceamne*, id eſt, *egone tacebo?* Examinat porro loca *Xenophontis*, quæ *Hutchinſonus* ad *Anabaſ. p. 79* pro vetere opinione allegaverat; in quorum uno ἐλώντων pro ἐλασόντων occurrit, (ἐλώντων καὶ διακοψόντων) in altero *pag. 53*, ut συναγείρεσθαι per *coactum iri* reddatur, ſenſus flagitat. Nodum ſic ſolvit. In priore loco ἐλώντων eſſe futurum, non præſens. Poſteriorem paulo fortius ſtringere. At ſcriptorem tamen proſaicum nihil probare; qui ſibi indulſerit; qui ſemper poſſit corruptelæ ſuſpectus haberi. At, Poëtam metro illigatum nunquam ſibi tale quid permiſiſſe, &, ſi quando vitium irrepſerit, a metro protinus argui. Ipſum illum *Xenophontis* poſteriorem locum corruptum eſſe, ex eo patere, quod ἔσω ἂν cum optativo junctum exhibeat. Atqui, ſolœcum id eſſe, Ὅσω ἂν ἔλθῃ recte dici, non ἔλθοι. Neque ſenſum eundem optativo & ſubjunctivo eſſe. Non perinde dici ἵνα γινώσκοι, & ἵνα γινώσκῃ. Illud notare, *ut cognoſceret*, hoc *cognoſcat*. Videri quidem locum *Homeri Odyſſ. III, 78*, adverſari, ubi præcedens ἵν' ἔροιτο ſequatur ἵν' ἔχῃσι. Verum, verſum iſtum ſpurium & ejiciendum eſſe, aſſeverat. Cauſam vero ſic formatorum futurorum, ut ἐλῶ pro ἐλάσω, in eo collocat, quod Iones dactylum, Attici jambum, amarint. Non autem in omnibus verbis procedere iſtam formandi rationem, ſed tantum valere poſt brevem ſyllabam; poſt longam non item. Ita non ἁρμῶ, non χορτῶ, ſed ἁρμόσω, ſed χορτάσω, dici poſſe.

Finem hujus *tertiæ Sectionis* faciunt obſervationes ad *Callimachum*. Cujus editori nuperrimo, *Thomæ Bentlejo*, errores bene multos exprobrat; ut quod α in ἀκριβής, & in ἰζεύξαο, ſimilibusque, longum crediderit. In verbis, ait, breve eſſe, in genitivis, ut ἑκατηβελετάο, longum. Item

quod

quod crediderit, ſecundam in Θεκυδίδης corripi. *Callimachum*, negat, hymnos condidiſſe, qui ſub ejus nomine circumferuntur. Sed pluribus ignotis eos deberi. Hymno in *Jovem v. 55* vulgo editur καλὰ δ' ἔτρεφες, unde inferunt, τρέφειν idem eſſe atque τρέφεσθαι, & ἔτρεφον idem atque ἐτρεφόμην. Negat Noſter, & reponit ἐτρέφεο. In illo vexatiſſimo *v. 87* τὰ κεν ἠοῖ νοήσῃ ſuadet pro penultima voce ἠρι. Hymno in *Apollin. v. 105* damnat dictionem ἐπ' οὔατα λάθριος εἶπεν: Græcis non id, ſed ἐς οὔατα, dici. Quid, ſi ſtatuatur, ſervatis ceteris, pro ultima voce εἵρπεν ſubſtitui debere, *arrepebat clam ad aures* (*dicens*) &c.

Sectione IV pag. 110 datur *conſonantis, vel aſpirationis, Vaw, prout in ſermone Homerico obtinebat, virtutis, cum proſodicæ, tum analogicæ, ſpecimen.* Voluerat olim *Rich. Bentlejus Homerum* cum Digammate Æolico, ubique inſerto, edere. Noſter autem, quamvis concedat, uno forſan alterove loco *Homerum* eam literam in uſum vocaſſe, negat tamen, eam ipſi familiarem fuiſſe, aut magis in Ionica ejus carmina Æolicam inferciri debere, quam Wau Hebræorum, aut Arabum. Ipſe contra literam w in *Homerum* invectum it, contendens, veteres loco fortis aſpirationis litera H, loco lenis autem litera V, vel W, uſos fuiſſe. Itaque factum, ut per totum librum nuſquam conſueto more *Iliadis*, ſed *Viliadis*, ſcripſerit. Porro cenſet, omnibus vocibus *Homericis*, a vocali brevi incipientibus, ut ἄναξ, præcedente ſyllaba brevi, in vocalem, aut *nun ephelkyſticon*, terminata, debere poſt deletum illud *nun* importunum, a ſtupore & maleferiata ſedulitate Grammaticorum invectum, wau præfigi, hiatus opplendi cauſa, ut πᾶσιν δὲ wανάσσειν, & ἀλλὰ wάναξι &c. Item, ubi vox diſſyllaba, aut triſyllaba, vocali brevi incipiens, præcedentem ſyllabam brevem ſequitur, ibi debere Wau præfigi, quo producantur, ut εἶπες wέπος, & τέτληκας wέπεα &c. Nec vero ſolis, ait, vocalibus in verborum initio præfici olim ſolebat Wau, ſed etiam ſemivocales liquidæ, λ, μ, ν, ρ, ante ſe pronuntiari commodiſſime patiebantur; ut πολλὰ wλισσομένη —

ὡς

ὣς Φατο, κώκυωσεν δὲ μάλα wμέγα ποῖδα wιδῦσα. Hinc collige, (continuat,) portentorum iſtorum ἔλαβε, ἐλλίσσετο, ἐλλιτάνευε, ἐῤῥαίσθη, ἔῤῥεεν, ἔῤῥιψεν, veram poteſtatem eſſe ἔwλαβε, ἐwλίσσετο, ἐwλιτάνευε, ἐwρhαίσθη, ἔwρhεwεν, ἔwρhιψεν. Nova ſcriptio. Quid non dies rerum haud ſperatarum apportant? Videatur hæc ſcriptio affinitatem cum Ruſſica Copticave contrahere velle. Procul dubio multum negotii faceſſeret vel Græce exercitatiſſimis *Homeri* editio, ad *Daweſii* noſtri mentem curata. Non ſane pronum cuivis & expeditum lectu foret coram videnti e. c. *Iliad.* Δ. *86* excuſum Ηʹ δʹ ἀνδρὶw ἰκέλη, & Γ. *172:*

φιλεῖω ἑκυρεδ wεινός τε.

Tandem & iſtum ſui Vau ſtatuit uſum, ut ſyllabas & vocales natura breves producat. Paſſim apud *Homerum* τίω & λύω promiſcue habentur, modo correpta, modo producta, prima ſyllaba. Noſter ait, in his jota & ypſilon natura brevia eſſe; at, ubi produci metrum flagitat, ibi τίwω & λύwω exarandum eſſe. Veteres quoque olim Vau pro Y ſcripſiſſe, ut Διονύσοw pro Διονύσου, Ἀτρεwς pro Ἀτρεὺς. Hinc Ἀτρεwίδης pro Ἀτρείδης, Νηληwιάδης pro Νηληϊάδης, ſcribi oportere. Item ὀwετέας pro οἰετέας *Iliad.* *B*, *765*, & *Iliad.* Γ. *389*, τῇ μιν wεισαμένη pro τῇ μιν ἐεισαμένη, item ἐwοινοχόwει, ἐwεwόλπει, ἐwεwόργει, &c. Hinc quoque *Heſiodum* in *Oper.* *v.* *696* corrigi; apud quem τριήκοντα wετέων legendum ſit pro vulgato τριήκοντων ἐτέων.

Mirabuntur procul dubio Lectores tantam in re tantilla ſubtilitatem, μυρμήκων ἀτραπὸς, νὴ τὸν Δία. *Homerum* in prima illa hominum rudi ætate, agyrtam, ut ferunt, qui fabulis ſuis per fora Græcarum urbium decantandis vitam tolerabat, tam fuiſſe metri peritum juxta & ſtudioſum, ut id nunquam ſeu errore, ſeu contemtu minutiarum, violarit, &, ubi nunc violaſſe videatur, ibi velando crimini tot inanes argutias comminiſci, tot araneas prætexere, ſane id admirationem excitat & meretur. Indulgeamus Muhamedanis & Judæis, illis in tuendo ſuo Alcorano, his in Talmude, ſudantibus & algentibus, & abſurdis abſurda

ſurda incruſtantibus. Putant nempe miſeri, ea originem a Deo trahere. At *Homerum*, quem nemo tamen, quod conſtet, a Deo perhibuit inſpiratum, fidiculis ſubjicere, ſi forte depravati ejus artus fuiſſe videantur, eaque in re ingenium exhaurire, putesne, quæſumus, id hominum eſſe, qui nobilitatem & ingenii & otii ſui recte æſtimare norunt? Quid jam non ſpondeamus noſtris circumforaneis, qui nuptias Pariſienſes, aut parabolam prodigi divitis & pauperis *Lazari*, triobolo decantant? Procul dubio, ſi quis poſt mille pluresve annos talis μακροπτερμολόγος forte fortuna in talium phonaſcorum codicillum quendam poeticum incidat, & deprehendat in eo quandam artis poeticæ dexteritatem, judicetque ſchedas ſuas luce publica dignas, at videat tamen, abnormibus in metrum peccatis & licentiis ſcatere; ſi horum Wawiſtarum & Digammiſtarum exemplum imitari velit, nunquam carebit rationibus non tantum excuſandi vitia ſuæ poeſeos, verum etiam defendendi, & inter elegantias aſſerendi. Si fieri poſſet, ut reſurgens e ſuis cineribus *Homerus* audiret talem aliquem Wawiſtam Iliada ſuam novo modulo lacerantem, rideret profecto & exſibilaret hominem non minus, quam narrant in aula Reginæ *Chriſtinæ* claudum *Marcum Meibomium*, *Davidis* & *Aſſaphi* concentus muſicos & choreas exhibentem, irriſum fuiſſe.

Sed, miſſis hiſce levibus, ad gravius utiliusque argumentum tranſeamus, id eſt, ad *Sectionem quintam*; quam, ſupra jam indicavimus, nobis quidem videri præſtantiſſimam libri partem eſſe. Tragici Græci, ſed præcipue & ex profeſſo *Ariſtophanes*, in ea pertractantur, tanto cum fructu, ut, qui mellitum Comicum Atticum verſare velit, hoc libro carere nequeat. Præteriit quidem permulta Autor notatu & emendatu digniſſima loca, interpretibus adhuc omiſſa; multa protulit minuta, a quibus neque dialectus, neque ſenſus, proficiunt; multa tantummodo metrum laborant reformare; ſunt & non pauca, in quibus falſus fuiſſe deprehendatur Autor; at monſtrat tamen inſignem Græcæ linguæ peritiam, raram & ſollicitam ad minima quæque attentionem, diuturnam

 cum

cum *Ariſtophane* conſuetudinem, ſagax & felix ingenium criticum. Verbo, multas maculas, quæ *Kuſteri* ſeu acumen, ſeu fortunam, effugerant, faceto Comico feliciter abſterſit. Quod exemplis, quorum quædam ſeligemus, conſtabit.

In *Pluto* tuetur *v. 816* vetuſtam lectionem ἴπνος contra *Bentleji* novum ἰπος, aitque *laternam* ſignificare. *V. 438* ſolœcum, ait, eſſe ποῖ τις φύγοι: nam aut ποῖ τις φύγῃ, aut ποῖ τις ἂν φύγοι, dici oportere. *V. 707* ſuadet ἐνεκαλυψάμην, pro συνεκαλυψάμην: *V. 860* μὴ 'λίπωσιν — pro μὴ λίπωσιν. *V. 886* pro vulgato 'Αλλ' οὐκ ἔνεστι συκοφάντου δήγματος affert Αλλ' οὐ περιέσομαι σ. δ. violenta, ut videtur, mutatione. Dubitari certe queat, an non bene Græca ſit dictio ἔνεστι δήγματος pro *facit contra morſum*, ut apud *Ælian. Hiſt. Anim.* paſſim ἀγαθὸν ὀφθαλμῶν, vel νεύρων, *facit contra morbos oculorum*, vel *nervorum*. Si enim cogitetur, ἔξεστι idem eſſe, atque ἐκποδών ἐστι, facile analogia eo ducat, ut credatur, ἔνεστι, idem eſſe, atque ἐμποδών ἐστι. *V. 986* corrigit τῇ μητρὶ θ' ἱματίδιον: *v. 1142* ὑφέλοι' (id eſt, ὑφέλοιο) pro ὑφείλου.

Ad *Nubes* animadvertit, ſolœcum eſſe *v. 822* ὅπως μὴ διδάξῃς: debere enim dici ὅπως μὴ διδάξεις. *V. 1350* pro πέποιθεν reponit πεπείθειν. Id autem ipſi idem eſt, neque absque ratione, atque ἐπεποίθει, *confiſus fuiſſet*.

In *Ranis v. 350* putat pro χρονίων τ' ἐτῶν legendum eſſe χρονίων ἀτῶν. Quidni potius χρονίων γυίων vel, γόνων, *decutis de vetuſtis membris*, aut *genubus*. *V. 854* οὐκ ἂν μισθείτην τοῦ θρόνου reſtituit pro οὐκ ἂν μισθεὶ̃ν. Poſſit etiam, hoc ſervato, τὸν θρόνον reponi. In *verſu 1138* fluctuat, & ſecum decernere nequit, voci ἀναδέχετον quid ſufficiat, ἀναδέρετε, an ἀναδιέλετον, an denique ἀναδύπασθον. Pronum tamen eſt, & unice rectum, ἀναδείρετον, *clare, nude, palam, proponite*, ſimilitudine a victimis deſumta, quæ ἀναδέρονται, *deglubuntur*. *V. 1496* damnat ut ſolœcum, pro more ſuo, σωθῶμεν ἄν. Ipſe imperat σωθεῖμεν ἄν.

In *Equitibus v. 429* pro μέγας καθιεὶς ſuadet μέγας κατιείς, *vehementer flans*. Atqui id deſignaturus *Ariſtophanes*, potius μέγα (non μέγας) dixiſſet. *V. 435* pro γε κακίας vult κακίας. At, quamvis etiam Scholiaſtes id commendet, ſenſus

Digitized by Google

ſus tamen repudiat. Si qua mutatione opus, quid, ſi *φενακίας* cogitemus? *V. 764* non improbabile eſt ejus *ἀμφιβεβηκὼς* pro vulgato *ἀντιβεβληκώς*. Propius tamen ad literam, & nihilo deterius, fuerit *ἀντιβεβηκώς*. *V. 886* commendat *ὑπερβαλεῖ με* pro vulgato *ὑπερβαλεῖς με*. *V. 1308* ſic vulgo exſtat:

> Εἰ δ' ἀρέσκοι ταῦτ' Ἀθηναίοισι, καθῆσθαί μοι δοκῶ
> Εἰς τὸ Θησεῖον πλεύσαις ἢ 'πὶ τῶν σεμνῶν Θεῶν.

Noſter ita reformat:

> Εἰ δ' ἀρέσκει ταῦτ' Ἀθηναίοις, καθῆσθ' ἄν μοι δοκῶ
> Εἰς τὸ Θησεῖον πλεύσασ' ἄν, ἢ 'ς τὸ τῶν σεμνῶν Θεῶν.

Recte quædam in his animadverſa; vitium quidem ineſt in *πλεύσαις*. At non *πλεύσ' ἄν* debebat reſcribi, ſed *πλεύσας*, & pro *δοκῶ*, *δοκεῖ*, *videtur mihi*, *opus nobis eſſe*, *ut navigemus & conſideamus*. In ultimis poſſet paulo propius ad literarum *ἢ 'πὶ τῷ σεμνῶν θεῶν*, aut *ἤ τι τῶν σ. Θ.* legi. Poſterius ſi præferatur, memoriæ aderit, non unum, ſed aliquot, Erynnium templa Athenis fuiſſe. Prius ſi magis placeat, haud difficile intellectu eſt, vocem *νεῷ*, aut *θώκῳ*, aut *ἕδει*, aut *τεμένει*, vel ſimilem, per ellipſin deeſſe.

Acharnenſium v. 270 emendat *πολλῷ* pro *πολλῶν*. *V. 490* pro *ἄγαμαι καρδίας* conjicit *ἄγ' ἐμὴ καρδία*, non ſine ſpecie. Etiam non improbabile, quod *v. 633* *πολλῶν ἀγαθῶν αἴτιος* pro vulgato *π. ἀ. ἄξιος* proponit. Etiam illud dubio vacat, *v. 1174* *χυτριδίῳ*, ut Noſter vult, pro *χυτρίῳ* recipiendum eſſe.

At vix inveniet, cui ſuum *πινάκιόν τι τμητικὸν* pro vulgato *πινάκιον τιμητικὸν* *Veſp. v. 167* approbet. Elegans autem & certum eſt *δρασείει*, quod *v. 168* in vulgati *δράσειεν* locum ſubjicit. Perquam ſcitum illud *Οὗτις σύ; ποδαπός*, *v. 185.* ubi vulgatæ pro prima voce *ὅτος* exhibent. Perſpicuum quoque illud *v. 859* *τῆς γραφῆς, ἧς ἐγράψατο*.

Pacis v. 117 rectum ferit pro *ὅτι φιλεῖς με* exhibens *εἴ τι φιλεῖς με*. *V. 744* *εἴ τ' ἀνέγροιτο* pro *ἐπανέγροιτο* reponit. Integrat porro *verſum 119*, vocem *παῖ*, *heus puer*, præfigendo, e vulgatis exulantem. Acutum vidit, *v. 1284*, obſervans, *ταῦτ' ᾖδε* legi debere, pro vulgato *ταῦτα δέ*. Felix etiam illud in-

inventum, *τω τε τρυβλίω* dualia eſſe, non dativos ſingulares. Eundem ad cenſum pertinet facile quidem & in promtu poſitum illud, quod tamen doctiſſimos viros adhuc fugerat, *πελεκώντων v. 1157.* Præclare quoque emendat locum *v. 1730* ſic: Ἥρᾳ ποτ' Ὀλυμπίᾳ — ξυνεκοίμισαν. Quale ſit illud *πηνικάπτ'*, quod *v. 1513* commendat præ vulgato *πηνικάτ'*, (tanquam idem ſit, atque *πηνίκα ποτε*,) Lectorum judicio permittimus.

Ad *Ecclefiaz. v. 153* paulo imperioſius, pro ingenio ſuo, *βίαν* obtrudit pro vulgato *μίαν*, in iſtis *κατά γε τὴν ἐμὴν μίαν. Lege vero tandem*, ait, *ſi ſapere audes, κατά γε τὴν ἐμὴν βίαν.* Novimus, quibus id ipſum quoque dudum viſum fuit. Sed incidebat tamen illis ille ſcrupulus, vocem *βία* non idem omnino atque *δύναμις* ſignificare; & apud nullum ſcriptorem exſtare phraſin *κατά γε τὴν ἐμὴν δύναμιν.* Certius eſt, quod *v. 949 τὴν εὐφρόνην* emendat, quod huc usque *εὐφροσύνην* fuit. Abblanditur quoque, quod ad *Theſmophor. v. 497* tuetur, *εἶφ', ὁρᾷς εὐριπίδης*. pro vulgato *ἐφωρᾶτ' εὐριπίδης.* At in *v. 711*, ubi vulgo editur *οἷον ὑμῶν ἐξάρξω τὴν ἄγαν αὐθαδίαν*, fallitur procul dubio, tertiæ voci *δέξερῶ' γώ* ſubſtituens. *Ariſtophanes* autem videtur *ἐξαράξω* ſcripſiſſe.

Sufficiant hæc in ſpecimen, e quo intelligatur, quam utilis hic liber *Ariſtophanis*, & in univerſum veteris Græcæ poeſeos, amatoribus ſit futurus.

CAROLI LINNÆI, DOCT. MEDICI, ET ACAD. Naturæ Curioſ. Socii, Flora Lapponica, exhibens plantas, per Lapponiam creſcentes, ſecundum Syſtema ſexuale collectas in itinere, impenſis Societatis Regiæ Literariæ & Scientiarum Sueciæ A. 1732 inſtituto, additis ſynonymis & locis natalibus, omnium deſcriptionibus, & figuris rariorum, viribus medicatis & œconomicis plurimarum.

Amſtelædami, apud Salomonem Schouten, 1747, 8 maj. Alph. 1 plag. 2, cum Fig. æn. 12.

Quas

Quas *Olaus Rudbeckius*, Celeberrimus ille Suecorum Botanicus, itinere ſuo Lapponico clarus, literario orbi exhibiturus erat Lapponiæ plantas, niſi ferale illud incendium Upſalienſe Tomos *Lapponiæ illuſtratæ*, poſt *primum* editum, omnes abſumſiſſet, meliore fato cum erudito orbe communicat immortalis *Linnæus*, qui, cum ea uſus ſit modeſtia, ut non reticeat, a quibus, ante ipſum Lapponiam ingreſſis, profecerit, eo plus meretur, anteceſſores ſuos & induſtria & deſcriptionum excellentia ſuperaſſe, dici. Nec fieri aliter potuit, quam ut felicius progrederetur talis Vir, cui curioſiſſima & minimis abſtruſisque intenta methodus ad obvia quævis oculos acuebat. Magno animo, majore felicitate, ſemeſtris anni ſpatio, (ejus verba ſunt,) *Linnæus* Uplandiæ nemora, Ge„ſtriciæ ſylvas, Helſingiæ colles, Madelpatiæ ſaltus, An„germanniæ montes, Weſtrobothiæ lucos, Lappmarkiæ de„ſerta, Finnemarkiæ litora, Oſtrobothniæ paludes, Finn„landiæ ericeta, Alandiæ inſulas, toto circumvectus Sinu „Bothnico, ad uſque mare ſeptentrionale, eique adjacentem Finnmarkiam, peragravit.„ Quamvis ergo ſoli naturalis genius plenos florum manipulos promittere haud videretur; inventæ tamen ſunt plantæ, tum illæ omnes, quas *Alpes Pyrenæi*, *Helvetici*, & ipſe *Baldus* mons, afferunt, ut §. *161* nec frutices defuerint ad *arbutum* referendi, tum pleræque quas mitior Europa alit, deinde novæ quamplurimæ. Solent plantæ ſuum amare ſolum, eidemque ſeſe addicere unice, qua analogia ante perſpecta, *Linnæus* Alpinas plantas, in jugis Alpium Lapponicorum ſibi promittere poterat, nihilo felicius ibi creſcentes, quod, quantum temporis anni hiems ſorbet, tantum ſolis haud occidui liberalis inhalatio addat plantis, ut illæ breviore, quam alibi, ubi ſol occidit, tempore, vegetare, ac fructus moliri, poſſint. Hordeum polyſtichum vernum C. B. Maji die 31 ſerebatur, maturitatem aſſequebatur Julii die 28, ſecale vernum vel minus C. B. Maji die 31 ſerebatur, maturum metebatur Aug. 5. Ergo maturuit intra 60 nyctimera. Quamvis ergo Lapponia, quam *Linnæus* peragravit, ejusdemque Alpes,

 vere

vere æque ac autumno deſtituantur, nihilque illis regionibus de anni temporibus, præter prolixiſſimam hyemem, brevem vero æſtatem, conceſſum ſit; plantarum tamen proventu haud carent, & inventa ibidem ſunt pleraque plantarum, per Europam vegetantium, genera cum ſuis ſpeciebus, & ſuper has ſpecies novæ, ad cognita genera referendæ, quædam etiam nova genera, vel inventa, vel ex jam cognitis, mutato nomine, conſtructa fuerunt. Tria potiſſimum in propoſitis habuit *Linnæus*, cum difficile hoc iter inſtitueret, alterum, ut ſuam methodum ſuper hyperboreis plantis experiretur; alterum, ut uſus plantarum medicos æque ac mechanicos ediſceret; tertium denique, ut hiſtoriam naturalem animalium ipſarumque gentium mores & victum exploraret. Omnibus his ita ſatisfecit, ut immortalem nominis ſui celebritatem ex hac expeditione fuerit conſecutus. Quod ad methodum illam ſexualem ex ſtaminum & piſtillorum conſideratione natam, & ſexualem dictam, attinet, eadem illa eſt, qua in *Syſtemate naturæ*, aliiſque operibus botanicis, uſus fuit, de qua, utpote jam a magnis in hac ſcientia viris, vel oppugnata, vel defenſa, nuper etiam a Pariſienſibus agnita, nihil monendum eſſe cenſemus, cum inania ſint ejuſmodi litigia, quæ ſuper præſtantiore methodo agitantur. Nam

Metiri ſe quemque ſuo modulo ac pede verum eſt,

nec niſi ex *Linnæo Linnæus* æſtimari debet, vacuumque foret negotium, hoc illi objicere, quod Corollas pro definitionum ſuarum fundamento ponere haud voluerit. Et *Linnæus* illius eſt modeſtiæ, quod vehementer laudamus, ut illos haud vituperet, qui ad ſuæ methodi rationes plantas haud æſtimant atque definiunt. Ita, *quando de Oſſea, uti Corni eſt ſpecies, charactere diſpicitur, &, licet bacca ſit bilocularis, duplici etiam oſſiculo fœta, tamen ad Cornum refertur*, legimus, *Rivinum* ex methodo ſua Cornum bene definiviſſe, quamvis hoc velimus Clariſſimum *Linnæum* ſcire, ex ſuæ methodi rationibus *Rivinum* florem Corni *compoſitum* dicere haud voluiſſe, uti *pag.* 41 infertur, cum illi floſculi, in corni calyce folioſo ſubſiſtentes, ſint ſinguli, ſueque quilibet caly-

ce peculiari gaudeant, quod a natura compoſitorum longiſſime abeſt. Eadem æquitate ductus, *Linnæum* arguere nemo debet, quod ſuorum principiorum, a ſe ſtabilitorum, ſit tenaciſſimus, nolitque, ad generum vegetabilium ſtabilimentum, *vel corollam, quandoquidem ejus forma, imo petala, in congeneribus, uti in Gentianellis ac Centaureis pag. 62 inſigniter varient, vel fructum, cum bacca & capſulæ pag. 79 parum diſcrepent, & eorum numerus in plurimis inconſtans ſit, veluti in Gentiana, Lino, Paride, Sedo, Ruta, pag. 81*, quidquam conferre. Potuit ergo, ſi flos & fructus nihil definiunt, quod paſſim in hoc opere aſſeritur, ex ſua hypotheſi, *unifolium* referre ad *Convallarium*, & *polygonatum* illi adjudicare, quandoquidem ſtaminum & piſtillorum numero conveniunt. Non tamen ubique carere corollarum & fructuum conſideratione, *Linnæum* potuiſſe, totius ſcripti hujus ambitus docet; in quamplurimis enim plantarum differentiis explicandis ad *corollam*, quæ haud dubitata floris pars eſt, hinc excludi nunquam poterit, & fructum, provocat. Ipſe florendi modus ſæpe genus ſiſtit, dum *pag. 15 Iris*, propterea, quod ex ſpatha floreat, palmis accedit, *Angelica* autem *pag. 71* a globoſo florendi modo diſtinguuntur a reliquis umbellis. Cur *Lycopſis* Buglóſſum dici haud poſſit, nectarium incurvum *pag. 46* cauſa eſt. Ex *Corolla* convincit, unifolium Convallariam eſſe *pag. 82*. In *Rumicibus* definiendis, & quod lapatha huic generi ſubſint, ad numerum floris & calycis ternarium *pag. 96* provocat. *Doronici* characterem, ne cum *Hieraciis* confundatur, ponit in floribus radio donatis ac fœmineis; hinc tota ejus doctrina *de polygamia plantarum ſuperflua* conceptibus ad corollam redeuntibus ſuperſtruitur, dum dicit, in hac gente Corollulas vel eſſe tubulatas, vel lingulatas, vel limbo deſtitutas. Ex nectariis convincitur, *Trollium* eſſe helleborum *pag 183*; *Renunculorum* character *ibid.* nectarium eſt ad ſingula petala ſingulum, adeoque, præter ſtamina atque piſtilla, ad alias etiam floris partes reſpicit. Quid? quod aliquando ſtamina *Linnæi*, a corollis ſeparata, ne cogitari quidem poſſint. Monopetalorum enim eſſentia in

ſtami-

ſtaminibus Corollæ affixis, *unica Azalea, quæ Ledum eſt, & Aloe Dillenii, p. 56 excepta*, ponitur. Probe adeoque perſpexit, Corollam ſimul cum ſexualibus floris partibus adſciſci, ut bona definitio reſultet, oportere. Noluit ſaltem ſummos generum ſupremorum conceptus ex Corolla fingi, quod illa in quamplurimis floribus deſideretur, illis ſcilicet, quos apetalos dici mos eſt. Si quid ergo eſt, quod contra *Linnæum* monere Corollarum defenſores poſſunt, ad illum finem tendere unice debet, ut, Corollam ſummis generibus definiendis aptiorem ſtamine, vel piſtillo, eſſe, demonſtrent, quod quidem noſtra nunc parum intereſt. Uti ergo petalis haud raro favet *Linnæus;* ita nec fructus omnino deſerit, licet eorum valores ad plantæ definitionem impetrandam paſſim damnet, ſiquidem in omnibus plantis naturæ finis, fructum aſſequi, haud ſit, ſed plantæ quædam pro fructu radiculam, veluti in allio & biſtorta *pag. 135*, moliantur; ſemina nuda, eademque tecta capſulis, illi in Claſſe Tidynamiarum, ad genera dirimenda, ſuccurrunt, itidemque in tetradynamiis fructus generum limes eſt, ut ſiliculoſæ plantæ diſtinguantur a ſiliquoſis. Nec minus alibi ex fructuum rationibus affinitas plantarum æſtimatur, veluti Vaccinium ob calycem coronatum, qui fructus ſit, ab arbuto *pag. 122.* diſcrepat. Alterum, quod agendum in hoc itinere Lapponico *Linnæus* in ſe ſuſcepit, illud eſt, ut vegetabilium virtutes, & penes gentem illam uſus, diſceret ac deſcriberet. Intellexit autem, a Lapponibus, uti Romæ olim, exulare Medicos. Conſultus tantum fuit ſuper peſte boum *pag. 72*, quam ex Cicutæ paſtu natam fuiſſe ſuſpicatur; dum enim fame hiemali enecta pecora, licet, quod ſemper faciunt, ut a fœtidis abſtineant, deterreri virulento plantæ odore debuiſſent, in nova pabula ruebant, hoc ſibi contagium conſciverunt guloſitate nimia. Aſt Lappones, niſi victus regimine, haud convaleſcunt; corpore & viribus valent; ipſo *Linnæo* juvene, comites itineris ſeptuagenarii Lappones & ſupellectile onuſti, vegetiores *pag. 158* viſi ſunt; uſus tamen illos quædam medicamenta docuit. Iridis paluſtris radice ad edu-

cen-

Digitized by Google

cendam aquam intercutem Oſtrobothniæ incolæ *pag. 15* utuntur. Colicam immanem, quam mictus cruentus comitatur *pag. 71*, Angelicæ caulis ſapidiſſimus abigit. Moxam, ex Betulæ annoſæ fibris corraſam, dolenti pedi admovent *pag. 164*, licet podagra, vel calculus, *pag. 69* illis frequens haud interſit; Selinum, ſeu *Thyſſelinum, noſtras lacteſcens* in radice illis maſticatorium eſt gratiſſimum. Delectantur enim vegetabilibus acribus & aromate prægnantibus, quo uti illos, ob victum ex lacte, oportet. Proinde & panes ex herbis acribus coquunt. Menyanthis, ſeu Trifolii fibrini radix, clibanis torrefacta mola frangitur, hinc panis, labro Lapponico ſimilis, *pag. 50* pinſitur. Radix Dracunculi paluſtris, qui ari ſpecies eſt, acerrima ſane, ſimiliter in pollinem fatiſcit *pag. 249, 250*, omnique acredine, aqua dulci frequneter eluta, caret, laudatque *Linnæus* hunc victum. Quis crederet ex cortice interiore Pini *pag. 276* panes ſimiliter confici? Scilicet paupertas, inconſuetis etiam pabulis uti, gentem hanc, ſimpliciſſimo victui addictam, & hoc ipſo, quia valet & viget, feliciorem, docuit. Si qui liberalius vivunt, Tetraonum, ſeu Urogallorum, carnibus veſcuntur. Hos laquearibus venantur, dum myrtilli baccas petunt, & inter myrticeta gradiuntur; hos fumo indurant, ut hyeme ſit, quo lautius cœnari poſſit. Enimvero hyeme, noctibus propter varia chaſmata *pag. 256* illuſtribus, venatum etiam eunt, & Lagopodas aves, Tetraonum ſpeciem, inter nives & atrociſſimum gelu durantes, inſectantur. Deinde oxygala, quod ſerum acetoſatum Lapponicum *pag. 93* ex acetoſæ foliis coquunt, & Rhenonum ventriculo primo, ſeu magno, infundunt deſiccantque, vel lac myrtillorum baccis miſcent, inque caſeum *pag. 109* premunt, dum materiem Rhenonum ventriculo, qui *reticulum*, indunt; Aconiti quoque herba *pag. 179*, de veneno alias ſuſpecta, editur. Tanti conſtat Lapponibus, beate vivere. Inter Weſtrogothos, opulentiores cereviſiam bibunt *pag. 51*, cum Lupuli ſtrobilus deſit, herba trifolii fibrini, quæ Menyanthes, vel Gentianellæ radice, incoctam; aſt vulgus Juniperi baccas *pag. 301* decoquit. Nocentes etiam herbas

terra alit. Fungus rubeus lacteſcens variegatus præſentaneum eſt venenum; præterea & cicutæ naſcuntur & aconita, & vulgatius illud pardalianches, quod nobis *Chriſtophoriana, Actæa* Linnæo, veluti autem victum, ita & alias vitæ neceſſitates, regnum Vegetabile Lapponiæ incolis ſuppeditat. *Carex Culmo longiſſimo pag. 253* in fila fractus, ſtuppam ſuggerit, pedibus ſubligandam, ne frigus urat, rhenones, ſeu rangiferi, frigoris patientes, lacte & carne, victum. Horum etiam cutem indurant in corium, corticis betulæ uſu, alni autem cortice, ex rubro, inficiunt. Horum animalium numero *pag. 347* opes æſtimant, & dotem ſtatuunt.

Tertium eſt, quod agendum ſedulo curat *Linnæus*, ut aeris cœliqu temperiem, ejuſque effectus in vegetabilia ac animalia, ſedulo indaget, & animalium hiſtoriam paſſim attingat. Summa Alpium Lapponicarum juga, arbores alibi proceras, *betulam, pinum*, pumilas, gignunt. Color florum, qui cœruleus, vel ruber, congeneribus, albet, uti & vulpes, & urſi, & mures, ipſique homines. Illo tempore, quo ſol haud occidit, & horizontem ſeptentrionalem delibat, niſi nox eſt, eſt tamen obſcurus dies, majoreſque plantarum umbræ cadunt, quod viſui *pag. 129* officit. Animalia fera, lupi, urſi, Rhenonibus inſidias ſtruunt. Hos etiam minor beſtiola, *Oeſtrum*, muſca, periculoſe compungit, et ſæpe accidit, ut contagio ſimilis ille morbus ſit. Ex vulnere enim, quod aculeus *Oeſtri* cuti infligit, poſito intus ovulo, vermis naſcitur, qui ſub tuberculo hybernat, & mutatur in muſcam, veluti *Linnæus* vidit, *Reaumurius* autem, curioſiſſimus naturæ indagator, vermem, exeſa cute, labi, ſibique ex terra coccum ſtruere, deprehendit in bobus, eodem inſecto vulneratis. Longum eſſet, omnis eruditionis quæ paſſim exſtat, ſupellectilem delibare ſaltem, nedum deſcribere.

ESSAI SUR L'HISTOIRE NATURELLE DE LA France Equinoxiale &c.

hoc eſt,

SPECIMEN HISTORIÆ NATURALIS GALLIÆ æquinoctialis, ſeu Catalogus Plantarum, Animantium, & Mineralium, quæ reperiuntur in inſula Cayennæ, Inſulis

ſulis Remiriis, ad litora maris, & in continenti Guianæ, Autore PETRO BARRERE, Socio epiſtolico Academiæ Scientiarum Pariſienſis, Doctore & Profeſſore Regio Medicinæ in Academia Perpinianenſi, &c.
Pariſiis, apud viduam Pigeti, 1749, 12 maj.
Plag. $10\frac{1}{2}$.

G*allia æquinoctialis* dicitur is tractus Americæ, qui eſt dominationis Gallicæ, circa fluvium & inſulam Cayennæ, ſub latitudine circiter quinque graduum boreali. Celeberrimus iſte inter Phyſicos & Aſtronomos habetur obſervationibus *Richerii*, A. 1672 ibi habitis, inprimis vero ea, qua longitudinem penduli, minuta ſecunda oſcillantis, minuendam detexit, quæque prima celebratiſſimæ de figura telluris diſquiſitioni anſam præbuit. Hujus partis, & oræ Oceani adjacentis, continentisque Guianæ, Hiſtoriam naturalem, ſeu potius primas talis Hiſtoriæ lineas, in præſenti exhibet Cl. Autor. Is iter eo fecit A. 1722 juſſu regio, & monitis Academiæ Scientiarum inſtructus, tresque ibidem annos commoratus eſt, quibus perſcrutandæ hujus terræ animantium, plantarum, foſſilium, hiſtoriæ omnes vires impendit. Ipſas vero has obſervationes antequam publicæ luci exponeret, an hæ ad palatum eruditorum forent, experiri voluit, ideoque hocce quaſi compendium, ſeu ſciagraphiam, totius operis Lectoribus offert; quod ſi ipſis non diſplicere intelliget, amplam omnium deſcriptionem, cum figuris, ad vivum delineatis, exhibebit. Præſens itaque nil aliud eſt, quam catalogus plantarum, avium, quadrupedum, & reptilium, piſcium, teſtaceorum, inſectorum, foſſilium, cum variis nominibus Latinis, Gallicis, & Indicis. Additæ interdum ſunt obſervationes ſuccinctæ circa uſum harum rerum in re medica & artibus. Inprimis circa plantas uberrime verſatus eſt. Ceterum Autor promittit Hiſtoriam naturalem Comitatus Roſcinonenſis, eodem modo conſcribendam. Quam non minus, ac ipſam Hiſtoriam Galliæ æquinoctialis, ab omnibus Hiſtoriæ naturalis amatoribus, quorum noſtris diebus maximus eſt numerus, omni ſtudio exceptum iri, Autori facile ſpondemus.

SUCCINCTA ENARRATIO OPTIMOrum quorundam ex Antiquitate Romana Scriptorum, qui typis denuo excuſi Berolini prodierunt, impenſis Ambr. Haudii *&* J. C. Speneri, *ab A. 1745 ad 1749.*

Magnam ineſſe omnibus veteris Græciæ et Latii Scriptoribus præſtantiam, eruditionem ſingularem, ſummamque in hac curam & diligentiam, ſi velimus nunc pluribus exponere ac firmare, id ſane acturi videremur, de quo nemo peritus unquam dubitabit. Eſt enim ea hujus cauſæ natura & indoles, ut expoſitione copioſa & defenſione haud indigeat, eaque virtus, qua ſemper valuit pro ſe ipſa, ſi qui aliter exiſtimarent, certare, certandoque in anteceſſum de victoria gloriari. Factum propterea eſt, ut viri poſt inſtauratas literas eruditiſſimi, tota fere in iis conſumta ætate & opera, typis exſcribi diligentér hujus generis Autores curarint & emaculatius. Unde a tironum ſtudio & elegantia pariter *Manutii, Stephani, Plantini, Gryphii, Elzevirii, Raphelengi, Frobenii, Oporini, Hervagii, Wechelii*, & complures, ſuorum nominum famam poſteris inſigni pridem cum laude commendarunt. Scimus enim, quam curam ea in re præcipuam defixerint, ut ſani eſſent veterum libri, neque ullis, ſi fieri poſſet, ſpuriis interpolati lectionibus, nec ſuis hinc inde typographicis erroribus depravati & corrupti, prodirent. Atque ita non promiſcue ad cauſam ſtudium doctorum, ſed exquiſitam virorum his in literis eruditiſſimorum operam, requirebant, ne imperitia quidquam, aut negligentia, in lectorum varii generis nocumentum admitteretur. Præſertim ſi debeant ideo ejusmodi libri typis ſingulariter exſcribi, quo tironibus, parum adhuc exercitatis, honeſtarum literarum cauſa inſerviant. Quæ quidem cum ita veriſſime ſint, neſcimus ſane, qua temeritate ab aliquo tempore acciderit, ut quædam famelica hominum turba operam ſuam adeo in detrimentum optimæ cauſæ locaverit, ut editiones inquinatius expreſſæ, levibusque ſæpenumero & ineptis notis Theo-

Theotiſcis oneratæ, juvenum paſſim manibus terantur. Rem explicare paucis enuntiabimus. Non omnes promiſcue ſcilicet editiones Theotiſcis explicationibus inſtructas proſcribimus; verum tamen plurimas, quæ ſunt opera tumultuaria invita prorſus Minerva excluſæ. Poteſt enim in his per ſingulas tantum non paginas doceri, homines, qui operam ita locarunt, ſine adminiculis acceſſiſſe idoneis, nec mentem cepiſſe Autoris, ſed quaſdam eſſe modo conjecturas ſæpiſſime commentos. Hujus ſane generis editiones nihil quidquam proſunt tironibus, imo obſunt vehementer, eosque ipſos in devia, inque meros errores, deducunt. Melius propterea multo tam bonis literis, quam tironum ſtudiis, conſulunt, qui magnis haud parcunt ſumtibus, curantque viri peritioris ope, ut nitide, ut emendate, libri veteres exſcribantur, quamvis ſint nullis omnino instructi obſervationibus. Docentium enim tunc eſt, ut omnem in illis cauſam & rem, & quæ plura ſunt ſcitu digniora, intelligenter explicent. Singulariter itaque cœperunt de optimis veterum Latinis ſcriptoribus nuper mereri *Ambr. Haudius* & *J. C. Spenerus*, Regius uterque Berolini bibliopola, Viri honeſtiſſimi, qui magnam illorum partem cum ampliſſimis impenſis correcte, acurateque, &, quam fieri potuit, nitidiſſime, typis denuo exſcribi ad editiones præſtantiores, curarunt. Operam ipſam & diligentiam prudenter demandarunt Viro Clariſſ. *Jo. Petro Millero*, Prof. Ulmenſi, qui, pro ſua his in rebus intelligentia, ſpartam ſibi demandatam egregie exornavit. Proſtant autem apud laudatos modo bibliopolas Opera *Ciceronis* omnia, & quæ *Julii Cæſaris*, *Corn. Nepotis*, *Juſtini*, *Curtii*, *Terentii*, *Horatii*, *Juvenalis*, & *Perſii*, monumenta ex antiquitate ſuperſunt. De ſingulis igitur quam breviſſime potiora enarraturi, a *Cicerone* ſtatim petemus primordia. Hujus autem prima impenſa eſt cura Operibus philoſophicis, quæ in *quatuor Tomos* diviſa, atque ad exemplar edita Londinenſe, prodierunt *paginis 648*. Incipit *Quæſt. Acad. Liber I*, quem mox harum *Liber II*, ſeu *IV*, ſecundum *Nonium*, excipit; ſequuntur & finiunt demum *Tomum*

I Libri V. de Finibus bonorum & malorum. *Tomum II* deinceps *Tuſcul Quæſt. Libri V.* & *de Natura Deorum Libri III,* conſtituunt. Tum ſuo leguntur ordine *de Divinatione Libri II; de Fato* Liber ſingularis; *de Legibus Libri III,* & *de Officiis Libri III,* quibus *Tomus III* concluditur. Ad *Tomum IV Cato M.; Lælius; Paradoxa; de Petitione Conſulatus; Conſolatio M. T. Ciceronis; Fragmenta* varii argumenti, & *Somnium Scipionis,* referuntur. Rerum tandem index locupletisſimus ad uſum meliorem annexus deprehenditur. Poſt hæc ad idem exemplar lucem nova hac forma viderunt omnes *Ciceronis Epiſtolæ,* uno comprehenſæ Volumine, atque in *tres Tomos* digeſtæ *paginis 584. Tomo I* continentur *Epiſtolarum ad diverſos Libri XVI; altero* totidem *Libri ad T. Pomp. Atticum; tertio* demum *M. T. Ciceronis Epiſtolarum ad Q. Fratrem Libri III; ad M. Brutum Liber I,* & incerti Autoris *ad Octavianum* Epiſtola. Accedit in fine *Attici vita,* cum indice rerum & verborum locupletiſſimo. Reſtabat tandem, ut Opera rhetorica, & Orationes, quæ ſuperſunt, omnes, ſequerentur, quæ, *quatuor* etiam *Voluminibus* in uno comprehenſæ, ad laudatum ſupra exemplar lucem adſpexerunt, *paginis 1260.* Præmiſſa his legitur Cl. *Milleri* Præfatio & tabula ſuccincta, in qua de rebus geſtis *Ciceronis* ſecundum annorum ſeriem exponitur. Index in ſingula demum Volumina locupletior utentium commoditati optime inſerviet. Progredimur ad *Julii Cæſaris* Commentarios conjunctim omnes, qui denuo ibidem exſcripti leguntur, Gallicamque una interpretationem, a *N. P. Ablancurtio* adornatam, per ſingulas paginas exhibent, *pagg. 530.* Præmittuntur Cl *Milleri* Præfatio; *G. J. Voſſii de C. J. Cæſare, ejusdemque Commentariis,* enarratio, cum *Henr. Dodwelli* de Autore Diſſertatione. Ad finem apparent animadverſiones Gallicæ in Libros de Bello civili &c. quas ipſius *C. Cæſaris* Fragmenta, cum indice inſtructiſſimo, ſequuntur. Eodem ſtudio, id eſt, accuratiſſime, ac formis nitidioribus, cum interpretatione *Graſii* Gallica, e regione continuo poſita, *Corn. Nepos* excuſus prodiit *pagg. 163.* Ad principium leguntur ea, quæ *G. J. Voſſius* ſuper vita & reliquis

liquis rebus, ad *Nepotem* pertinentibus, in egregio libro *de Hiſtoricis Latinis Lib. I Cap. XIII* commemorat. Fragmenta demum ad finem, ab *Andr. Schotto* collecta, nunc autem recenſita denuo curatius, & paſſim emendata, cum rerum ac nominum memorabilium indice, conſequuntur. Ordinem tutius ſervaturi, ad *Juſtini Hiſtorias Philippicas* pertingimus, in quibus excudendis & voluntati & cauſæ, ſatis eſſe mirifice factum, opinamur. Ad initium itidem Cl. *Milleri* Præfatio; *Voſſii* quædam, ad *Juſtinum* pertinentia, quæ fragmenta & teſtimonia de *Trogo* & *Juſtino* aliquot, a *Jac. Bongarſio* collecta, excipiunt. Ad finem leguntur Prologi *Hiſtor. Philipp. Pomp. Trogi XLIV*, & *Jac. Bongarſii* excerptiones chronologicæ. Autor *paginis 169*, præter indicem, *Freinshemii*, *Scheſferi*, aliorumque, opera inſtructiſſimum, complectitur. Continenti ordine *Q. Curtium Rufum de rebus geſtis Alexandri M.* adjungimus, quem elegantiſſima *C. F. Valgelaſii* Gallica interpretatione, & alia *Ryeri*, ad *Supplementa Freinshemiana* pertinente, adauctum deprehendimus, *pagg. 500.* Præmiſſa eſt Regis Boruſſorum potentiſſimi effigies, cui & ipſe Autor Gallico ſermone inſcribitur. Sequuntur *Mottani Vayeri* & *J. A. Fabricii* de *Curtio* judicia, Gallice alterum, alterum Latine datum. Index demum expreſſus Gallice materiam, in toto paſſim Autore contentam, fuſius enarrat. Atque hi vere ſunt, qui ex proſaicis veterum Autoribus lucem huedum adſpexerunt; quibus inſuper Poetarum optimorum illius ætatis triada, una cum *Terentio* acceſſiſſe lætamur. Eſt enim in Comicorum principibus, uti omnes norunt periti, ſine ulla dubitatione *Publius Terentius Afer*, cujus Comœdiæ ſex hominum ſemper doctiſſimorum plauſum ſibi ſervarunt. Has nitidiſſime denuo exſcriptas iisdem impenſis accepimus *pagg. 210.* Poſt frontem Autoris, præter Clariſſ. *Milleri* dedicationem, ſcriptamque aliam eleganter Præfationem, *P. Terentii* vita, *Ælio Donato*, ſeu *Suetonio Tranquillo*, Autore, legitur. Accedunt *Jo. Henr. Bœcleri* annotata in eandem vitam, & judicia veterum, cum *Ælii Donati* fragmentis de Comœdia & Tragœdia; item *Priſciani*, Gramma-

matici, *de verſibus comicis* libellus. Vocabulorum tandem & phraſium indice Autor diligentiore inſtructus eſt, qui ad puerorum uſum & induſtriam quammaxime ſpectabit. Pari deinceps nitore *Q. Horatii Flacci* Opera proſtant ad exemplar Londinenſe, a *Joanne Pine* tabulis æneis inciſum, edita *pagg. 136.* Poſt initium Autoris vitam, e vetuſto exemplari deſcriptam, offendimus. His demum neque externo ſplendore, nec cura, concedunt *D. Junii Juvenalis* & *A. Perſii Flacci* Satyræ, unico Volumine comprehenſæ *plagg.* $11\frac{1}{2}$. Dedicationem Cl. *Milleri* Præfatio eleganter ſcripta excipit. Conſequitur continuo Vita *D. J. Juvenalis*, a *Suetonio*, ut putant nonnulli, ſtrictim recenſita, cum *P. Pithæi* & *H. C. Henninii* ad eandem annotationibus. Porro excerpta vides ex *Iſaaci Caſauboni* in *Perſium* prolegomenis. Cuilibet Satyræ argumentum præmittitur; ad Autoris vero mentem facilius capiendam, Chreſtomathia in fine acceſſit inſtructior. *A. Perſii* Satyræ poſtea incipiunt, quæ cum illis conjunctæ prodierunt, quibus vita in fronte addita eſt, a *Valerio Probo*, ut putant, adornata. Atque, cum pluribus lectu difficilior videatur *Perſius*, hanc ſane difficultatem non parum ſublevabit Chreſtomathia, quam optime docteque concinnatam in fine dedit Cl. *Millerus* Ceterum de omnibus & ſingulis Autoribus, quos breviſſima enarratione ſumus complexi, id ipſum judicium repetere, quod antea verum putavimus, nil ſubtimemus. Sunt omnes ſcilicet ac ſinguli tam nitidis formis, tam accurate ac diligenter, excuſi, ut nihil ſumtuum peperciſſe cenſeri jure optimo queant bibliopolæ honeſtiſſimi, *A. Haudius*, &, qui nunc potiſſimum adeſt, *J. C. Spenerus*. Eandem de reliquis adhuc edendis ſpem concipimus, quibus numeroſos emtores in anteceſſum confidenter pollicemur. Vellemus ſaltem, ut hujus generis editiones in puerorum manibus eſſent, atque hi tandem a male deſcriptis illis, & ineptis maximam partem interpretationibus temere oneratis, liberarentur.

NOVA ACTA
ERUDITORUM,
publicata Lipſiæ
Calendis Auguſti Anno MDCCL.

BIBLIA QUADRILINGUIA VETERIS TESTAmenti. Volumen primum, continens Geneſin usque ad Eſtheram, accurante M. CHRISTIANO REINECCIO, cum Præfatione SALOMONIS DEYLINGII.

Lipſiæ, apud Hæredes Frid. Lanckiſii, 1750, fol.
Alph. 10 plag. 20.

Volumen hoc, una cum Bibliis quadrilinguibus Novi Teſtamenti, A. 1747 excuſis, & *altero Volumine* Veteris Teſtamenti, ſub prelo jam ſudante, futurisque nundinis vernalibus anni 1751 in lucem prodituro, apud hæredes *Lanckiſianos* venale, utiliſſimum ſane, omnibusque, qui Theologiæ ſuam navant operam, in eaque progreſſus facere, & ſemel factos augere indies, cupiunt, perneceſſarium, opus, ſummam omnino, præ reliquis hujus generis, laudem meretur ac commendationem. Sive enim rationem ejus internam, quæ præclariſſimi *Reineccii* indefeſſæ diligentiæ & curæ, accuratæque ſummi Theologi, *Deylingii*, debetur inſpectioni, ſive typos nitidos, vitiisque vacuam expreſſionem, ſive denique, quod maximum eſt, inſignem, quem præſtat illud, uſum, conſideres, ex omni parte, quod illi tribuimus, tuebitur encomium. Ordinem illius ac diſpoſitionem, cum aliunde ſatis jam de his conſtet, deſcribere hic ſuperſedemus, illud modo dicturi, ipſo hoc

opere Theologiæ ſtudioſis novum plane, illudque maximum, parari adjumentum, cujus ope, cum diſcendo, tum docendo, ſine opera anxia plus ultra progredi illis liceat.

Cuique Theologorum caſtris adſcripto, Codicem ſacrum lecturo & intellecturo, ſive penſum Codicis hujus divini explicaturo, neceſſarium maxime eſt, ut & textum originalem, & verſiones Latinam & Germanicam quoad utrumque, LXXviralem Græcam quoad Vetus, Syriacam vero, cum nova Græca, quoad Novum Fœdus, probe calleat, ac, ſi fieri poteſt, memoriæ mandet, præterea loca parallela, quæ & ipſa ſecundum fontes pariter ac verſiones conſideranda, in conſilium adhibeat. At, quantum temporis & operæ requiratur ad tot libros, qui ſingula iſta continent & exhibent, evolvendos, quotque inde redundent moleſtiæ ac impedimenta, præcipue cum memoria non ſemper fida, ſed labilis nonnunquam, alteri intenta, alterum perdat, nobis vel non monentibus, experientia quemque docuit, aut docebit. Quibus incommodis obex hoc ipſo ponitur, dum Biblia hæc Polyglotta fontem, verſiones neceſſarias, & magno numero loca parallela, uno obtutu oculis exhibeant, mentique inſcribant.

Theologum ac Theologiæ ſtudioſum præ ceteris Chriſtiani nominis hominibus, qui ad legendum ſacrum Codicem omnes adſtricti ſunt, quotidie penſum quoddam ex ſacris his Pandectis legere, ac familiare ſibi reddere, decet, quæ lectio, vel in vernacula, ex hiſce Bibliis quadrilinguibus aptiſſime ſimul ac utilisſime inſtitui poteſt. Nam ſciendi cupiditas quemvis attente legentem excitabit, ut de eruendo vero fontis ſenſu ſit ſollicitus. Nonne hinc enaſcetur cura ipſos inſpiciendi fontes, verumque lecti penſi ſenſum inveniendi, memoriæque imprimendi? At quantum lucis hoc afferet, quantum moleſtiæ auferet, ſi quando, occaſione ferente, hæc penſa illi fuerint explicanda! imo quantum eruditionis theologicæ & Biblicæ non ſuperficiariæ theſaurum colligere hinc licebit! Contra, ſi penſorum quotidianorum lectio ex Bibliis tantum vernaculis inſtituitur, evolutio fontium cum verſione LXXvirali & Latina, quoniam tædioſa videtur, ac re vera moleſta

eſt,

eſt, plane omittitur, & uſus modo dictus evaneſcit. Præterea dicta claſſica memoriæ non tantum ſecundum vernaculam, ſed & ſecundum fontes ceteraſque verſiones ſunt mandanda. Si ergo quis trecenta, v. g. dicta memoria teneat, hæc nongenta cum fonte & verſione Latina conficiunt, quæ ſi continuo augeantur, bone Deus! quantus inde emerget numerus. Cum autem memoria fallaci facile unum elabatur alterumque, ecce ſtatim paratam Biblia quadrilinguia opem præſtant, illud quoad fontes pariter ac verſiones reddentia.

Præter ceteros vero Miniſtris verbi divini, rure viventibus, inſignem uſum & emolumentum ex Bibliis hiſce quadrilinguibus haurire procul dubio licet. Hi enim, cum multitudine domeſticorum negotiorum obruti, illisque vacantes, converſatione contra erudita deſtituti, ſæpius, vel inviti, a ſtudiis abſtrahantur, ut notitiam, quam ſibi juvenes compararerant non contemnendam, cum ſtudio philologico & literario, incurioſius & negligentius tractent, unde nil niſi ſuperficiariam verbi divini tractationem exoriri, eſt neceſſe. Huic malo hujusmodi fidi verbi divini doctores medebuntur optime, ſi ex his Bibliis quadrilinguibus ſingulis diebus penſum quoddam, quod iis, tanquam Chriſtiano nomini addictis, animarumque paſtoribus, ſedulo faciendum incumbit, ſecundum verſionem *Lutheri* vernaculam legant, quo ipſo cavere ſibi poſſunt optime, ne meditationis ac ſtudiorum cura omnis aboleatur ac pereat. Ob oculos ſimul verſantes fontes ipſi, cum translatione Græca & Latina, illis ubique revocabunt in memoriam, ſe legere Codicem ſacrum ut doctores, qui ſcrutari præ reliquis Scripturas ſunt obſtricti, ita quidem, ut verum non tantum ipſi hauriant inde ſenſum, ſed ut & aliis utiliter illum aperire & applicare poſſint. Hoc ſcrutinio inſtituto, facile illi recordabuntur, a puero addiſcendis linguis Latinæ Græcæ & Ebraicæ ipſos deditos fuiſſe, harumque notitiam non ſine multo ſudore & moleſtia ſibi acquiſiviſſe, eum in finem, ut a plebe diſtinguantur, & ex ipſo fonte haurire queant veritatem. Quod ipſum illos porro excitabit, ut his in ſtudiis pergant, fontesque & verſiones in

Digitized by Google

enucleando vero Sacri Codicis ſenſu diligentius conſiderent, quod genuinum & verum doctorem unice a plebe diſcriminat, & vulgo indocto eminentiorem conſtituit.

Deinde hæc Biblia nexum continuum cum Philologia ac literatura conſervant & ſtatuminant. Qui enim fieri poſſit, ut non ſimul, dum translationem *Lutheri* vernaculam quis legit, in textum Ebraicum, Græcum, & Latinum, convertat oculos, cum verſione Germanica illum comparet, & amorem horum ſtudiorum quotidie inflammet & augeat? Quod extra caſum ſummæ neceſſitatis haud facile alias fiet, quoniam plura volumina multo cum tædio & moleſtia forent evolvenda.

Tandem hæc Biblia polyglotta vel maxime intellectum juvant, ſiquidem horum ope ille tum facilius acquiritur, tum felicius aſſervatur. Nam, qui dicta, pluribus linguis concepta, & memoriæ mandata, tenet, inſigni plane præ plebe gaudet eminentia. Capax eſt nimirum, unam eandemque rem non modo frequentius, verum etiam variis modis, enuntiandi & explicandi: id quod inſigniter illum ſupra idiotas extollit, quippe qui rem quamque uno eodemque ſemper modo conſiderare ſolent. Intellectu ſuo unam eandemque rem ſæpius variisque modis revolvere poſſe & tractare, ne tamen veritati quid decedat, hæc una ſemper regula & norma debet eſſe, idque ipſum peculiari gratia animum reficit, & gaudio implet; quia ipſe ſacer Codex, Deum ſæpius ac variis modis locutum eſſe patribus, aſſerit. Quæ ipſa lectio attenta Bibliorum quadrilinguium, quamvis ſecundum ſolam *Lutheri* inſtituatur translationem, commoda tamen quamplurima, ex rationibus adductis, producit, id quod ex hactenus dictis clariſſime apparet. Et hæ ipſæ rationes cuique ſubſidiorum veræ exegeſeos ſtudioſo & curioſo erunt incitamento, ut hujus theſauri exegetici, Bibliorum puta quadrilinguium, particeps fiat & poſſeſſor, cum ex his adminicula præſtantiſſima exegetica peti, & hac ratione theologica eruditio tum acquiri, tum conſervari perpetuo, eximieque augeri, queat. Nulli proinde dubitamus, quin omnes & ſinguli, quibus verbum divinum rite

&

& ad mentem Dei intelligere, idque aliis apte & ad animarum ſalutem explicare, curæ eſt cordique, tum ſtudioſi diſcentes, tum Paſtores docentes, hunc Bibliorum quadrilinguium Codicem ſibi ſint comparaturi, iſtoque Theſauro Bibliothecas ſuas locupletaturi, qui certe ipſorum ædibus & muſeis pretioſiſſimum ornamentum, & miniſterii ſacri futurus erit præſidium & fulcrum maximum.

Herrn Ludwig Holbergs, Freyherrn der Baronie Holberg, Jüdiſche Geſchichte, ꝛc.

id eſt,

LUDOVICI L. B. DE HOLBERG HISTORIA Judaica inde a mundo condito ad præſentia usque tempora. Ex Danico ſermone in Germanicum converſa a GEORGIO AUGUSTO DETHARDINGIO.

Partes II.

Altonæ & Flensburgi, apud fratres Kortios, 1747, 4. Alph. 8 plag. $1\frac{1}{2}$.

Exhibetur hic nobis hiſtoria populi Judaici, continua ſerie ex optimis quibusque ſcriptoribus, *Joſepho*, *Prideauxio*, *Baſnagio*, ac aliis, qui hanc, vel illam, partem Hiſtoriæ Judaicæ, vel ritus Judæorum atque conſuetudines, illuſtraverunt, concinnata; nec neglexit Autor hiſtoriam univerſalem, ab aliquot eruditis Britannis paratam, quousque illa tum proſtabat; in recentiori autem hiſtoria multo uſui ipſi fuit Clariſſ. *Schudtius*. Opus hoc, patrio conſignatum ſermone, a civibus Danis communi conſenſione ac comprobatione exceptum fuit. Nobiliſſimus igitur *Dethardingius*, cum inſigni utilitate conjunctum fore, judicavit, ſi Hiſtoria hæc in linguam Germanicam tranſlata legi poſſet; maxime cum Ill. *Holbergius* Germanos ſcriptis ſuis faventes fuerit expertus, qui illa, Germanica veſte induta, magno ſtudio lectitant. Habet autem hæc interpretatio,

Digitized by Google

præterquam quod ſingula dilucide & accurate ſunt explanata, hoc ſibi privum, quod multa additamenta, ab *Holbergio*
Pag. 7. prætermiſſa, ſuis quæque locis ſint inſerta. In qua enarranda ubi verſamur, nemo, ſperamus, a nobis deſiderabit, ut ſingulorum eventuum & materiarum recenſum inſtituamus, quod longum nimis foret, ſed ea tantum, exigua tabella delineata, in medium adducemus, quæ nobis attentione aliqua digna ſunt viſa.

Pars I Libros complectitur *VII*, qui in ſua diſpeſcuntur *Capita*, & procedit inde a creatione mundi ad tempora usque Maccabæorum. In recenſenda hiſtoria creationis ubi Autor occupatur, in illam inclinat ſententiam, quæ *Moſes* habet, tantum de *ſolaris ſyſtematos* productione eſſe intelligenda. In aquarum eluvione univerſali, quæ tempore *Noachi* contigit, refutata ſententia *Burneti* & *Whiſtoni*, agnoſcit miraculum, per ineluctabilem vim potentiæ divinæ productum, ad inco-
17 - 20. las terræ puniendos. Sacrificia non nituntur expreſſa lege divina, quorum tamen cultum Deus poſt approbavit, quo Iſraelitæ a gentilium ſacrificiis avocarentur; at concedit, in ſacrificiis unicum ſacrificium Chriſti typice fuiſſe repræſenta-
22 - 24. tum. Iridem ante diluvium Noachicum conſpectam fuiſſe, non determinat, ſaltem a *Noacho* non fuiſſe animadverſam,
29. docens. *Adamo* non tam linguam aliquam infuſam fuiſſe arbitratur, quam ipſum pro arbitrio ſuo rebus generalia nomina indidiſſe, ac illius linguam paucioribus conſtitiſſe vocabulis, quibus in re familiari & communi conſortio carere non potuerint. Actionem *Eſavi*, jus primogenituræ *Jacobo* vendentis, pro ludo puerili habet, unde effectus nullus fuerit ſecutus, nec patrem *Iſaacum* illius rationem habuiſſe, qui *Eſavum* poſthac ſpectaverit tanquam primogenitum. Nec poterant liberi, inſciis parentibus, pactum aliquod de tanta re conſtituere. In excuſationem *Jacobi* dici poſſe cenſet, fratrem prærogativa hac dignum haud fuiſſe, qui illam pro edulio
60. fratri ceſſerit. *Joſephum*, pro frumento totam terram & populum Ægyptiacum regi vendentem, non excuſat, niſi quod id ex nutu principis, quo illius potentia augeretur, egerit.

Libro

Libro II Autor *ab adventu Iſraelitarum in Ægyptum* ad occu- Pag. 81 - 82.
pationem uſque terræ Cananææ pergit. Præmiſſa generali delineatione Ægypti, ſitum terræ Goſen determinat, de Nilo, ejusque inundatione, pyramidibus, labyrintho, lacu Mœri, Ægyptiorum religione, legibus, artibus atque ſcientiis, doctrina ipſorum morali, potentia militari, potiſſimum *Seſoſtris* fortitudine bellica & victoriis, differit. Librum *Jobi* a *Mo-* 93 - 104.
ſe, dum in exilio apud *Jethronem* verſaretur, exaratum fuiſſe, contendit, utpote qui charactéri *Moſis* conveniat; num autem vera ſit hiſtoria, an drama, non definit; quin *pag. 167* ambigit, num *Jobus* unquam exſtiterit. Num Ægyptiorum 111.
magi occultis naturæ viribus, vel præſtigiis, ea imitati ſint, quæ a *Moſe* fuerint patrata, an vera miracula ediderint, *Saurinum* ſecutus, non definit. Quærit, quare Deus populum Iſraeliti- 117.
cum adeo contumacem, & ad omnia vitia proclivem, elegerit, Reſpondet, id non tam factum fuiſſe, ut Deus ſpecimen inſigne longanimitatis ſuæ daret, quam quoniam reſpexerit ad egregias virtutes, pietatem & eximiam fidem patrum *Abrahami*, *Iſaaci*, & *Jacobi*. Quod *Bileamus*, cum aſina loqui 149.
inciperet, non conſternatus fuerit, illius rationem cum *Clerico* inde repetit, quoniam animarum demigrationem in bruta animantia crediderit. Delineationem terræ Cananææ, ſingu- 153.
lorum ipſius populorum, fatorum, religionis & regiminis, ſiſtit *Cap. XII. Liber III* tradit deſcriptionem terræ Cananææ, 163 - 172.
commentaturque de religione, legibus, & ſcientiis, itemque commercio Judæorum. Fertilitatem terræ tantam fuiſſe, oſtendit, ut tantam, quanta memoratur, hominum multitudinem capere & alere potuerit; ut hinc non habeant ἐμπαικται, quod ob præſentem ejusdem faciem *Moſis* fidem ſolicitent, quod ipſum pariter adſtruit *pag. 249, 250.* Sabbathum celebratum 181 - 188.
eſſe inde ab orbe condito, ſtatuit, atque hinc, legem de celebrando ſabbatho obligare non Iſraelitas ſolum, verum etiam omnes homines, colligit. Decimæ non a populis gentilibus 197 - 200.
ſunt repetendæ, ſed potius ab *Abrahamo* ad vicinas gentes devenerunt. Numerus denarius in his & aliis rebus obtinuit,
quia

Pag. 224. quia hic reliquos numeros omnes complectitur. *Pag. 229* nominat *Proſeliten des Vorhofs*, intelligens illos, quibus facultas in urbibus Judaicis habitandi data erat, quique præcepta, ſic dicta, *Noachica* in ſe ſuſcipiebant, ſed hi appellabantur *proſelyti portæ*. Judæorum muſicam & poeſin,quæ imperante *Davide* plurimum fuit culta, amplis dilaudat verbis, eadem-
238, 239. que multas nationes antecelluiſſe Judæos, oſtendit. *Cap. XVI* diſputat adverſus *Spencerum*, oſtendens, quid in ipſius ſententia de inſtitutione rituum externorum jure deſiderari queat, cum, ſiquidem illorum omnium ſpecialem rationem reddere non poſſimus, dicere tamen queamus, rerum ſpiritualium eſſe
267 - 273. effigies. *Liber IV* procedit a morte *Joſuæ* usque ad ſtructuram templi. *Samuelem* & judicis, & ſummi ſacerdotis, munere ad tempus aliquod functum fuiſſe, aſſeverat,quoniam illi, qui ex proſapia *Aharonis* erant,ſe inquinato vitæ genere hac di-
303 - 305. gnitate indignos reddiderant. *Spiritus malus a domino*, qui ſupervenit *Saulo 1 Sam. XVIII, 10*, eſt vehemens affectus hy-
320, 321. pochondriacus. Numeratio populi, a *Davide* inſtituta, ex mera proceſſit ſuperbia; quare etiam Deus illam gravius, quam reliqua ipſius peccata atrociora, quoniam ex imbecilli-
354, 355. tate profecta fuiſſe videntur, punivit. *Liber V* res geſtas deſcribit a ſtructura templi primi usque ad excidium illius. Poſteaquam de navigationibus tempore *Davidis* & *Salomonis*, itemque ſtructura templi, ſermonem Autor fecerat,cui ſuppetias tulerant Tyrii, diſſerit de Phœnice, Phœniciorum ſcientia & peritia, illorum florentiſſimis commerciis, coloniis, præcipuis
373 - 379. urbibus, earum potentia & fatis. Quoniam Syris multum negotii cum regibus *Iſraelis* interceſſit,Syriæ & diverſorum re-
404 - 406. gnorum ipſius notitiam dat.Cladem 185000 hominum in exercitu regis Aſſyrii per ventum ardentem, in regionibus illis haud
440. infrequentem, editam fuiſſe, cum aliis probabile habet. *Liber VI* decurrit a deſtructione regni Judæ ad finem usque librorum canonicorum. Temporibus *Davidis* & *Salomonis* propter commercia veterem ſobrietatem migraſſe, obſervat, & luxuriam invaluiſſe, quæ tamen non tam populum, quam aulam, invaſerit; fructus quippe navigationis theſauro regio inferebantur,

tur. Inter rationes, quare Judæi ad idololatriam toties fuerint prolapſi, cum tamen, templo exſtructo, cultus externus adeo egregie ordinatus eſſet, hanc potiſſimam habet, quoniam exempla legis *Moſaicæ* in populo adeo rara fuerint. Deſcribit *Cap. IV* ingentia ædificia, quæ *Nebucadnezar* Babylone eſt molitus, urbis ſcilicet palatii regii, templi *Beli*, hortorum penſilium, occupationem porro urbis per *Cyrum Cap. V.* Equidem per Prophetam *Jeſaiam* præſignificatum erat, fore, ut populum Iſraeliticum dimitteret, ſed videtur ratio politica acceſſiſſe, ut urbs ſuperba Babylon civibus ſuis ex parte evacuaretur. *Cyri* edictum de inſtaurando templo per Samaritanos per tempus quidem aliquod fuit repreſſum, ſed renovatum per *Darium Hyſtaſpis*, quando 70 anni finem ſuum ſunt conſecuti. Videntur Judæi in dedicatione templi decantaſſe *Pſalmos 146, 147, 148*, quare illis apud LXX nomen Pſalmorum *Haggai* & *Zachariæ* datur, quod eos ex traditione quadam habuiſſe, eſt probabile. *Eſræ* merita in rem ſacram, & *Nehemiæ* in civilem, juſtis prædicat elogiis. Et ab hoc tempore repetit ſynagogas, de quarum uſu, miniſtris, & officiis, quæ in illis peragebantur, multis diſſerit, ipſas a proſeuchis diſtinguens, quas illis antiquiores eſſe exiſtimat. Occaſio templi Samaritani, in monte Garizin conditi, indicatur, ſimulque ratio odii inter Judæos & Samaritanos redditur. Volumen legis *Moſaicæ*, quo utuntur, deſcriptum fuit ad exemplar, ab *Eſra* recognitum, cujus ſcripturam in Samaritanas converterunt literas, quod probabiliter ſecum attulit *Menaſſes*. Pentateuchum etiam in ſuam dialectum convertunt, & verſio inde Græca eſt confecta, qua Samaritani in Ægypto ſunt uſi. Differentia inter Codicem Ebraicum & Samaritanum docetur. Num reliquos libros ſacros omnes præter Pentateuchum rejecerint, dici nequit, quoniam Meſſiam exſpectaverunt, quam ſpem procul dubio ex Prophetarum ſcriptis hauſerunt. *Liber VII* fata Judæorum ſub imperio Ægyptiorum & Syriæ regum usque ad dominatum Maccabæorum percenſet. Quare Judæi ſub templo ſecundo a Deorum fictitiorum cultu alieni fuerint, illius ratio arceſſitur ab ſynago-

Pag. 472, 473. 489 - 502. 502 - 503. 521 - 527. 533. 536 - 572. 576 - 582. 582 - 586.

Kkk gis,

gis, in quibus lex prælegebatur & explicabatur; quoniam tamen nimium legi externæ intenti fuerunt, in ſuperſtitionem
Pag. 590, ſunt prolapſi. Samaritani ab illo tempore, quo *Menaſſes* ad
591. illos tranſiit, ac volumen legis ſecum attulit, a Deorum profa-
595 - 597. norum cultu alieni extiterunt. Relationem *Joſephi* de *Jaddo* cum ſacerdotibus & populo *Alexandro* obviam procedente, veram habet, cui tamen *Joſephus* colorem induxerit, & mira-
604, 605. culum intexuerit. *Ptolemæus Lagi*, cui poſt diviſionem imperii *Alexandri* Ægyptus ceſſerat, Hieroſolymam cepit, & 100000 homines ex Judæa in Ægyptum abduxit, quos alii,
609 - 615. ingentibus illecti privilegiis, ſunt ſecuti. Integer canon Scripturæ Vet. Teſtamenti perfectus demum eſt pontifice *Simeone* juſto, cujus tempore adjecti ſunt libri *Chronicorum*, *Eſræ*,
615, 616. *Nehemiæ*, *Eſtheræ*, & vaticinium *Malachiæ*. Exorto bello inter *Ptolemæum Philopatora*, & *Antiochum*, regem Syriæ, Judæi multum ſunt perpeſſi, quo compoſito, *Philopater* gravem in Judæos perſecutionem eſt meditatus, quæ vero per ſingula-
634 - 647. rem Dei providentiam eſt repreſſa. Abdicatio *Oniæ*, ſacerdotis maximi, ejusque inſecuta cædes, & contentiones inter *Jaſonem* & *Menelaum*, offendiculo plenæ, & tribubus exitiales, copioſe narrantur, quæ occaſionem præbuerunt infandæ afflictioni, quam *Antiochus Epiphanes* adverſus Judæos inſti-
647 - 660. tuit. Hinc coacti ſunt Judæi vi armata adverſariæ potentiæ ſe opponere; quod ipſorum inſtitutum Deus adeo fortunavit, ut, ducibus *Mattathia*, *Juda Maccabæo*, *Simone*, & *Jonathane*, manu exigua ingentem ſæpe hoſtium vim proſtraverint, imo pro-
660 - 695. ſtratas prorſus Judæorum res erexerint. Inſpergit quædam de templo Heliopolitano, & 70virali interpretatione: inde ad res *Jonathanis* fortiter & cum laude geſtas redit, &, quo modo tandem captivus fuerit factus, & perfide interemtus, edocet.
695 - 706. Frater hujus *Simon* rem tandem eo deduxit, ut Judæa a poteſtate regum Syriæ immunis fuerit declarata, ipſique ſummum imperium una cum Pontificatu fuerit collatum, a *Ptolemæo* genero ſumma perfidia trucidatus. Quo facto, *Joannes Hircanus* confeſtim principatum capeſſivit. Subjiciuntur [illegible] quæ-

quædam de autore *Libri I Maccabæorum*, non comparandi cum *Libro II*, qui multis fabulis eſt reſperſus. Pag. 707. 714.

Progredimur ad *Partem I*, quæ a dominatu Maccabæorum ad noſtra usque tempora hiſtoriæ filum deducit. *Liber VIII* agit de ſupremis domus Haſſamonææ principibus. *Joannis Hyrcani*, cujus hiſtoriam Autor proſequitur, prima initia non ſatis proſpera fuerunt; poſt meliori fortuna uſus eſt, templum quippe Samaritanorum cum ipſa urbe evertit, Idumæos ſuperavit, ipſosque religionem Judaicam amplecti coegit. De ſectis 9 - 17. Judæorum, Sadducæis, Karæis, Eſſenis, Therapevtis, & Phariſæis, diſſerit, illorumque primos natales inveſtigat. *Joannes*, 17 - 32. qui ante Phariſæis addictus erat, criminatione *Eleazari*, Phariſæi, permotus, ad Sadducæos tranſiit, qui tum non alia re a Phariſæis diſtincti erant, quam quod traditiones omnes rejicerent. Hic ſucceſſorem habuit filium *Ariſtobulum*, quem ex- 32, 33. cepit *Alexander Jannæus*, frater natu major, quo decedente, gravis admodum contentio inter hujus filios, *Hyrcanum* & *Ariſtobulum*, eſt orta, quæ tandem in bellum civile exarſit, cui immiſtus eſt *Pompejus*, qui tota terra, tandemque urbe, eſt potitus, multam ſtragem Judæorum & ſacerdotum dedit, inque templum, ac ejusdem adytum, penetravit. Hic *Hyrca-* 36 - 67. *num* in pontificatu & principatu, regio titulo ademto, confirmavit, quasdam urbes ipſi ademit, & vectigal Romanis pendendum eidem impoſuit, *Ariſtobulum* autem cum duobus filiis Romam captivum abduxit. Ab illo tempore pro condi- 67, 68. tione rei publicæ Romanæ, & prouti illi, qui ſumma rerum potiebantur, bene, vel male, in Judæos affecti erant, fortuna populi Judaici varia & inconſtans fuit. *Craſſus* templum ſpoliavit, indeque ingentes gazas extulit, *Cæſar Hyrcano* procuratorem Judææ adjunxit *Antipatrum*, patrem *Herodis*, per quos extremum exitium Haſſamonæis eſt illatum. *Herodes*, com- 73, 74. mendatione *Antonii* ab ſenatu Romano Rex populi Judaici declaratus, urbe Hieroſolymitana expugnata, multos Judæorum interfecit, & *Antigonum*, tanquam facinoroſum, virgis ante cæſum, capite truncandum curavit. Hujus res geſtas 83 - 92. proſequitur Ill. Autor *Libro IX*, enarrans ipſius ſævitiam, in

 cives

ciues, ſenatum ſupremum, domum Haſſamonæam, conjugem, proprios liberos, editam, & qua ratione *Cæſarem*, alienum abs ſe cauſa *Antonii*, ſibi conciliaverit, ut poſt ipſum faven-
Pag. 97-142. tem admodum fuerit expertus. De cenſu, qui actus eſt regnante *Herode*, judicat, imperatum fuiſſe ante, quam *Cyrenius* Syriæ præſidem egit. Character *Herodis* deſcribi-
142 - 144. tur, facta ipſius prudenter ponderantur, ſtatus & terræ Judaicæ
144 - 154. ſub ipſo delineatur. Subjiciuntur quædam de *Herodianis*, & confectione Targumim, adjecto judicio, quid de illis cenſen-
154 - 167. dum. Chorographia terræ Judaicæ, qualis ſub *Herodianis* fuit, repræſentatur *Libro X. Archelao* Viennam in Gallis in exilium acto, Judæa provincia populi Romani eſt facta, & tum
168 - 172. impletum eſt vaticinium *Jacobi Gen. XLIX, 10.* Nativitas &
173 - 177. educatio Jeſu memoratur. Fata filiorum & poſterorum
177 - 190. *Herodis Magni* enarrantur. Vita, doctrina, res geſtæ, perpeſſiones, mors, reſurrectio, & inde adſcenſio Jeſu in cœlum,
191 - 214. ordine, ſuccincte, & perſpicue, deſcribuntur. *Herodis Agrippæ*, nepotis *Herodis M.* fata, primum adverſa, inde floren-
215 - 225. tiſſima, ex hiſtoriarum monumentis referuntur. Vexatio Judæorum Alexandrinorum, illorumque cædes, *Flacco* præſide ad hæc omnia connivente, in magnas ipſos conjecit difficultates.
226 - 230. *Caligula*, volens, ut ſtatua ſua in adyto templi locaretur, res Judæorum in ultimum adduxit diſcrimen; verum prudentia
230 - 238. *Petronii*, Syriæ præſidis, & interceſſio *Agrippæ*, ipſos a tanto metu liberavit. In Babylonia & adjacentibus provinciis Judæi miſere ſunt afflicti, illorumque multa millia truculenter
243, 244. ſunt peremta. *Izates*, rex Adiabenorum, mater item *Helena*, & frater *Monobazes*, Judaicam ſunt amplexi religionem.
244 - 246. *Herodi Agrippæ* poſt cædem *Caligulæ* omnes illæ regiones, quibus olim *Herodes Magnus* præerat, a *Claudio* ſunt aſſignatæ, qui Judæis multa bona exhibuit, &, quoniam amicus *Cæ-*
246 - 253. *ſaris* erat, ſub illo quietam egerunt vitam. Quo mortuo, cura templi, & ſacerdotes ſummos pro arbitrio conſtituendi, regi Chalcidis, *Herodi*, fratri *Agrippæ*, a *Claudio* eſt commiſſa.
254 - 257. *Liber XI* complectitur relationem excidii Hieroſolymitani & devaſtationis terræ. Status Judæorum, tum internus, tum exter-

externus, qui deplorandus omnino erat, ad vivum deſcribitur. *Feſtus* & *Albinus* populum affligebant, portenta inſtantis excidii viſebantur, tandem injuſtitia & avaritia *Geſſii Flori* effecit, ut arma corriperent, urbem ſibi vindicarent, & caſtella quædam expugnarent. Inde occupatur Autor in initio belli Pag. 262-
Judaici, illiusque progreſſu, & miſero excidio urbis, deſcribendo, 285.
&, quoniam in his recenſendis *Joſephum* ducem ſequitur, hujus vitam ſubjicit. Excidium urbis ſecutæ ſunt vexationes Ju- 285, 286.
dæorum in aliis regionibus, ſpeciatim templum Heliopolitanum in Ægypto occludebatur. Subjiciuntur quædam de 286 - 353.
Philone, *Juſtino Tiberiadenſi*, *Joſepho Gorionide*, & *Hegeſippo*. *Liber XII* percenſet res Judæorum ab excidio Hieroſolymorum 353 - 355.
ad ultimam usque diſperſionem Judæorum ſub *Hadriano*. Urbe, templo, terra, devaſtatis, paſſim diſpergebantur, qui poſt in *orientales*, Babyloniam, Aſſyriam, Chaldæam, incolentes, & *occidentales*, qui Judæam, Italiam, & alias terras, tenebant, ſunt diviſi. Qui illis præerat, *caput*, vel *princeps captivitatis*, qui his, *patriarcha*, dictitabatur, quos ex propagia *Davidis* natales duxiſſe, temere ſibi perſuadent, nec, ſtante adhuc templo, vel non ita multo poſt, dignitate hac gaviſos eſſe, dici poteſt. Illos, ubi vires reſumſerunt, conſtituerunt, 356 - 366.
poteſtatem in ſynagogas omnes conceſſerunt, eisdemque annuum tributum ſolverunt, quorum dignitas inde ab *Hadriano* ad *Theodoſium* usque floruit, qui illam prorſus abolevit, a quo tempore *primates* ſucceſſerunt. *Patriarchæ* ex poſteritate *Hillelis* ordine enarrantur, ex quibus R. *Jehuda*, ſanctus cognomento, Miſchnam conſarcinavit, de cujus conditione & autoritate inter Judæos diſſeritur. Adduntur quædam de 366 - 380.
Academiis, quæ Tiberiade atque Jamniæ floruerunt, earumque doctoribus. *Principes captivitatis* originem traxiſſe 381 - 384.
videntur, a quo tempore urbs & templum dirutum, & durarunt ad Seculum XI, usque quo Judæi Babylonienſes terris ſuis excedere jubebantur. Motibus adverſus Romanos concitatis, 385 - 390.
Judæorum vires mirum in modum ſunt attritæ, ipſique in omnes terras ejecti, ubi de *Barcochabo*, ejusque anteſignano, R. *Akiba*, quædam in medium afferuntur. *Æliam Capitolinam*, 393 - 412.

quæ non omne ſpatium urbis priſcæ occupabat, Imperator no-
vos mittebat colonos, Judæi vero aditu prohibebantur, niſi
Pag 411-417. militibus certam pecuniam ſolverent. Ratio redditur, quare
Judæi, per omnes gentes diſperſi, & in quorum internecio-
nem multi conjuraverant, ſuperſint, & ab omnibus diſtincti
418-428. maneant. Annectuntur generales conſiderationes circa Ju-
dæorum diſperſionem, eorundemque ſtatus deſcribitur. *Liber*
428-441. *XIII* commentatur de ſcriptis, ſocietatibus literariis, doctrinis,
& opinionibus, Judæorum. Agitur de Talmude, illius auto-
ritate inter Judæos, & quem uſum Chriſtianis præbere poſſit,
de Seburæis, qui cum *Pyrrhoniis* comparantur, doctoribus il-
442-468. lis, quos *geonim* appellabant, de Maſora, illius indole ac æta-
te, de Cabbala, de Rabbinis, promotionibus Academicis, ſacer-
dotibus adhuc ſuperſtitibus, ſynagogæ præfectis, & 10, ſic di-
468-477. ctis, otioſis. Præcipui articuli fidei Judaicæ proferuntur, num
doctrinam de trinitate admiſerint, quæritur, de *Noacho*, *Abra-*
hamo, & *Moſe*, quædam proferuntur, de prophetia, variiſque
477-497. illius modis, de Meſſia, ejusque adventu, Meſſia Chriſtiano-
rum, deteſtando libello *toledos Jeſchu*, ſtatu item poſt mor-
tem. Coronidis ergo quædam de Grammatica & Gramma-
ticis Judæorum, ipſorum Calendario, ſpectaculis, & ludis, adji-
498-526. ciuntur. *Liber XIV.* recenſet fata Judæorum diſperſorum a
poſtremo excidio usque ad perſecutionem Hiſpanicam. Status
illorum ſub Imperatoribus Romanis gentilibus modo tolera-
527-540. bilis, modo afflictus & turbulentus, deſcribitur. Perſecutio, a
Sapore adverſus ipſos mota, gravis quidem, ſed non diuturna,
540-542. fuit. *Zenobia* regina ipſis omni modo fuit addicta. Sub Im-
peratoribus Chriſtianis ſtatus ipſorum non ſemper fuit idem.
Conſtantinus Magnus ipſorum libertatem circumſcripſit, cujus
542-547. filii graviores ipſis extiterunt. *Julianus*, ut ægre faceret
Chriſtianis, non ſolum plenam exercendi religionem, poteſta-
tem illis conceſſit, verum etiam jus, templum inſtaurandi, irrito
547, 548. licet conatu, ipſis dedit. *Moſis Cretenſis* fraude detecta, multi
Judæorum ſocietati Chriſtianorum ſe applicuerunt. Conten-
tiones illorum cum Chriſtianis Alexandriæ in cauſa fuerunt,
550-553. ut urbe fuerint expulſi. *Theodoſius* patriarchalem dignitatem
ſuſtu-

Digitized by Google

ſuſtulit, & tributum, huic ſolvendum, ærario imperatorio in-
ferri juſſit. Hoc tempore ſcholæ in Babylonia floruerunt,
quarum doctores aliquot nominantur. Sub regibus Perſiæ Pag. 553-558.
ipſorum ſtatus fuit dubius, ſub Saracenis, Mohammedicam
profeſſis impietatem, majori quiete ſunt uſi. Imperante *Juſti-* 559 - 563.
niano, qui gravia contra ipſos edidit decreta. *Julianus* pſendo-
propheta in Judæa novos motus dedit, in Syria etiam, magno
ſuo damno, tempore *Phocæ* ſunt tumultuati. Converſio regis 564 - 565.
Coſarorum ad religionem Judaicam fabulis adſcribitur. In 568 - 571.
Gallia, regnante *Ludovico*, qui *Zedekia* Judæo medico uteba-
tur, multis donabantur privilegiis, quæ felicitas perduravit
ſub *Carolo Calvo*, cui tamen *Zedekias* malam retulit gratiam,
ipſum veneno de medio tollens. Seculo X Academiæ in 572 - 576.
Babylonia adhuc in flore fuerunt, ſed, quoniam principes ca-
ptivitatis ſibi nimium arrogabant, Seculo XI ipſorum digni-
tas fuit exſtincta, Academiæ occluſæ, ut Judæorum multi fu-
gam in Hiſpaniam capeſſerent. Seculo X & XI in Hiſpa- 576 - 582.
nia, uti & in Gallia, inſignes exſtiterunt Judæorum docto-
res, per Germaniam ſe paſſim diffuderunt, in expeditionibus
iſtis ſacris diverſis in locis multum perpeſſi. Qualis ipſo- 582 - 587.
rum ſtatus Seculo XII fuerit, ex R. *Benjamine* & *Petachia* re-
fertur, ubi & quædam de conditione Samaritanorum adduntur.
Hac tempeſtate paſſim falſi Meſſiæ ſurrexerunt, quorum vero
exitus tragicus & fratribus flebilis fuit. Hoc Seculo aliquot
Pontifices ipſis faverunt. *Philippus Auguſtus*, Galliarum rex, 588 - 607.
ipſos, bonis exutos, regno ejecit, quos tamen poſt revocavit.
In Britannia, ubi expeditio ſacra ſuſcipienda erat, multi Ju-
dæorum obtruncabantur. Status Judæorum in Oriente Secu-
lo XIII & XIV, item in Occidente ad Seculum XV usque, re-
præſentatur. In Hiſpania multum perpeſſi ſunt. Ponti- 607 - 613.
fices proniores ipſis fuerunt. In Gallia juſſu *Ludovici Sancti*
de novo vexabantur, & regno exturbabantur, quos *Philippus*
Audax revocabat quidem, ſed a *Philippo Pulchro* rurſus excè-
dere jubebantur. *Liber XV* evolvit illorum fata ab ingenti
afflictione Hiſpanica ad præſentem ætatem. Referuntur 613 - 623.
Chriſtianorum diſſertationes cum Judæis, ſed absque fructu,

Digitized by Google

Pag. 624 - paſſim inſtitutæ. In crudeli perſecutione in Hiſpania ſub
628. *Ferdinando*, & in Luſitania ſub *Emmanuele*, multi miſere
628-629. perierunt. Seculo XV, XVI, & XVII, illorum ſtatus fuit dubius. Regnante *Abba II*, Perſia eos excidiſſe, Itinerariographo-
639-643. rum teſtimoniis non convenit. Hiſtoria *Sabbathai Sevi*, qui ſe
643-647. pro Meſſia venditavit, delineatur. Quæ ipſorum fuerit conditio per illam tempeſtatem in Palæſtina, Æthiopia, Ægypto, Tuneti, Tripoli, ac aliis urbibus maritimis Africæ, Conſtantinopoli etiam, in Italia pariter, ſpeciatim Venetiis, docetur.
648-664. Progreſſus ad fata Judæorum ſub hoc tempus in Germania, attingit controverſiam *Pfefferkornianam*, notitiam Concilii *Agedæ* in Hungaria A. 1650 dat, in quo ſtatutum, *Meſſiam ex virgine naſci debere*, & illorum quidam affirmarunt, *Je-*
669-673. *ſum vera miracula patraſſe*. In fœderato Belgio multis privilegiis & opibus gaudent. Excommunicatio *Urielis Acoſta*, vita *Menaſſis ben Iſrael*, item *Bened. Spinoſa*, *Orobii*, aliorum,
674-686. deſcribitur. Ex Anglia aliquoties ſunt profligati; poſt mortem *Cromwelli* de novo irrepſerunt. Quæ ipſorum fortuna ſit in Polonia, Bohemia, Hamburgi, Altona-
686-695. viæ, commemoratur. De ſic dictis Cingaris disquiſitio inſtituitur, quos *Wagenſeilius* originis Judaicæ eſſe exiſtimavit, Ill. autem Autor meliori jure affirmat, eſſe colluviem diverſorum otioſorum & egenorum hominum, quibus ſeſe etiam
695-699. nonnulli mendicantes Judæi admiſcuerint. Fabula de Judæo,
699-702. uti appellatur, æterno, *Ahaſvero*, exploditur. De decem tribu-
702-711. bus Iſraelis, illarumque ſedibus, & fluvio, quem appellant, Sambutione, diſceptatur. Sub finem conſiderationes quædam inſtituuntur, quod Judæi, per omnes licet populos disjecti & preſſi, populus tamen lingua, religione, & moribus, ab aliis omnibus diſtinctus maneant, & quæ cauſæ perſecutionum ex-
711-719. ſtiterint. Opus omnino præclarum, ex quo mira Dei providentia erga populum olim adeo dilectum elucet. Nexus materiarum procul dubio in cauſa fuit, cur res quædam aliquando fuerint repetitæ. Chartæ & characterum nitor ſe lectori facile commendabit. Mendæ etiam curate ſunt ſublatæ; aliquas tamen aberrationes in nominibus propriis offen-

Digitized by Google

offendimus. Quaſdam illarum indicabimus. *Parte I pag. 594* nominantur *Neriim Piſconim* pro *Neriim riſchonim*; *Parte II pag. 152* appellatur *Langius* pro *Baſnagio*, qui etiam infra recte citatur; *pag. 164* habetur *Cedarim* loco *Sedarim*; *talismudiſche figuren pag. 470* leguntur pro *talismaniſche figuren*; *pag. 539* *Abulfaragius* dicitur ſcriptor Ebræus, quem tamen Arabem fuiſſe conſtat. Si Index adjectus fuiſſet, e re Lectoris id futurum eſſet.

F. TH. M. MAMACHII, ORD. PRÆD. SACR. Theol. Mag. & Bibliothecæ Caſatanenſi Præfecti, ad JO. D. MANSIUM de ratione temporum Athanaſianorum, deque aliquot Synodis, IV Seculo celebratis, Epiſtolæ IV.

Romæ, typis Zembellianis, 1748, 8.
Alph. 1.

In principio ſtatim enarrationis noſtræ Lectores ſunt monendi, quænam ſit facies controverſiarum, inter doctum hoc Italorum par utrinque motarum, ut ex brevi noſtra recenſione dilucidius judicare queant, quorſum hæ *Mamachii* Epiſtolæ inprimis ſpectent. Ediderat *Manſius* duobus annis ante, quam hæ ſcriptæ ſunt Epiſtolæ ſuam *de Epochis Conciliorum Sardicenſis & Sirmienſium* Diſſertationem, quam, cum plena errorum Noſtro videretur, is in Diario, quod Romæ typis ac ſumtibus *Palearinorum* luci publice exponitur, bis impugnavit. Adverſarius, male id ferens, Apologiam Diſſertationis ſuæ paravit, qua acerbius Noſtrum habuit, jure, an injuria, non decernimus. Poſtea vero deſcendens ad diſputationem rerum, in duo momenta omnem litem collegit, quorum alterum ad *Anonymum Maffejanum*, alterum vero ad *Sardicenſe Concilium*, pertinet. Quo itaque demonſtraret Noſter, ſe *infelicem conjectorem*, quo ſcilicet eum appellaverat nomine *Manſius*, plane non eſſe, ſed certiſſimis documentis in

ventilata cauſa inniti, continuo clarius ea expedire incipiebat,
quæ de rebus chronologicis in ſua cum Adverſario doctiſſimo
controverſia maxime notatu digna videbantur. *Quatuor* hæc
Epiſtolis complexus eſt, quorum momenta hic exhibebimus.
Pag. 6. Poſt brevem modicamque ſalutationem, in *prima Epiſtola*
rem decernendam proponit, & oſtendit, *Manſium*, Anony-
mi cujusdam veſtigia ſecutum, ſtatuiſſe certo, Synodum Sar-
dicenſem anno 344, vel 345, ineunte fuiſſe habitam. Hinc
omnem rationem temporum *Athanaſianorum* perverterat ille,
& novum ſe rerum ſuarum inventorem ipſe prædicaverat.
In arenam vero deſcendens cum diſſentiente *Manſio* Noſter,
8. primam quæſtionem ad Anonymum illum referendam eſſe
putat, &, ſemota controverſia nominali, de eo, quod *Maffe-*
janum Autorem illum incertum *Manſius* dixerat, ad rem
ipſam ſe convertit, ſolide confirmans, ætatem Autorem illum
eam non ferre, quam ipſi aſſignaverat *Manſius*. Quia
enim ille nec a ſcriptoribus quarti, quinti, ſexti, ſeptimique
10. Seculi, nec ab iis, qui poſtea floruerunt, memoratur,
rem ipſam per ſe loqui exiſtimat Autor, eum vel
tempora illa non æquare, vel minus diligentem eſſe ſcri-
ptorem, quem ne nominari quidem antiquiores illi Autores
12. dignum putarint. Multo minus veri eſſe ſimile, antiquis
hunc ſcriptorem, vel propter magnitudinem molis, vel ob
13. exemplorum raritatem, eſſe incognitum potuiſſe. Ad liqui-
dum præterea facile poteſt perduci, *Theodoſium*, ex quo de-
cerptum Anonymi illius fragmentum *Maffejus* exhibuerat,
14. Seculo nono ſaltem vetuſtiorem non eſſe, niſi recentior forte
ſit, quia nihil plane habet *Maffejus* ipſe, quod definitum ſit
15. atque certum de ejus ætate. Evincitur ſimul, de ætate inter-
pretis, qui fragmentum *Maffejanum* tranſtulit in Latinam lin-
guam, nihil certi eſſe prædicandum, niſi illud, quod admo-
dum recentis ſit originis. Quod vero ad Anonymum pro-
pius ſpectat, cenſet Autor, hunc conſarcinatorem potius eſſe,
17. quam hiſtoricum. Sed, ſi ponas etiam, fuiſſe eum rerum ge-
ſtarum autorem, non tamen æqualis *Athanaſio*, neque ſuppar,
21. eſt. Talis enim ſi fuiſſet, non potuiſſet ita ab *Athanaſio*, ce-
teris-

teriſque inſequentium temporum ſcriptoribus, diſcrepare, uti re vera diſcrepat. Hac de cauſa Autor errores ejus retegit, pleraſque obſervationes *Manſii* refellens. De multis hic rerum capitibus agitur, qualia quæ ſint, brevibus dicemus.
Diſſeritur ſcilicet de reditu *Athanaſii* Alexandriam poſt Pag. 23.
Gregorii Cappadocis mortem, qui, quod ex *Athanaſii*,
aliorumque veterum, teſtimonio conſtat, ante annum 347 28.
in patriam redire non potuit; ubi adeo minus recte ſe-
ceſſionem facit Anonymus, reditum hujus viri in annum 41.
346 rejiciens, & in Conſulatum *Hypatii* & *Catulini* rem
omnem geſtam transferens. Agitur porro de *Euſebii* Ni- 45.
comedienſis interitu, deque exiliis *Pauli*, Epiſcopi Con-
ſtantinopolitani; de anno, quo *Macedonius* Epiſcopus
ordinatus eſt; de *Eudoxio*, Germaniciæ, poſt Antiochiæ, 53.
& inde Conſtantinopolis, Epiſcopo; de exilio *Pauli* Con- 55.
ſtantinopolitani in Armeniam; de *Conſtantio* Imperato- 57.
re, num anno 343, vel 344, menſe Majo Mediolani fue- 60.
rit; de Epiſtolis, a *Montano* Palatino redditis *Athanaſio*; de 65.
Georgio, invaſore ſedis Alexandrinæ; de ſeditione Alexandri- 68.
norum in *Georgium*; de terræ motu, quo urbes, Nicomedia
& Nicæa, concuſſæ fuerunt; de præcepto *Juliani* de reſti- 87.
tuendis idolis & Neocoris, quæ ipſis a Chriſtianis erepta eſ-
ſent; de fuga *Athanaſii* ſub *Juliano*, ubi Anonymus mentio- 88.
nem facit loci, *Thereu* appellati, de quo, num exſtiterit, nec
ne, anceps eſt dubitatio. Nec probat Autor, *Olympum* tunc 95.
temporis præfectum Ægypti, uti Anonymus errat, fuiſſe,
ſed defendit, *Ecdicium* fuiſſe Ægypti præfectum, quo tempo-
re *Athanaſius* actus in exilium fuerit a *Juliano*. Poſt hæc 97.
nonnulla monet de reditu *Athanaſii* poſt *Juliani* necem Ale-
xandriam, atque de itinere *Athanaſii* Antiochiam, ut ad *Jo-* 102.
vianum adiret, deque reditu ejusdem in patriam. Sequuntur 117.
multa, quorum ſummam exhiberi Lectori, non patitur
inſtituti noſtri ratio. Sufficit, Autorem, poſtquam de
his omnibus diſputaverat, ineſſe vim nullam, oſten- 133.
dere, conjecturæ, qua uſus *Maffejus* fuerat, ut, Anonymum 143.
circa annum 385 floruiſſe, efficeret. Ad *Epiſtolam* accedimus 146.

ſecundam, ubi in patriam Anonymi, de quo eſt diſputatio, in-
quirit Autor. *Manſius*, Alexandrinum eum fuiſſe, dixerat, eo
potiſſimum uſus argumento, quod menſium nomina Alexan-
drina uſurpet ſemper, id quod Alexandrino ſcriptori ita ſit
Pag. 147. peculiare, ut alteri plane non congruat. Reſpondet vero
Noſter, hoc adeo clarum eſſe non poſſe, quod & Alexandri-
ni, & Conſtantinopolitani, & Latini, cum de rebus, quæ ad
Ægyptios ſpectant, differant, Alexandrina menſium nomina
uſurpare conſueviſſent. Sic v. g. *Ambroſius*, Epiſcopus Medio-
lanenſis, & Autor Paſchalis Chronici, Alexandrini minime
putantur, licet *Pharmuthis* menſis & *Phamenoth* meminerint,
149. ubi de Alexandrinorum rebus agunt. Ratio etiam di-
ſtinguendi annos per Conſules, qua Anonymus uſus eſt, ita
eſt propria Conſtantinopolitano, aut Romano, cuipiam ſcri-
ptori, ut in Alexandrinum Autorem fortaſſe non cadere vi-
150. deatur. Licet quoque in fragmento *Maffejano Athanaſii*
ſolum res aliquæ geſtæ deſcriptæ ſint, fiatque mentio Epiſco-
151. porum Alexandrinorum ad *Theophilum* usque; tamen effici in-
de non poteſt, autorem ejus fragmenti fuiſſe Alexandrinum.
153. Diverticulum inde facit Noſter, ut probet, non inauditum, ſed
commune ac pervulgatum, eſſe, Autorem Chronici paſchalis
non ſcripſiſſe Alexandriæ, nec fuiſſe eum, ſecundum teſtimo-
158. nia *Henſchenii*, *Cangii*, & *Reineſii*, Alexandrinum hominem.
161. Reliqua hujus Epiſtolæ momenta ad refellendas quaſdam
163. injurias, *Cedreno*, *Socrati*, ac *Sozomeno*, a *Manſio*, illatas,
redeunt, ubi quidem non negat Noſter, *Cedrenum* ſuos pati
manes, in iis potiſſimum rebus, quæ ab ipſius memoria re-
motæ erant, ſed etiam fatetur ſimul, nec hos errores a ſe eſſe
165. laudatos. Quod vero Adverſarius *Socratem* atque *Sozomenum*,
ut Græculos quaſi homines, exagitare & ludibrio habere vo-
167. luerit, id puerile ſatis eſſe, ſcribit, tantosque viros tanta injuria
172. fuiſſe indignos, ſtatuit. Ad *tertiam* properamus *Epiſtolam*,
ubi de annis agitur, quibus & celebrata Synodus Sardicenſis
177. fuerit, & *Athanaſius* in patriam redierit. Sed, quoniam ſa-
tis curate ea expediri non poſſunt, quin ſimul de Antioche-
nis duabus, de Romana, & Mediolanenſi, ſimul agatur Sy-
nodis,

nodis, quatuor earum ſe non prætermiſſurum eſſe tractationem, Autor pollicetur. Facile demonſtrari poſſe putat ex ipſis *Athanaſii* teſtimoniis, neque anno 344, neque ineunte Pag. 180.
345, celebratum fuiſſe Sardicenſe Concilium, dum *Juliani* Imperatoris locus, de pugna ad Singaram æſtate anni 345 decertata, *Athanaſii* verba abunde confirmat, & oſtendit, vera illa eſſe omnia, quæ ab *Athanaſio* de victis Perſis ante Synodum Sardicenſem fuerint tradita. Hinc poſt æſtatem ſal- 182.
tem anni 345 Synodus illa fuit habita. Ipſa *Juliani* ver- 183.
ba Noſter affert, & cum teſtimoniis *Libanii* atque *Chronologia Legum* conferens, rem omnem extra dubitationem ponit. 185.
Addit deinde ſtatim, *Idacianis Faſtis*, atque *Chronico Hieronymiano*, minus, quod a nonnullis factum eſt, fidem eſſe adjungendam. 187.
Multa deinde contra Adverſarium diſputans, deni- 199.
que dicta in ſummam colligit, paucisque concludit, *Gregorium* anno 342 Alexandriam fuiſſe delatum. Concentum 213.
porro aliorum ſcriptorum urget, concluditque ex *Athanaſii* 223.
teſtimonio, cum neque fuiſſe ante annum 342 Romam profectum, neque ante annum 345 Mediolanum veniſſe. Colligitur inde, Mediolanenſe Concilium non ante annum 345, adeo- 224.
que nec Sardicenſe ante exitum ejusdem anni, fuiſſe habitum. Confirmato deinde, *Gregorium* non fuiſſe ante annum 357 225.
extremo ab Alexandrinis ſupplicio affectum, Romanamque 234.
Synodum anno 343 celebratam, diligentior tractatio de anno, quo Sardicenſe Concilium inſtitutum fuerit, ſuſcipitur, &, ſepoſitis nonnullis dubitationibus, veterum oſten- 241.
ditur autoritate, illud anno 347 fuiſſe coactum. *Epiſtola* denique 247.
quarta breviter complectitur Autor, quæ ſuperioribus literis copioſe de Epocha Sardicenſis Concilii ſunt diſputata. Sed non licet nobis omnium annorum atque numerorum, hic occurrentium, deſcribere rationem. Quantum ex his Epi- 3 8.
ſtolis & adjecta appendice videmus, non poſſumus non ſatis operoſam tractationem Autoris magni facere, & laude omni dignam judicare. Nec dubium eſt, quin in plerisque veritatis, quantum in his tenebricoſis rebus fieri poteſt, ſtudioſum ſe geſſerit.

DE VARIOLIS ET MORBILLIS TRACTAtus phyſico-mechanicus, Autore PHILIPPO DE VIOLANTE, Neapolitano, Philoſ. & Med. Doct. Sereniſſimi & Potent. Reg. Polon. Archiatr. & Conſiliar.

Dresdæ, apud Georg. Conr. Waltherum, 1750, 4. Alph. 1 plag. 1.

Univerſales quidem ſæpeque obvii morbi ſunt variolæ & morbilli, de quorum origine, natura, & curandi methodo, varia jam celeberrimos inter viros fuere diſputata; laudanda tamen eorum eſt opera, qui eo intendunt vires, ut vel abſcondita morborum phænomena declarent, vel novam medendi, eademque tollendi, rationem proponant. Hunc ſibi præſcriptum finem Cel. Autor omni proſecutus eſt ſtudio, ita tamen, ut nemini ſuam obtrudat ſententiam, quæ num aliorum ſit evaſura dubitationes, videndum eſt. Arabes primo variolarum deſcripſere morbum. Eorum itaque inſiſtens veſtigiis, morbum huncce Cel. *Violante* explicat, & ab iis nomen morbo fuiſſe impoſitum ait, ſimul vero, *Hippocrati, Galeno, Aetio*que minime incognitum fuiſſe, docet. Pauca de antiquitate variolarum præfatus, ad earum naturam declarandam progreditur, earumque ſpecies recenſet. Sunt autem morbus ſporadicus, acutæ febris ſpecies, benignæ & diſcretæ, confluentes & malignæ, quæ omnes ſua habent tempora. Cauſa earum a nativitate corpori ineſt, ſed tam abſcondita huc usque, ut certi quidquam de eadem dici non potuerit. Alii a contagio, a veneno & vermibus alii, hunc morbum produci aſſernere, alii, a menſtrui ſanguinis impuritate proficiſci, judicarunt, alii aliter ſenſerunt, quorum opiniones, cum variis contrariæ ſint, in morbo hoc conſpiciendis, conditionibus, refutatas hic legimus. Novam vero, quæ *de le Boe Sylvii* olim fuit conjectura, adducit de ſucco capſularum atrabiliarium, ut vocant, ſententiam Cel. Autor, ſimulque ex eo, quod primo ex iis ſuccus ad venam cavam deveniat,

veniat, dein toti commiſceatur ſanguini, varia ſymptomata variolarum exponit. Poſſunt hunc morbum diverſi, qui in variis corporis locis admiſcentur, ſucci, animique pathemata, exaſperare, contagium autem in actum quaſi deducere. Sive magna, ſive parva, hujus liquoris ſanguini commiſceatur copia, plures, vel pauciores, erumpunt variolæ. In eruptione itidem eſt diverſitas conſideranda, & ratione temporis & ratione ſymptomatum, atque ætatis, corporis habitus & diſpoſitionis, nec non temporis anni, ex quibus ſigna de eventu deſumuntur. Tunc autem neceſſe eſt, ut erumpentes ſenſim eleventur, quo tempore varios obſervantur continere ſuccos, ipſaque ſymptomata differre, quæ denique magis adhuc aucta difficilem maturationem inprimis in malignis reddunt ſubſequentem. Secunda potiſſimum attendenda febris eſt, quæ ut inflammatoria & putrida ſæpe lethalis eſſe ſolet. Non quidem, quod variolarum materia retrocedens ſanguinem corrumpat, ſed quod illa adhuc in corpore relicta per cutem expelli nequeat, niſi per aliam viam opportunum inveniat locum, ut per ſalivæ itinera, diarrhœam, diureſin. Incongrua enim ad loca metaſtaſis ſi fiat, mors inſtat. Ejusmodi autem eventus ex ſignis ſuis pateſcunt. Tandem ad exſiccationem accedimus, ubi monetur, certo tempore non omne abeſſe ſolere periculum, cum & hic aliqua contingere queat metaſtaſis materiæ morboſæ, nondum ſufficienter expulſæ. In curatione itaque probe ad hæc reſpiciat medicus. Ab initio, primæ ut liberentur viæ, purgationes & ſanguinis inſtituendas eſſe miſſiones, Autor exiſtimat, quæ & tertio adhuc conveniant die, aliaque maligna avertere ſoleant ſymptomata. Sic autem temperato confuſo humorum motu paregorica adhiberi ſuadet, quo nunc ſeparatio melius fiat morboſæ materiei. Ipſa vero dum criſis ſit, nihil moliendum eſt, nec diaphoretica nimis urgenda. Tenuiora ſi fuerint corpora, præſertim quæ lactant, tunc venæſectionis loco hirudines cruribus applicari ſuadet, vel ſcarificatas cucurbitulas. Quo oculi ab omni, quæ a variolis accidere poſſit, defendantur injuria, nodulum ex ſemine ſumach & carthami, aqua roſarum humectatum, impo-

ni

ni jubet, reliqua autem ſic dicta ſpecifica reſpuit. Sin poſtea non rite eleventur variolæ, diaphoretica magis conducunt, his autem ni obſequentur, clyſtere materies ex inteſtinis deturbanda, nimia autem diarrhœa compeſcenda, & nimia narium hæmorrhagia phlebotomia cohibenda eſt. Ejusmodi tamen remedia nec tunc negligenda eſſe putat, ſi poſtmodum mala non ceſſaverint ſymptomata. Aliud curationis genus ſub maturatione accedens ſecundaria poſtulat febris, illud nimirum, quod inflammatoriæ convenit. Primo loco ſanguinis obtinet miſſio, cui laxantia & clyſteres adjungantur, nonnunquam iterandi, paregoricis ſimul adhibitis; ſi vero nihil his proficiat, ſed febris continuet, variolæque palleſcant, vel verum pus non ſuſcipiant, minime expellentibus utendum, ſed parum copioſa venæſectio & purgantia uſurpanda, quo atrabiliaria expellatur materia. Fœtidiſſimis enim, hac ratione exortis, dejectionibus ægrum ſervatum fuiſſe, obſervavit, ita, ut metum retrocedentium variolarum, hiſce remediis excitandum, vanum & idiotis deſpiciendum pronuntiet. Quodcunque autem inopinatum accedens ſymptoma peculiarem meretur attentionem. In exſiccatione naturæ quidem vires multum proficiunt, laxantibus tamen reliquiæ expellendæ ſunt. Veſtigia variolarum nodulo ex ſale communi contuſo, & aqua fabarum ſtillatitia irrorato, corrigi & evitari potuiſſe, experientia Cel. conſtitit Autori. Novi poſt variolas accedentes morbi pro ſuo quisque tollentur genio, ſæpius tamen antea adductorum remediorum vim in iis eſſe magnam, denuo aſſerit. Breviter hiſce præmiſſis, de morbillis agit, quorum eandem cauſam eſſe, eundemque curandi modum, docet, ſimulque eorundem naturam docte exponit.

JACOBI THEODORI KLEIN HISTORIÆ piſcium naturalis promovendæ Miſſus quintus & ultimus, de piſcibus, per branchias apertas ſpirantibus; horum ſeries ſecunda, cum additionibus ad Miſſus II, III, IV, & Epiſtola de cornu piſcis, carinæ navis impacto.

Gedani,

Gedani, literis Schreiberianis, 1749, 4 maj.
Plag. 13, Tabb. æn. 20.

Eo demum Clariſſ. *Kleinium* perveniſſe gaudemus, ut cuncta, quæ naturalem, ante decem jam annos inchoatam, Piſcium hiſtoriam retinuerunt, impedimenta felici cum ſucceſſu a ſe ſuperata videat. Cum enim in *quintum* præſtantiſſimi hujus Operis *Miſſum* non ſolum laboris multum inſumendum, magnique ſumtus faciendi eſſent, ſed ipſi quoque librarii in ſuſcipiendis & diſtribuendis, ab Autore jam editis, quatuor prioribus *Miſſibus* minus officioſos ſe gererent; eo inclinavit olim Cel. Autor, ut opus hoc relinqueret imperfectum. At tantum tamen poſtea apud eum valuerunt amicorum preces, ut, neglectis iis, quæ inde redundabant, incommodis, æri jam inciſas piſcium figuras prelo ſubmitteret, & deſcribendæ eorum hiſtoriæ ultimam manum admoveret. In *quinto* hoc, qui eſt ultimus, *Miſſu* piſcium, per branchias apertas ſpirantium, ſeriem ſecundam proponit. Poſtquam enim in *Miſſu quarto* piſcium, qui ad hanc claſſem pertinent, faſciculos ſex tradiderat, & notas, quæ eorum diverſitatem indicant, ex capite, ventre, vel alia ſingulari corporum affectione, deſumſerat, ſupereſt, ut nunc de iis dicamus, qui in ſex poſteriores faſciculos collecti, & pro dorſalium inprimis pinnarum differentia ordinati, reperiuntur. Continet igitur faſciculus ſeptimus Tripteros piſces, qui pinnis dorſalibus tribus diſtinctis donati conſpiciuntur. Unicus forte eſt, qui huc pertinere videtur, Callarias ſcilicet, qui vulgo Aſellus cognominatur, cujus diverſas ſpecies & reliqua, quæ in eo obſervanda veniunt, momenta accurate, ut ſolet, exponit Celeb. Autor, eum vel barbatum, vel imberbem, reperiri monens. Faſciculus octavus pſeudo-Tripteros exponit, illud nimirum piſcium genus, quod poſt ſecundam pinnam dorſalem, verſus caudam pariter ac ex oppoſito poſt pinnam ani, vel potius poſt anum, aut penicillis filamentoſis, aut, ni fallant figuræ, pinnulis, vel proceſſibus cutaneis, triangularibus & humilibus, præditum eſt. Unicum in hoc etiam faſciculo piſcium genus pertractatur, Pelamys nimirum, inde, uti Autori

videtur, hoc nomine inſignitus, quod, *Plutarcho* jam animadvertente, in greges coëant Pelamydes, velut Haleces. In nonum faſciculum Dipteros, ſeu pinnis dorſalibus duabus inſtructos piſces, congeſſit indefeſſus *Kleinius*. Hi in duas abeunt familias, quarum prima Truttas continet, piſces, qui primam pinnam ariſtis inſtructam in medio dorſo, ſecundam parvam adipoſam, nullisque radiis ſuffultam, in extremo dorſo, erigunt, facile inde ab omnibus reliquis diſtinguendi. Horum alii dentati ſunt, alii contra edentuli. Altera Dipterorum familia ambas dorſales ariſtis, primam plerumque aculeatis, ſecundam plerumque radiis inermibus, præditas habet. Hæc ſeptem diſtincta genera ſub ſe comprehendit, quæ ſingula pro characterum differentia indicanda ſunt: 1) Nulli, quibus Triglarum nomen rectius, quam illis, qui ab *Artedo* hac voce cognominantur, competere, Autor evincit. Eorum alii pyramidales ſunt atque barbati, alii ventricoſi, ſimulque imberbes, omnes tamen in eo conveniunt, quod capite verſus os valde declini, ad latera compreſſo, toto glabro, non aculeato, maxillis limæ inſtar aſperis, præditi reperiuntur; 2) Ceſtreus, qui ſquamis ad nares usque innaſcentibus veſtitur, oreque parvo rotundiuſculo, atque edentulo, eſt; 3) Labrax, qui ſquamas ſerratas, os magnum, plurimis tenuiſſimisque denticulis multiplici ordine munitum, habet; 4) Sphyræna, quæ corpore eſt ſpiſſo, ſed caſtigato, capite producto, roſtrum vero cuneatum, os reſciſſum, mandibulam ſuperiorem obtuſam & breviorem, dentes acutiſſimos, unum in oris hiatu omnium longiſſimum, oculosque reſpectu capitis magnos, conſpiciendos præbet; 5) Gobio, qui piſcis eſt marinus, ore denticulato, capite craſſo, cervice lata, inſtructus; 6) Aſperulus, ſive Aſpredo, qui ſquamis parvis, duris, & elevatis, aſper, ventre æqualiter in caudam graciteſcente, capite macro, ſuperne & ad latera preſſo, præditus invenitur; 7) Trichidion tandem, ultimum, quod ex hac familia exſurgit, genus, eos ſub ſe comprehendit piſces, qui, dorſo dipterygio donati, ex pinnis branchialibus, vel ex ſquamis, piloſi ſunt. Licet enim *Ariſtoteles* piſces, qui oſſa habent pilis ſimilia,

ſimilia, hoc tantum nomine indigitaverit, ejusmodi tamen oſſa captum ſuperare noſtrum, ſtatuit Clariſſ. Autor, ſimulque, plura forte ſupereſſe, monet, Dipterorum genera, quæ tamen, ob ſchematum & hiſtoriarum fallaciam, vix ac ne vix quidem ad certum numerum revocari poſſint. Decimus faſciculus pſeudo-Dipteros continet. Hi ex Autoris definitione ſunt piſces, qui vel ante pinnam dorſalem, caudæ proximam, aculeis nulla membrana contentis acantopteri, vel præter pinnam dorſalem longam pinnulis, ſive proceſſibus, uno, vel duobus, in capite criſtati ſunt. Piſces, huc referendos, duplicis generis eſſe, ipſi, in definitione enumerati, eorum characteres jam docent. Glaucus enim, qui acantopterus eſt, corpore longo, ventre compreſſo, dorſo falcato cœruleo, nitida cute, ſquamis vix apparentibus, a branchiis ad caudam linea curvata protenſa, ventre candidiſſimo, ore mediocri denticulato, conſpicuus eſt, cum Blennus contra caput ſatis altum, ſed contractum, oculos grandes in ſummo capite, in ſuperiore parte vel pinnulas, vel cutaceos proceſſus, habeat, ita, ut criſtatus videatur, pone quos pinna, ab ipſo capite ortum trahens, longa ad caudam usque dorſum percurrit. Ampliſſimus eſt piſcium numerus, qui, cum unica tantum dorſali pinna inſtructi ſint, Monopteri dicti, omnes in undecimo faſciculo recenſiti inveniuntur. Multum tamen inter ſe differunt apodi, ad hanc claſſem relati, aquarum incolæ. In aliis enim longa admodum conſpicitur dorſalis pinna, aliis vero brevior ea a natura conceſſa eſt. Ex priorum familia Perca longam dorſalem pinnam interruptam, id eſt, ſulco notabili diviſam, habet, ita, ut bipennis ab incautis nominari poſſit; Percis vero, a nonnullis cum Perca pro uno eodemque animali habitis, pinnam dorſalem continuam, ſed ſinuoſam, exhibet, cujus anterior medietas, ſpinis pungentibus ſuffulta, poſterior vero radiis mollibus inermis, ita concurſu ſinuum plus minus altum format. Reliqui, qui pinnam unicam longam habent, coæquatam eandem oſtendunt. Et hi quidem ita inter ſe differunt, ut ex iis, qui dentibus acutis inſtructi ſunt, Mænas radios pinnæ ad ſummum viginti & quatuor coæquatos, denticulos inſimul plures

acutos, in utraque maxilla habeat, capite producto, varioque colore ſit præditus; Cicla deinde caput productum, os ſatis fiſſum, acutisque dentibus inſtructum, præ ſe ferat, cujus mandibula ſuperior quaſi ſoluta, adeoque mobilis, ſit, ut ſupra inferiorem exſeri & recurvari, rurſusque ad libitum ſub oſſea cranii parte recondi, poſſit; in Synagride porro dentes acuti plerumque ſerrati, labia carnoſa, pinna dorſalis vel capiti, vel caudæ, æqualiter, vel caudæ proximior, in radios nonnullos flexiles, ſive pungentes, exiens deprehendatur; Hippurus denique pinnam coæquatam longiſſimam, a ſummo retuſo, & in altum educto, capite ad caudam usque protenſam, corpus productum latum plus minus compreſſum, dorſum cultellatum, podicem in medio corpore, os tandem acute denticulatum, habeat. Sequitur hos Sargus, qui præter pinnam longam coæquatam exinde dignoſcitur, quod vel in utraque mandibula latos, vel in inferiore tales & obtuſos, in ſuperiore autem latos, & ſerratos, dentes exhibeat. Sunt demum duo piſcium genera, in quibus unica pinna dorſalis itidem longa & coæquata reperitur, qui tamen, cum edentuli ſint, a reliquis ſeparari debuerunt, Cyprini ſcilicet atque Prochili. Horum priores pinnam dorſalem, e medio dorſi verſus caudam plus minus excurrentem, habent coæquatam, labris præterea carnoſis, ore edentulo, oſſibus in gula dentium loco, capite brevi, donati; poſterius vero labris prominentibus, ore edentulo, præditi, conſpiciuntur. Altera Monopterorum familia unicam pinnam dorſalem brevem naturæ acceptam refert. Hæc vel ad medium dorſi exſurgit, vel propius a cauda abeſt. Ita enim illa, quod ad priorem proveniendi modum attinet, aut e corpore lato & ſpiſſo enaſcitur, ut in Brama, in qua nimirum pinna in medio dorſi & angulosa deprehenditur, primus vero ejus in exortu radius e diametro fere oppoſitus eſt pinnis in exortu ventralibus, & usque ad oppoſitum primum radium pinnæ longioris poſt anum extenditur, aut in corpore caſtigato exſurgit. Tria hic nominanda veniunt piſcium genera, Myſtus nimirum, qui barbatus, Leuciſcus atque Harengus, qui imberbes ſunt. Ex iis Myſtus Barbatus, vel Barbus

bus ab aliis dictus, corpore eſt caſtigato, quatuor myſtacibus gaudet, & in pinna dorſali, quæ ventrali exacte oppoſita eſt, radii ſecundo loco ſpinam validam curvatam atque ſerratam habet; Leuciſci vero illi ab Autore dicuntur piſces, quorum radius primus pinnæ dorſalis radicem pinnarum ventralium e diametro reſpicit, & qui dorſo ventreque æqualiter arcuato & rotundiore corporis compage in longitudinem producta, pinnis plerumque albiſſimis, corpore ſemper argenteo, vel albicante, ore edentulo imberbi, imitamentis dentium in faucibus præditi, inveniuntur. Notiſſimus denique piſcium, Harengus, itidem imberbis eſt, corpus habet lateraliter plus minus preſſum atque productum, os vero ſurſum ſpectans, dorſum latum, ventrem plerumque admodum cultellatum, pinnasque ventrales, dorſali e diametro oppoſitas. Proxima tandem caudæ deprehenditur pinna dorſalis unica brevis in Lucio, qui, veteribus parum cognitus, nobis quidem admodum gratus, ex illa, quam indicavimus, nota, a reliquis omnibus, quæ hactenus enumeravimus, piſcium generibus facile diſtingui poteſt. In duodecimo & ultimo faſciculo Pſeudomonopteri, re vera Pſeudopteri, agmen claudunt. Et hoc quidem nomine illos piſces compellandos eſſe cenſet Celeb. Autor, qui vel dorſalium, vel reliquarum, pinnarum loco radios habent diſcretos, ut pinnæ videantur quaſi laceratæ, ſive quod membranæ, quæ in aliis piſcibus aculeos, vel ariſtas flexiles, intercedere ſolent, maximam partem ſublatæ fuerint atque rejectæ. Cum imperfectæ tantum ejusmodi piſcium deſcriptiones, & rudes admodum eorum icones, exſtent, unicum tantum hujus generis exemplum, vel duas ejus varietates, in medium profert Clariſſ. *Kleinius*, & ſub Pſeudopteri nomine ita, ut ſolet, deſcribit. Dum itaque finem naturali piſcium hiſtoriæ imponit, non negligendas & copioſas, ad *ſecundum, tertium, quartum*que, *Miſſum* pertinentes, additiones, una cum data ad *Petr. Collinſonium* Epiſtola, ſubnectit. Huic conficiendæ occaſionem præbuerat *Abrab. Back*, Medicus Holmienſis, qui, dum de cornu piſcis, carinæ navis impacto, in *Act. Phyſ. Med. Vol. VIII* diſſereret, illud pro Xiphiæ cornu

habendum, & indefeſſum *Kleinium* in eo taxandum eſſe, cenſuit, quod in *Miſſu quarto* veterum de Xiphiarum facinoribus narratiunculas in dubium vocaverit. Noſter itaque, *Collinſonium* judicem appellans, ita cauſam ſuam in hac Epiſtola agit, ut Narwhalis, Priſtis, & Xiphiæ, tanquam piſcium marinorum, ſingularibus armis inſtructorum, hiſtoriam atque naturam declaret, & venditatam a *Backio* ſententiam exinde confundat, quod Xiphiæ ſuperior mandibula, elongata, gladium ſiſtit, non eburæam, ut Narwhalis dentes habeat ſubſtantiam, ſed carioſam, unctuoſam, friabilem, inter durum & molle mediam, contineat materiem, ita, ut Xiphias æque ac Priſtis ſcindere magis atque ſecare, mediante hoc inſtrumento, poſſit, quam perfodere corpora duriora, id quod Narwhali tantum ob duriſſimam dentium ſubſtantiam relictum ſit. Non indiget utiliſſimum hoc Opus ulteriori commendatione. Cum enim induſtrius Autor in eruendis piſcium characteribus naturæ non ſolum præcepta ſequatur, ſed aliorum quoque Autorum ſententias, ad methodi normam accurate examinatas, ſubjunxerit, oblectamentum & commodum ex concinnata hacce hiſtoria naturæ indagatores reportaturos eſſe, certi confidimus. Admiramur Clariſſ. Viri induſtriam, qui in aliis ſemper, iisque graviſſimis, negotiis occupatus, integram non ſolum Piſcium methodum propoſuit, feliciterque executus eſt, ſed Avium quoque naturalem hiſtoriam confecit, quæ, prelo nuper egreſſa, felix idem ingenium, idemque in disquirendis naturæ operibus ſtudium, prodit, quod ex abſoluta nunc Piſcium hiſtoria luculenter perſpeximus.

DISSERTATIO DE LUMINE, AUTORE P. ROGERIO JOSEPHO BOSCOVICH, Societatis Jeſu, Publico Math. Prof. in Collegio Romano.

Romæ, typis Ant. de Rubeis, 1748, 4 maj.
Plag. $12\frac{1}{2}$, Tabb. æn. 2.

Prin-

Principio ſtatim monet Clariſſ. Autor, doctrinam de Lumine, etſi noſtris diebus multum excultam, multis tamen adhuc defectibus laborare. Nam de motibus & directionibus radiorum eſſe varia nondum ſatis perveſtigata, imo ex iis, quæ prima fronte videantur certiſſima, imo vulgo pro firmiſſimis principiis aſſumantur, eſſe, quæ ne quidem pro ſatis valide probatis, nedum pro demonſtratis, haberi poſſint; cauſas denique motuum, & vires, unde oriantur, adhuc longe obſcuriores eſſe. Inſtitutum itaque ejus in præſenti Tractatu eſt, ut ea, quæ adhuc de Lumine detecta ſunt, ſub examen revocet, & tam proprietates ejus, quatenus e phænomenis vel per obſervationes, vel per ratiocinia, colliguntur, perſequatur, quam in cauſas mechanicas, a quibus pendent, nempe ipſam particularum luminis conſtitutionem, ac vires, per quas motus eorum producuntur, inquirat.

Totam tractationem hoc ex fundamento *duas* in *Partes* diſtribuit. *Prima* circa proprietates Luminis verſatur. Primo ſeſe offert propagatio lucis directa, quam in medio uniformi ſemper fieri in linea recta, nemo forte unquam pro certo aſſumere dubitavit. *At nobis*, ait Clariſſ. Autor, *rem diligentius ad ſeveriorem trutinam revocantibus, illud omnino perſuaſum eſt, nullo argumento, nulla experientia, aut demonſtrari, aut ſatis valide probari, poſſe rectilineam luminis propagationem, per medium etiam homogeneum.* Quod ut evincat, primo examinat demonſtrationem, a Celeb. *Wolfio* in *Elem. Opt.* de hoc principio allatam, quæ nititur experientia de radio per exiguum foramen cameræ obſcuræ immiſſo, & ubique ſub forma rectæ lineæ apparente. At, regerit Noſter, conceſſo etiam, radium illum intra cameram eſſe omnino rectam, *unde conſtat, illam rectam jacere in directum rectæ inter foramen & ſolem interjectæ?* Simili modo reſpondet *Graveſandio*, motum luminis per lineas rectas ex eo, quod illud obſtaculo in recta poſito intercipiatur, adſtruere conanti: e tali obſervatione, quæ non niſi in exiguo intervallo haberi poſſit, ad totam luminis viam, ejusque propagationem a corporibus cœleſtibus ad terram usque, concludi non poſſe. Hoc enim

enim haud aliter eſſe, ac ſi quis ex obſervata aquæ in parvo ſpatio ſuperficie horizontali ad totius maris planitiem colligere vellet. Fieri itaque poſſe, ut totus luminis tractus ſit curvilineus, etſi is in parvo ſpatio rectilineus appareat. Quin imo ex ipſa eorum Opticorum, qui radium luminis ex obſervationibus rectilineum ſtatuunt, ſententia eum re vera eſſe partem curvæ, in qua radius ob atmoſphæræ refractionem movetur. Sed multo majorem moveri poſſe difficultatem. Nam, conceſſo, viam radii intra cameram obſcuram eſſe rectilineam, an inde conſtaret, rectilineam eſſe reſpectu ſpatii immobilis? Cum enim Aſtronomia ſupponat Opticam, nondum adhuc conſtare, an terra cum ipſa camera quieſcat, an moveatur, & quomodo. Poſſe enim motum reſpectu ſpatii immobilis apparere rectilineum, qui reapſe ſit curvilineus; quemadmodum e. g. lapis, in navi uniformiter progrediente demiſſus, reſpectu ejus videtur deſcendere in recta, etſi re vera deſcribat parabolam. Hactenus poſitum eſt, radii directionem intra cameram obſcuram, vel per aliud intervallum exiguum, eſſe rectam reſpectu cameræ. At, ne hoc quidem ex ullis obſervationibus deduci poſſe, niſi circulus vitioſus committatur. Quem in finem notiones rectæ varias examinat Cl. Autor. Dum recta definitur, quod ea ſit, cujus extrema obumbrant omnia media, ſtatim ſupponitur viſio rectilinea. Definitio *Archimedæa* per ideam viæ breviſſimæ proprietatem potius aliquam rectæ, quam ejus naturam, exhibet; nec quoque noſtrum eſt, judicare, an linea quædam ſit breviſſima; nec &, ducta ea ope fili, alias lineas, ut regulam, cum ea conferre poſſumus, niſi oculorum ſubſidio, quod ſupponit, eadem via deferri radium a filo, quo a regula. *Euclideam* definitionem manifeſtæ obſcuritatis taxat. Veram rectæ notionem eam ſtatuit, quæ petitur e congruentia, qua recta indefinite producta ſibi ſemper congruit, quomodocunque mutetur ejus poſitio, modo bina ejus puncta maneant. Sed, ſi hoc modo ope regulæ radium, an rectus ſit, examinare velimus, idque oculorum adjumento, præcedentem incertitudinem adhuc locum habere. Non itaque rectam lucis propagatio-

gationem e puris obſervationibus derivari poſſe; ſed nec a priori demonſtrari e vi inertiæ, qua corpus omne motum affectet rectilineum, quippe quæ & in ſe obſcura ſit, & ad præſens negotium applicari non poſſit; nec e conſenſione hominum; nec e Dei voluntate. His expoſitis, oſtendit Autor, quomodo e ſimpliciſſimis experientiis perventum ſit ſucceſſive ad ſtatuendam, & ubique pro vera aſſumendam, rectilineam lucis directionem. Qua occaſione allata perplacet idea Clariſſ. Autoris: *Univerſam hanc artem, quæ in naturam inquirit, ſimillimam eſſe arti illi, quæ epiſtolas, ſecretis notis inſcriptas, quas cyphras vocant, enucleandas ſuſcipit; ubi conjectando primum, & plures poſitiones inter ſe conferendo, ad vocularum quarundam expoſitionem devenitur; tum illas ipſas poſitiones, jam retinendo pro reliquis, jam corrigendo, paulatim per frequentiſſimos errores devenitur tandem ad clavim aliquam generalem, quæ idoneum ſenſum aperiat, quo ubi deventum ſit, clavis illa ipſa habetur pro vera, niſi quid in contrarium occurrat.*

Miſſo nunc motu lucis rectilineo, ad controverſiam de ejusdem celeritate tranſit. Ad *quatuor Capita* reducit, quæ ſucceſſivam luminis propagationem ſuadeant: naturam luminis ipſam; mutationem directionis radiorum in refractione, reflexione, diffractione; phænomena eclipſium ſatellitum Jovis; & annuam fixarum aberrationem. Lumen ipſum primo pronuntiat nec conſiſtere in preſſione, nec in undis, in medio elaſtico ad modum ſoni excitatis; reſtare ergo, ut fiat effluvio corpuſculorum lucidorum, quæ adeo tempore ad motum indigeant. Mutationem directionis radiorum tempus requirere, cum non niſi ab actione virium, quæ in tempore fit, oriri queat, palam eſt. Ad phænomena eclipſium ſatellitum jovialium, intimi præſertim, quod attinet, ample exponit Autor, quæ hac de re inter Aſtronomos agitata ſunt, quæque inæqualitates in motu eorum neceſſario adeſſe debeant. Theoriam aberrationis fixarum quoque ſuccincte explicat. Omnia iſta argumenta ſucceſſivam lucis propagationem, etſi non in rigore demonſtrent, arguunt tamen. E

Nnn cognita

Digitized by Google

cognita velocitate lucis conſectaria quædam deducit, e. g. fieri poſſe, ut phænomena multa in fixis contingant, quæ longo demum poſt tempore, imo poſt plura annorum millia, in conſpectum noſtrum deveniant, &c. Cum, intenſitatem luminis in receſſu a puncto radiante decreſcere in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, oſtendat; monet, errare Phyſicos omnes, qui generatim de qualitatibus omnibus a puncto in ſphæram diffuſis, e. g. de odore, pronuntiant, earum intenſionem decreſcere in ratione reciproca duplicata diſtantiarum. Hoc enim non valere, niſi addatur, eandem progredi motu uniformi, & nullam ejus partem ſiſti. Aliter enim ſi celeritas mutetur, id, quod uno tempore includitur orbe uno, alio tempore non contineri alio orbe parallelo æque craſſo, ſed craſſitiei majoris minorisve, prout motus acceleratur retardaturve. Qua in re inprimis *Keillium* taxat. Quæ porro de varia radiorum, e puncto lucido egredientium, denſitate e præcedentibus conſequuntur, exponit. Calculum affert, quo probare conatur immenſam luminis ſolaris tenuitatem, unum nempe aquæ digitum ſphæricum continere multo plus materiæ, quam contineat lumen, quod ſol emittere poſſit pluribus millenis ſeculorum millibus, quam ſint minutiſſimæ arenulæ, quæ univerſam terræ ſuperficiem pluribus vicibus operirent. Generalia etiam tradit de definienda intenſitate luminis in dato ſpatio, dataque diſtantia.

Præcedentia ſpectarunt ad affectiones lucis directæ. Quod jam ad refractionem, reflexionem, & diffractionem, attinet, de iis haud adeo moratur Autor, contentus enumerare proprietates ipſas, vel jam pridem Opticis notas, vel a *Newtono* in Optica propoſitas. Quare ad *ſecundam Diſſertationis Partem* progredimur, quæ cauſas mechanicas proprietatum lucis pertractat.

Fundamenti, cui omnia ſuperſtruuntur, loco ponitur Cl. Autoris theoria virium, in natura exiſtentium, unde univerſam Mechanicam, & proprietates corporum, tam generales, quam particulares, derivare ſolet. Eam jam adumbravit in *Diſſertatione de Viribus viris*, quæ & exſtat in *Commentar. Bonon.*

Digitized by Google

Bonon. Tom. II Parte III, unde & nos de ea notitiam exhibuimus in *Actis* noſtris *A. 1749*. Ut vero ipſa uno obtutu conſpici, & ad præſens negotium melius applicari poſſit, eam ſuccincte hic exponere conſtituit. Concipit nimirum omnia materiæ puncta prorſus homogenea, & prædita viribus quibusdam, quæ ipſa determinent ad accedendum ad ſe, vel recedendum a ſe invicem, pro diverſa eorum diſtantia, ſeu attractivis & repulſivis. Virium harum legem exprimit curva, cujus abſciſſæ more conſueto diſtantias, ordinatæ vires, exprimunt. Etſi tota ejus natura determinari nequeat, niſi perſpecta univerſa corporum natura; eam tamen ita concipit, ut primo in initio abſciſſarum habeat aſymptotum ordinatis parallelam; huic utrinque adjaceant crura æqualia, quæ ad certam diſtantiam axem ſecent, & ad partem ejus inferiorem pergant, inde iterum regrediantur, idque ſic pluribus vicibus flexu anguineo; ita quidem, ut exiguis in diſtantiis variationes ſint multo majores, donec in diſtantia magna ad formam Hyperbolæ proxime accedat. Inde palmarias quasvis corporum proprietates derivat, ut formam & immutabilitatem primorum materiæ elementorum (quæ ut puncta indiviſibilia & inextenſa concipit); mobilitatem; impenetrabilitatem; extenſionem (qualem tamen non mathematicam, ne in minimis quidem particulis, ſed phyſicam ſaltem, concedit); æqualitatem actionis & reactionis; inde colliſionem corporum; actiones mutuas particularum materiæ, & quidem in minimis diſtantiis, perquam varias, (ob varios curvæ flexus, ut diximus,) in majoribus vero unicam gravitatem, eamque proportionalem maſſis directe, & quadratis diſtantiarum reciproce; porro cohæſionem; ſoliditatem ac fluiditatem; elaſticitatem, mollitiem, denſitatem, & raritatem.

Hiſce omnibus explicatis, fundamenta, quibus innititur hæc theoria, indicat. Ante omnia ponit principii loco: in natura nihil fieri per ſaltum; adeoque & velocitatem nullam momento temporis tranſire in aliam, quin tranſeat per intermedias. Hinc deducit, in omni colliſione corporum velocitatis mutationem jam incipere, antequam ſuperficies ad contactum

tactum perveniant, aliter enim duo corpora æqualia, æqualibus velocitatibus ſibi occurrentia, in momento motum amitterent, elaſticitatem vero & mollitiem ſaltum impedire quidem in corporibus integris, non vero in particulis minimis. In minimis igitur diſtantiis agere debere vires quasdam repulſivas, quæ quidem, diſtantia in infinitum minuta, ita augeantur in infinitum, ut corpora nunquam ad contactum deveniant. Contra in majoribus diſtantiis vim eſſe attractivam, prout in ingentibus diſtantiis patet ex *Newtonianis*, in mediocribus vero ex cohæſione. Inter hanc attractionem & repulſionem dari limitem, eumque eſſe illum ipſum, in quo conſiſtat partium cohærentia. Hujusmodi limites debere eſſe multos, cum corpora mollia compreſſa in variis compreſſionibus retineant æquilibrium partium. Denique in diſtantiis magnis vires eſſe attractivas in ratione reciproca duplicata diſtantiarum, ſatis conſtat. Ex his omnibus conſit forma curvæ, antea poſitæ. Quod autem omnia materiæ puncta hujusmodi viribus gaudeant, ex homogeneitate earum, & analogia naturæ, colligit.

Sed tempus eſt, ut, quemadmodum Autor principia ſua ad explicandam luminis naturam & affectiones adhibeat, oſtendamus. Primo occurrit lucis emiſſio, quam (ut diximus,) per effluvia tenuiſſima e corpore lucido oriri, ſtatuit. Quod quomodo fieri poſſit, e vi repulſiva partium materiæ in minimis diſtantiis repetit. Citat hanc in rem verba *Newtoni* in *Optica Quæſt. ult.* ubi e vi repulſiva, attractivæ ſuccedente, ut reflexionem radiorum, ita & eorum emiſſionem, deducit. Hocce loco continentur prima theoriæ, ab Autore concinnatæ, ſtamina; etſi in eo maxime a Viro ſummo differat, ut in diſtantia evaneſcente non vim attrahentem, ſed repellentem potius infinitam, ſupponat; unde emiſſionem lucis multo felicius, quam in theoria *Newtoniana*, explicari contendit; per motum nempe vibratorium particularum, intra limites attractionis & repulſionis reſtitutarum (qua ratione & fermentationis motum explicat). Emiſſioni luminis ſuccedit ejusdem propagatio per vacuum, vel per medium uniforme. Quam per ſe fieri debere in recta, patet e vi inertiæ, ab illa autem aber-

aberrare deducitur partim ab actione mutua punctorum, eandem particulam lucis conſtituentium, partim ab actione corporum, ſpatium, per quod tranſit lumen, replentium. Reflexionem & refractionem facile derivari e viribus attractivis & repulſivis, in diſtantia a ſuperficie corporis agentibus, jam e *Newtonianis* abunde conſtat. Hic maxime reprehendit eos, qui dictas luminis affectiones ex idea viæ breviſſimæ, ſeu e cauſis finalibus, deducere conati ſunt; ipſam autem ſolutionem quoque fallere adſtruit, partim quod radius non in alia ſtatim recta, prout illi aſſumunt, reflectatur, aut refringatur, ſed antea incurvetur; partim quod motum in eodem medio, quod tamen reſiſtens ſupponunt, faciant uniformem. Jam ipſum motum luminis, a viribus attractivis & repulſivis oriundum, accuratius determinare aggreditur e theoria ſua; unde deducit conſtantem rationem ſinuum incidentiæ & refractionis, reſiſtentiam radiorum in mediis, quæ tranſeunt, nullam eſſe; inprimis vero quomodo fiat, ut radius vel reflectatur, vel refringatur, idque vel ad perpendiculum accedendo, vel ab eo recedendo. Inde & diverſam refractionem radiorum, varie coloratorum, eorum proportionem ac phænomena, tam in corporum majorum, quam in tenuium lamellarum, coloribus conſpicua. Quæ omnia ab Autore fuſe explicantur, ita vero ſunt comparata, ut ſuccincte a nobis tradi ſe non patiantur. Quare finem hiſce imponimus, de Autoris vero placitis judicium noſtrum ſuſpendimus, eaque proprio Lectorum examini relinquimus.

DAVIDIS RUHNKENII EPISTOLA CRITICA prima, in Homeridarum Hymnos & Heſiodum, ad V. C. LUDOV. CASP. VALCKENARIUM.

Lugduni Batav. apud Cornel. de Pekker, 1749, 8.
Plag. 5.

Homeridarum Hymni, quamquam & vetuſtate & elegantia non parum commendantur, tamen, ſi a *Bern. Martino,*

 JCto,

JCto, diſceſſeris, neminem invenerunt, cujus doctrina illuſtrati, ingenioque politi, viderentur. Itaque rem fecit bonis literis utiliſſimam *David Rubnkenius*, V. C. quod iis doctrinæ ſuæ elegantiam, ingeniique lumen, impertitus eſt, ſuasque obſervationes in hos Hymnos, adjunctis quibusdam in *Heſiodum* & nonnulla Epigrammata Græca, a *Jenſio* edita, animadverſionibus, in lucem edidit.

In his autem obſervationibus Vir Doctiſſ. tum Græcarum literarum peritiam, elegantiamque ſcribendi, abunde probavit, tum vero etiam duobus ſummis Critici muneribus cumulate ſatisfecit, ut adulterina & inſitiva a genuinis ſecerneret, & corrupta maleque affecta reſtitueret, adhibitaque medicina critica ſanaret. Sed, quo Lectores noſtri ipſi per ſe judicium facere poſſint, eos, age, adducamus in rem præſentem, &, ſpeciminibus aliquot commemoratis, oſtendamus, quid pretii ſtatuendum ſit huic libello.

Pag. 9. Jam primum Vir Clariſſimus docet, Hymnum in *Apollinem*, qui vulgo, etiam *Thucydide* autore *Lib. III pag.* 230 edit. *Duk.* attribuitur Poetarum principi *Homero*, incerti Autoris, etſi *Homero* non multum poſterioris, eſſe.

Quod autem Scholiaſta *Pindari ad. Nem. II Od. princ.* Hymnum iſtum *Cynætho Chio* tribuit, id rationibus chronologicis adverſari, oſtendit. Hoc quaſi introitu patefacto, ipſum Hymnum *Apoll.* ingreditur Vir doctiſſimus: in quo quæ annotavit, pleraque decerpemus, unde felicitas V. C. in emendandis corruptis, ſpuriisque detegendis, poſſit cognoſci.

10. Hymn. in *Apoll. verſ.* 32 editi libri habent:

Αἰγαί τ', Εἰρεσίαι τε, καὶ ἀγχιάλη Πεπάρηθος,

Sed eſt ſine dubio vitium in Εἰρεσίαι: nulla enim urbs hoc nomine reperitur. Itaque egregie V. C. ſic reſtituit:

Αἰγαί, Πειρεσιαί τε κ. τ. λ. Πειρεσιαὶ autem eſt urbs Magneſiæ. *Verſus* autem 40 ejusdem *Hymni* hodie ſic legitur:

Καὶ Κλάρος αἰγλήεσσα, καὶ Αἰσαγέης ὄρος αἰπύ.

Nullus mons Αἰσαγέης nomine appellatur apud veteres. Itaque

que V. C. legit Ἀργαγένς, qui mons memoratur apud *Nicandr. Theriac. verſ. 217, 218.* Ejusdem *Hymn. verſ. 53* vulgo

Ἄλλος δ᾽ ὅτις σεῖο πόθ᾽ ἅψεται, ὐδέ σε λίσσει.

In quo, monet, ex vicinia verborum, & totius orationis continuatione, legendum eſſe: ὐδέ σ᾽ ἀτίσσει: verbique ἀτίζειν uſum egregiis exemplis e veteribus Autoribus confirmat, idque etiam obiter reddit *Apollon. Rhod. I, 478,* pro vulg. ἀτύζειν. Non ſumus quidem ii, qui, conjecturam eſſe elegantem, & Græcarum literarum doctiſſimo Viro dignam, negemus; ſed nobis tamen ne ſic quidem omnis eo in loco difficultas & obſcuritas ſublata videtur, quæ totam ῥῆσιν a *verſ. 51* ad *61* inſedit. Sed nihil attinet, ea de re hic diſputare. *Verſum 139* ejusdem *Hymni:* Pag. 12.

Ἤνθησ᾽ ὡς ὅτε ῥίον ὄρεος ἄνθεσιν ὕλης,

quoniam uno pede claudus, & ad ſenſum ſuperfluus, tanquam inſitivum cenſet ejiciendum Vir doctiſſimus. Quo in loco etiam ex *Orphei Argon. verſ. 1215,* Μήτηρ Ἀςερόπη καὶ τηλεφανὴς Ὑπερίων, e rationibus mythologicis, & hiſtoricis, docet circumſcribendum eſſe.

Verſus 171-176 ejusdem *Hymni* eduntur: 13.

Ὑμεῖς δ᾽ εὖ μάλα πᾶσαι ὑποκρίνασθε ἀφ᾽ ἡμέων
Τυφλὸς ἀνὴρ, οἰκεῖ δέ Χίῳ ἐνὶ παιπαλοέσσῃ.
Τῦ πᾶσαι μετόπισθεν ἀριςεύυσιν ἀοιδαὶ,
Ἡμεῖς δ᾽ ἡμέτερον κλέος οἴσομεν, ὅσσον ἐπ᾽ αἶαν.
Ἀνθρώπων ςρεφόμεσθα πόλεις εὖ ναιεταώσας.
Οἱ ἐπιδὴ πείσονται, ἐπεὶ καὶ ἐτήτυμον ἐςί.

In quibus primum illud *verſ. 171* ἀφ᾽ ἡμέων, quod omnes libros editos obtinet, autoritate ſcriptorum librorum *Thucydidis*, hunc verſum *Lib. III pag. 231* edit. *Duk.* laudantis, oſtendit egregie, emendandum eſſe εὐφήμως, quanquam & in ipſo *Thucydide* perperam editum eſt ἀφήμως: reliquos autem verſus, tanquam eleganti Poeta indignos, & inſitivos, delendos. Nam primum *verſum 173*, ad *Homerum* pertinentem,

non

Digitized by Google

non præteriturum fuiſſe *Thucydidem*, ſi in ſuo libro inveniſſet; deinde hoc: *ἀριςεύουσιν ἀοιδαὶ*, *Homeri* ætati non convenire; ceteros denique verſus plebejos eſſe & inficetos. In quo quidem nos habet aſſentientes V. C. Certe, uti nunc habent iſti verſus, non videntur ullo modo ferri poſſe.

Pag. 14. Non tamen aſſentiri poſſumus Viro Clariſſ. in eo, quod *verſ. 305*, & *306*, *351 - 358*, ejusdem *Hymni* eandem notam apponit. Nam, quod putat, *verſum 305* emendandum eſſe propter rationem grammaticam: *Καὶ ποτε δεξαμένη χρυσόθρονος ἔτρεφεν Ἥρη*, cum vulgetur: *Καί ποτε δεξαμένη χρυσοθρόνου ἔτρεφεν Ἥρης*, in eo non poſſumus Viro Doctiſſimo concedere. Non enim illud conſilium Poetæ eſt, docere, *Junonem* nutriviſſe; ſed potius hoc dicit: *Et aliquando* (*δράκαινα*) *filium Junonis acceptum* ab ea *nutriit*, nempe *gravem ac perniciofum Typhaona*. Patet id e ſequentibus. *Χρυσοθρόνου Ἥρης* intell. *υἱὸν*. Unde & hoc perſpicitur, *verſum 306* ejiciendum non eſſe: quamvis *verſ. 352* recurrat. Apud *Homerum* & alios vetuſtiſſimos Poetas iidem verſus ſæpenumero repetiti reperiuntur. Neque magis a nobis impetrare poſſumus, ut credamus, *verſus 353*, *354*, & *356*, inſitivos eſſe. Nam optimum ſenſum habent; *verſus* autem *356* præterea propter ſequentia neceſſarius eſt. Hæc eſt noſtra de hoc loco ſententia: quam Vir Doctiſſimus nobis, pro ſua humanitate,
16. ignoſcet, libere dixiſſe. *Verſu 382*, *383*, vulgo ſcribitur:

> *Ἦ καὶ ἐπὶ ῥίον ὦσεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων,*
> *Πέτρῃσι προχύτῃσιν, ἀπέκρυψεν δὲ ῥέεθρα.*

In quibus cum *petræ profuſæ* non videantur ſenſum idoneum efficere, ſuſpicatur Vir Doctiſſ. legendum: *Πρώτῃσι Προχοῇσιν*, in eoque etiam utitur *Callimacho* autore, *Hymn. Del. verſ. 134*, *135*, qui hunc ipſum locum imitatus videatur in his verbis:

> — — *Ἀλλά οἱ Ἄρης,*
> *Παγγαίου προθέλυμνα καρήατα μέλλεν ἀείρας*
> *Ἐμβαλέειν δίνῃσιν, ἀποκρύψειν δὲ ῥέεθρα*

In

In addendis tamen V. C. aliam conjecturam edit πετραίαις προχύτῃσιν, ut προχύτῃσιν ſubſtantive capiatur. Sed veniam dabit Vir humaniſſimus, ſi ab ejus ſententia diſceſſerimus. Nobis quidem videtur locus emendatione non egere. Nam, quod cenſet V. C. *petras profuſas* hoc loco ſenſum idoneum non habere, uti vulgo vertitur, in eo noſtram ſententiam adſcribat ſuæ. Sed πέτραι πρόχυται non ſunt vertendæ *profuſa ſaxa*. Vertendum eſſe arbitramur locum: *Apollo cacumen impulit ad radicem ſaxi, quod aqua alluitur*, cet. Προχύτῃ eſt fœmininum a πρόχυτος. Sic etiam προχύτη νῆσος reperitur apud Græcos Scriptores. Exempla habet *Stephanus* in *Theſauro*. In quo quidem, non dubitamus, nos habituros ipſius Viri Doctiſſimi aſſenſum, cum ipſe in Add. non improbet, ſi quis malit πετραίαις προχύτῃσιν. E quibus efficitur hoc, ut emendatio non ſit neceſſaria.

Verum, quo longius opinio noſtra a Viri Doctiſſ. ratione
hoc in loco abit, eo magis accedimus ejus conjecturæ admo-
dum eleganti in *verſu 403* ejusdem *Hymni*, ubi pro vulgata: Pag. 16.
ὡς ἔπλεον, κραιπνὸς δὲ νότος κατόπισθεν ἔγειρε Νῆα θοὴν —
legendum autumat ἔπειγε Νῆα θοὴν, huncque vocabuli uſum
egregie illuſtrat.

Hymn. in Mercur. verſu 90 & 91 quod circumfertur vulgo: 18.

Ὦ γέρον, ὅςε φυτὰ σκάπτεις ἐπικαμπύλος ὤμοις,

Ἦ πολὺ οἰμήσεις, εὖτ᾽ ἂν τάδε πάντα φέρῃσι,

in eo Vir eruditiſſimus legit ἦ πολὺ ὀτλήσεις, quod verbum
exemplis egregie illuſtratur. Eo in loco etiam obiter *Ono-
macrito Argon. verſ. 33* pro vulg. ὅρμους reſtituit οἴμους. In
eodem *Hymn. verſ. 60* ingenioſe, &, uti nobis videtur, recte, 22.
reponit ἔρρε τάλαν: quo loco vulgati libri habent Ἔρρε πά-
λιν. *Verſu 163* pro τί με ταῦτα τιτύσκεαι ἠΰτε τέκνον legit 23.
πινύσκεαι: *verſum* autem *239*, tanquam improbum & inutilem
civem, ejicit. *Hymn. in Ven. verſu 97, 98, 99:* 25.

Ἤ τις νυμφάων, αἵ τ᾽ ἄλσεα καλὰ νέμονται,

Ἢ νυμφῶν, αἳ καλὸν ὄρος τόδε ναιετάουσι,

Καὶ πηγὰς ποταμῶν, καὶ βήσσεα ποιήεντα.

Primum *verſum 98*, tanquam ὑποβολιμαῖον, & ex *verſ. 259 & 268*

Digitized by Google

hujus Hymni conflatum, poſſeſſione injuſta, licet diuturna, deturbat. Deinde *verſui 99*, cum βήσσαις, non βήσσεα, dicendum fuiſſet, medicinam adhibet certiſſimam: καὶ πείσσεα ποιήεντα, docetque, locum hunc ex *Hom. Iliad. Υ, verſ. 8, 9,* ad verbum hauſtum, quo magis emendatio iſta eſt probanda. Πείσσεα autem demonſtrat eſſe *loca irrigua*, & *pecori paſcendo idonea.*

Sed finem non inveniret oratio, ſi omnia præclara ſpecimina huc transferre vellemus. Id potius agamus, ut &, quomodo *Heſiodo* opem ferre inſtituerit, quod alterum libelli elo-
Pag. 49. gium eſt, breviter demonſtremus. Ac *verſ. 76* quidem Ἐργ. καὶ Ἡμ.: Πάντα δὲ οἱ χροῒ κόσμον ἐφήρμοσε Παλλὰς Ἀθήνη, ſpurium judicat, propterea quod jam *verſu 72* idem tradidit *Heſiodus*, tum vero etiam quia, quod in *verſ. 76* traditur, falſum ſit, *omnem ornatum a Minerva aptatum*, cum etiam Gratiarum, Suadarum, & Horarum, opera interceſſerit.
50. *Verſ. 201* Ἐργ. καὶ Ἡμ. eſt:

Ὧδ' ἴρηξ προσέειπεν ἀηδόνα ποικιλόδειρον.

At luſcinia non eſt ποικιλόδειρος, ſed χλωραύχην, uti vocatur *Simonidi* apud *Etym. M.* voc. χλωρὰ ἀηδών. Quare ſine dubio *Tzetzes* & *Moſchopulus* ποικιλόδειρος interpretantur ποικιλόφωνος quo nihil eſt linguæ Græcæ rationi magis adverſarium. *Ruhnkenius* itaque, Vir Clariſſ. legit ποικιλόγηρυν: quæ conjectura ſua ſe elegantia & facilitate non poteſt non probare. Affinitas ſoni facile potuit corruptioni locum
51. dare. *Verſ. 546-551* Ἐργ. καὶ Ἡμ. interpolatos arbitratur, & præterea in his interpolatoris recte vidit vitium habere μακάρων ἐπὶ ἔργοις, ſcribitque: μερόπων ἐπὶ ἔργοις: etſi interpolator in eo ipſo a conſuetudine *Homeri* & *Heſiodi* aber-
52. raverit, qui ſemper conjungere ſoleant μέροπες ἄνθρωποι. Quo in loco Vir Doctiſſ. veterum Grammaticorum ineptias, erudita & jucunda digreſſione facta, caſtigat, ſtatuentium, ſyllabam λα, quæ quibusdam vocabulis præponitur, vim augendi, intendendi, afferre. Tum multa egregia magno apparatu traduntur, quibus inprimis veteres Gloſſographi emendentur, vel illuſtrentur. Sed, quoniam iſta digreſſio paulo longior eſt, eam malumus ſuo loco ab ipſis noſtris Lectoribus cognoſci,

quam

quam hic poni: cum præſertim ex Viri Doctiſſ. animadverſionibus in Græca Epigrammata aliquid ſpeciminis videatur commemorandum.

Leonidæ eſt *V:*

Ὕδατα σοὶ Κοτίλεια γενέθλιον ἦμαρ ὁρῶντι
Καῖσαρ, ἐπιβλύζοι σωρὸς ακεσορίης

In quo emendando cum Virorum Clariſſ. *Weſſelingii* & *Heringæ* diligentia egregie verſata ſit; hoc unum σωρὸν. quo melius metaphora continuetur, mutandum cenſet in ζωρὸν.

Leonidæ VIII: Pag. 70.

Καὶ λόγον ἱςορίῃ κοσμέμενον ἠκρίβωσας,
Καὶ βίον ἐν φιλίῃ Πάππε βεβαιότατε,

acute vidit, legendum eſſe Πάππε σεβαςότατε. Incerti eſt *XXII:* 72.

χθὼν μὲν ἔχει δέμας ἐσθλὸν· ἔχει κλυτὸν ὐρανὸς ἦτορ,
Ανδρέου. ὅς Δαναοῖσι καὶ Ιλλυριοισι δικάσσας,
Οὐχ ὁσίων κἱεάνων καθαρὰς ἐφυλάξατο χεῖρας.

Danai, ut recte vidit Vir Clariſſ. locum hic habere non poſſunt. Itaque bene reſcribit:

ὅς Δάκοισι καὶ Ἰλλυρίοισι δικάσσας,

hoc eſt, vicarius Daciæ & Illyrici, ſive ipſe Præfectus Prætorio Illyrici.

Diotimi eſt *LXI:* 76.

Νυμφίον Ἐυαγόρην πολυπένθερον ἡ Πολυαίνυ
Σκυλλὶς ἀν' ἰυρείας ἦλθε βοῶσα πέλας,

in quo pro βοῶσα legit γοῶσα, recte, noſtro judicio. Incerti eſt *CV*, in quo vulgo, ſed perperam, legitur: 77.

Τίπ]ε μετοκλάζεις πωτωμένη ὄζον ἀπ' ὄζυ.

Conjicit Vir Doctiſſ. τίπτε μέγα κλάζεις Mirum, non animadvertiſſe vitium Viros doctos, qui hoc Epigramma tentarunt. Hæc ſunto ſpecimina ex Animadverſionibus in Epigrammata. Addimus, Virum Clariſſimum indicaſſe loca, ubi nonnulla 72. Epigrammata plenius, aut emendatius, a viris doctis edita ſunt: in quo quidem eleganter feciſſe judicandus eſt. Nam, ſi quis ad edenda, aut emendanda, vetera Epigrammata accedat, cognitum habeat oportet, ubi jam a Viris doctis eadem aut edita, aut emendata, reperiantur, ne quod aut tanquam in-

 edi-

editum proferat, aut emendationem ſuſcipiat non neceſſariam. Quod multis Viris doctis accidiſſe conſtat, nuper etiam,
Pag. 38. poſt *Jenſium* & *Leichium*, *Weſſelingio* ad *Diodorum*, qui in Epigrammate mutilo laborarunt, quod dudum a *Kuſtero* ad *Suidam* in v Ἄρης integrius & emendatius editum fuerat. Ex his ſpeciminibus intelligi, arbitramur, poſſe, quam egregie Vir Clariſſimus in veterum Poetarum ſcriptis emendandis illuſtrandisque verſatus ſit: quamque præclare de eo ſperare poſſimus cum in omnibus elegantioribus literis, tum in Jurisprudentia, cui ſe tradidit, in qua Græcarum literarum ſcientiam, JCtis hodie fere neglectam, conſtat, ſummis viris egregie profuiſſe.

AMOENITATES MELIORUM LITERARUM, IN continuationem Analectorum, ex omni eruditionis genere ſacro, antiquario, philologico, hiſtorico, κ. τ. λ. depromtæ, quas collatis operis ad publicos uſus evulgat Societas Caritatis & Scientiarum.

Tomus I.

Dresdæ & Lipſiæ, proſtat apud Fridericum Heckel, 1748, 4. Alph. 1 plag. 1.

Novem, easdemque ſelecti argumenti, Commentationes illa
Pag. 1. plauſu digna Collectio nobis exhibet. Prima eſt M. *Frid. Gotthilf. Freytagii* de *Porphyrii* Philoſophi teſtimonio innocentiæ Chriſti, proluſio quondam hujus Celeberrimi Portenſium
9. in Gymnaſio Rectoris. Excerpſit illud ac protulit *Euſebius* ἀπο-
4. δείξεως εὐαγγελικῆς *Lib. III Cap. 6*, ubi & *Auguſtini* verba *de C.*
8. *D. XIX, 23*, eo ſpectantia, perpenduntur. Alterum locum obtinet *Jo. Chriſtoph. Langii*, Paſt. ſec. Budiſſ. Diſſert. critico-moralis de כחל & פוך, ſeu fuco muliebri (*Schmincke*), Iſraeliticarum fœminarum, ad illuſtranda varia S Scripturæ loca. Permittitur hic ornatus ſanctis haud indecorus, ut inauribus & armillis piæ
9. mulieres conſpicuæ fuerunt *Gen. XXIV, 22*, & *Paulus* voluit, ut mulieres in habitu ornato & decenti cum verecundia & ſo-
10. brietate, ſeu modeſtia, ſeſe comerent, *1 Tim. II, 9.* Hinc & ad ſenſum arcanum accommodantur, quæ ornatum præbuere fœminis,

minis, e.g. *Pſ. XLV*, *Ezech. XVI, 11 ſeq.* Fuci autem, ut jam obſer-
vavit ingenioſiſſimus Anglus, *Jean d'Eſpagne*, in *den geſamm-
leten Schriften und Wercken pag. 141*, ſemper in deteriorem
partem adhibetur mentio. Eum igitur conſideraturus Noſter,
nomen, materiam, modum fucandi vultus, ipſos fucatos vultus,
juſtum ardorem contra fucatos vultus, & fuci vocabuli uſum in Pag. 11.
re bona, ſiſtere laboravit. Sequuntur M. *Gottl. Frid. Gudii*, V. D. M. 18.
Lauban. Diſſertationes exegetico-didacticæ tres de Obſignatio-
ne ſacra. Harum prima eſt de obſignatione Chriſti, *Jo. VI, 27.* 20.
Obſignabantur olim & res, & homines: ſervi e.g. fideles in 22.
promiſſæ manumiſſionis teſſeram, (vid. *Mosbemii Orationum
S. P. II n. 1,*) fugitivi pœnæ loco & criterii ergo, ut alii ſibi ab
iſtis caveant, (vid. *Derlingii* Diſſert. de Servis literatis, Halæ A.
1720 habita,) milites tam notandi cauſa, cujus in caſtris milita-
rent, quam transfugas eo citius cognoſcendi. *Chryſoſtomus*
σφραγῖδα τῶ στρατιώτȣ nominat ad *Rom. IV, 11*, *Tom. IV* 36.
Oper. pag. 94. Chriſtus autem ipſa divina eſſentia ſine amittendi 37.
ſigilli periculo fuit obſignatus, & humanæ naturæ reſpectu non
ſua, ſed hominum, gratia ſigillum præ ſe tulit, ut eorum bono
divinæ juſtitiæ ſatisfacere poſſet; quod vero neutrum de fide-
lium obſignatione dici poteſt, quippe qui non, niſi donis
quibusdam ac teſtimonio ſanctiſſimi Spiritus, obſignan-
tur, ut in ipſos maxima commoda redundent, quamdiu tanto
beneficio dignos ſe gerant. Commentatio altera eſt de obſi- 41.
gnatione fidelium paſſiva, ad loca *Ezech. IX, 4, 5, Apoc. VII, 3
ſeq. XIV, 1 ſeq. III, 12. XXII, 4, 2 Cor. I, 21, Eph. I, 13.* Defi- 53.
nitur eadem, quod ſit inſigne illud beneficium, per Chriſtum
fidelibus per verbum & ſacramenta exhibitum, ubi Spiritus di-
vinus, imo ſanctiſſima Trinitas, ipſorum animos inhabitans, eos
tam præſentis, quam futuræ, ſalutis certiores reddit, ut, a mun-
do ſeparati, participes illius maneant, ut cultum laudemque Dei
magis atque magis promoveant. Ultima, de obſignatione fide- 79.
lium activa, perſequitur dicta ſacra *Joſ. III, 33, Jeſ. VIII, 16*, 86.
Rom. VIII, 16, 1 Cor. I, 6, 1 Jo. V, 8. Definit autem hanc per actum 87.
hominis illuminati & credentis, quo ſingulis, quæ Deus in ver-
bo ſuo tradidit, adverſariorum omnium objectionibus eluſis,
firmum aſſenſum præbet, ut ſummi numinis laudem evehat.

Pag. 105. Ipſius Collectionis quarta Commentatio eſt de Mahumedanorum Deo ὁλοσφύρῳ, Autore M. *Juſto Chriſtiano Thorſchmidio*, Paſtore Annaburgico, qui viam ſibi munit monito Theologorum veterum, inventionem nominum vel divino plane deberi afflatui, vel non niſi divinæ opis imploratione ad tale opus eſſe
106. accedendum. Excitatur ideo locus *Euſebii de Præpar. Lib. XI*, ubi, *Moſen*, ait, in nominum impoſitione ſtudioſiſſimum exſtitiſſe quidem, τὴν tamen κρίσιν uni Deo ſervaſſe, atque illius judicio, quemadmodum par erat, ſubmiſiſſe, cujus veſtigiis *Platonem* ita inſtitiſſe putat, ut, τὴν τῶν ὀνομάτων θέσιν, οὐδὲ φαύλων ἀνδρῶν. οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων, eſſe, penitus affirmarit. *Thorſchmidius* autem Servatoris exemplum addit, qui, ſingulari ſtudio ac diuturna deliberatione opus hic eſſe, comprobarit, dum ἀγαθὸς dictus illico nominantem occupavit neminem, niſi Deum τῆς ἀγαθότητος eſſe titulo decorandum. Itaque ipſe pariter inquirit, utrum Deum ὁλόσφυρον appellandi cauſam habuerint Mahumedani, aut Patres cœtus Græci hunc titulum reſpuendi, *Emanuel* autem *Comnenus* Imperator eum vin-
137. dicandi ſaltem, vel ab ἀναθεματισμοῖς, quibus antea ſuccubuerat, liberandi. Quintum habet locum Epiſtola reſponſoria *M. W.* ad Clariſſimum *M. GR.* Virum Hebraicotaton, de argumento & nexu verborum *2 Sam. XXIII, 1-8*, familiariter ſciſcita-
138. tum. Παραφράζει Autor verba: Hæc ſunt verba *Davidis* ultima, (prophetica, licet plura alia deinde effatus fuerit,) *Davidis* (inquam) dictum, filii *Iſai*, & dictum viri conſtituti ab Excelſo (*Nathanis*, Prophetæ a Deo conſtituti, ut ejus nomine mihi annuntiaret, quæ celebro,): Meſſias Dei *Jacobitici*, (eſt, quem nomino,) qui etiam dulcis (hactenus nobis fuit) in cantionibus Iſraelis, (in Pſalmis meis, vel *Nathanis*, aut aliorum, a populo Iſraelitico decantari publice ſolitis,) Spiritus (quippe) Domini locutus eſt per me (in *Pſalmis*, a me & *Nathane* traditis). Effatum ejus (Domini) per linguam meam (factum). Dixit (promiſit adeo ipſe) Deus Iſraelis, ad me locutum eſt Numen Iſraelis, rector ille ſuper (omnem) hominem, juſtus, regens timorem Domini (illos, qui timent Dominum, quamvis ex Iſraelitica ſtirpe non oriundi). Et (regens ita eſt) tanquam lux matutina, (quando) oritur ſol mane, abſentibus nubibus;

(tunc

(tunc etenim) ex ſplendore (vel vi ſplendoris) a pluvia (vel Pag. 139.
poſt pluviam veſpertinam, aut nocturnam,) gramen ex terra (germinale facit lux ſolis; quacum ſimile faciet rector Meſſias apud timentes Dominum). Quamvis haud ita (non tanti) ſit domus mea (in ſe conſiderata) coram Domino: (ut tanto perfruatur illa honore ex Meſſiæ ortu) quia (ipſo, me non, merente,) fœdus æternum poſuit mihi, (vel mecum pepigit, quod omnia ſolum conficit, ac cui tribuendum, quicquid gloriæ in domum meam redundat,) (fœdus) ordinatum omnimode & ſervatum (vel certisſime ſervandum). Quapropter ſalus omnino mea, (in iſto fœdere,) & deſiderium omne (eo magis incenditur), quod non (vel nondum) germinare facit. (Dominus Mesſiam, & per ipſum populum, qui graminis inſtar eſt, ex ſolis blanditiis, poſt pluviam exſectis, fruteſcentis.) Degeneres vero (& conſilium imperiumque rectoris ejus adſpernantes) (ſive ex domo *Davidica* progresſuri, ſive alii Judæi, aut diverſi ab his proſapia,) erunt inſtar ſpinæ inutilis, cet.
Eodem ſpectat alia Epiſtola *M W.* ad prænobilisſimum Do- 145.
minum *Fl.* inprimis *de Cobaldis*, *Jeſ. XXXIV*, 14, nuncupatis. Ubi memoratur, Germanorum linguam aliarum eſſe vo- 146.
cabulis onuſtam in rebus præcipue deſignandis, quarum notionem a peregrinis acceperant, inter quas etiam ſuperſtitioſæ ſint referendæ. Inde *Cobalorum* nomen originem Græcam prodit; 147.
κοβάλεια ſane eſt impoſtura jocoſa, κοβαλέυω decipio, κόβαλος deceptor, loquaculus, κόβαλον lulus cum fallacia. At in 151.
Ebræo fonte eſt לילית. quæ repudiata creditur a Judæis *Adami* conjux ac ſolitudini addicta, noctu vagetur, lunæ umbris colludat, ſanguinem infantum ſitiat, Lucinam aliquam & obſtetricantes numinis alicujus manus ſimulet, cum parturientibus anhelet atque ejulet, iisdem autem noxia contrectatione, incubatione, adhelatione, incantatione, inſomniis confuſisſimis, ſubitis terroribus ac tumultibus, inſidietur, ſecundinas deglutiat, partus rapiat, ſi placerent, inter ſuos adoptet, ſin minus, concerpat, eorumque ſanguinem ſuis ſorbendum tradat; non tam viſui, quam aliis ſenſibus, objecta, ſubinde tamen triſtis ac famelicæ mulieris imaginem nacta, oculis tortis abominabilis, non minoribus, quam qui avem decent rapacem, unguibus armata,

Digitized by Google

Pag. 152. mata, ut ſtrigem deſcribit *Ovid. Faſt. VI, 131 ſeq.* Quodſi autem
propriam nominis Ebræi ſignificationem intueamur noctuam,
160. vel bubonem, deſignat. Sequitur M. *Jo. Gid. Gellii*, Conr. Dresd.
nominum contumelioſorum ſylloge hiſtorico-philologica.
176. Eamque excipit *Eber*, in Germania denuo conſpiciendus, & in
publicum productus a M. *Chr. Fr. Hilſchero*, V. D. M. Dedu-
177. cuntur hic ad ordinem literarum *Acker* ab אכר, unde אִכָּר,
agricola, *bitten* a בָּתָה, unde & Græcorum πείθειν, coll. *Hoſ.*
II, 14, & *2 Cor. V, 20*, *Born* a בור, *Buſſe* a בוש, puduit, coll.
179. *Eſr. IX, 6*, *Luc. XVIII, 13*, *Donner* ab אָרוֹן, conf. *Bohemi*
Gramm. Ebr. pag. 135, & *Schick. Inſtitut. L. Ebr. pag. 116*, *Eſel* ab
180. עָצֵל, piger, *Heil* a חיל, robur, coll. *Pſ. XXVII, 1*, & *Apoc.*
XIX, 1, *Kæble* a קוֹק, vox, *Kopf* a גוּף, corpus, *Korn* a גֹּרֶן,
181. area, *Liebe* a לֵב, cor, coll. *1 Sam. XVIII, 3*, *Leben* itidem a לֵב,
182. *Mehre* ab אמרה, vid. *Opitii Animadv. in Poet. Teut. rhythm.*
pag. 13, *Miſchen* a מָסַךְ miſcuit, *Raqueten* a רָקַל, ſaltavit,
exultavit, *ſchachern* a סֹחֵר, mercator, *Schacht* a שׁחת, fovea,
183 ſeq. foſſa, vid. *Leigh. Crit. S. V. T. pag. 418*, *Calvær. rit. eccl. P. I*
pag. 943, *Schade* a שד, vaſtator, ſpiritus infernus, *Seelig* a
185. כלח, propitius, conf. *Eph. II, 8*, *Zinne*, pinnæ, a צִנָּה, ſcutum a-
cuminatum, vel alia res acuminata. Octava Commentatio ſiſtit de
186. *aſperſione baptiſmali* cogitata M. *Jo. Chriſtoph. Manzelii*, V. D. M.
Hoſterwiz. & Pilniz. neque ſolum probat ex *Marc. VII, 3, 4*, Græcum
188. vocabulum tam immerſionem, quam aſperſionem, notare, ſed etiam
utriusque hiſtoriam latius deducit; ac fidenter affeverat, baptiſmum
189. non meram per aſperſionem, ſed per affuſionem, æquipollentem ab-
lutioni, fieri oportere, quo & *G. G. Zeltneri* Diſſ. pertinet *de Merſione*
in baptiſmo larga aqua perfuſione inſtauranda, licet is ulterius, quam
196. Noſter, progrediatur. Nonum denique locum occupat omnium fuſiſ-
ſima & eruditiſſima Diſquiſitio theologico-philoſophica de Serpente
σαρκοφάγῳ, occaſione verborum *Siracidæ X, 12*, inſtituta a *M. Chr.*
205. *Schmidio*, Stolbergenſi, P. C. L. Eccleſiarum Ileburgenſium in monte
Juliano Paſtore, & ad D. *Nicol.* Symmyſta. Ubi quidem probatur, ſen-
tentiam, quod homo ab obitu a ſerpentibus vermibusque ſepulcrali-
206. bus devoretur, 1) textui Græco, ejusque emphaſi genuinæ, non conve-
nire, neque theſin hanc 2) ullibi in θεοπνεύστοις libris confirmari,
quin potius ibi contrarium legi; Theologos etiam 3) atque Philoſo-
phos ſubtiliores opinionem hanc ſuperſtitioſiorem dudum repudiaſſe,
tandemque 4) quotidianam de mortuorum conditione expe-
rientiam aliud plane nobis demonſtrare.

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCL.

Pars I.

PAGUS NELETICI & NUDZICI, oder ausführliche diplomatiſch-hiſtoriſche Beſchreibung des Saal-Creyſes, ꝛc.

hoc eſt,

PAGUS NELETICI ET NUDZICI, SEU DEſcriptio hiſtorico diplomatica Regionis Salanæ, Primatis olim & Archiepiſcopatus, nunc vero Ducatus, Magdeburgici partis, ex Actis publicis aliisque monumentis fide digniſſimis hauſta, pluribus Diplomatibus ineditis corroborata, æneisque Tabulis ornata, & edita, a JOANNE CHRISTOPHORO A DREYHAUPT, Regi Pruſſorum a Conſiliis ſtatus, belli, & rerum domeſticarum, intimis, Ducatus Magdeburgici Advocato Fiſci, Scabinatus Seniore, Prætore, & Comite Salinarum.

Tomus I.

Halæ Magdeburgicæ, 1749, fol.
Alph. 14, Tabb. æn. 30.

Germaniæne potius, an Ducatui Magdeburgico, Lectoribusque magis, quam Illuſtri Autori, ſuſceptum, curatum, &

editum, tam inſigne hiſtoriarum monumentum gratulari debeamus, dubii profecto hæremus. Erat hoc dudum omnium in optatis, ut, quibus ad reconditos veterum chartarum theſauros aditus pateret, quibus ad disjecta veteris memoriæ monumenta conquirenda ſumtus ſuppeterent, quibus ad ornandam amplificandamque hiſtoriam patriam non ingenium magis, quam hiſtoriarum ſcientia, deeſſent, ii ut ad ſcribendum ſe tandem accingerent, & ad concinnandam olim totius Germaniæ juſtam Hiſtoriam operas in commune conferrent. Sed, quam parum votis his eventus reſponderit, nemo neſcit; quid ſperandum in poſterum ſit, ii judicent, qui ab Illuſtri Autore didicerint, XVIII annos in perlegendis mille plus minus Actorum publicorum voluminibus, congerendis infinito labore mille & ducentis Diplomatibus, deſcribendis ſumma cura propriaque manu chartis autographis, delineandis itidem Sigillis, Opere ipſo elaborando, curando, edendo, non ſine ſumma moleſtia effluxiſſe. Ex quo enim Illuſtris *Dreyhaupt* a Pruſſorum Rege, inter Curatores Ducatus Magdeburgici adſcitus eſt, de comparanda ſibi rerum Magdeburgicarum uberiore notitia ſtatim fuit ſollicitus, &, poſtquam, editis dudum Commentariis parum ſe juvari, animadvertit, ad perluſtranda Acta publica ſe contulit, & in congerendis ex diſſitis regionibus Diplomatibus nullis ſumtibus pepercit. Quorum cum ſat magnam copiam collegiſſet, de iis edendis, & Commentario illuſtrandis, cogitavit, ſed, ab amicis monitus, conſilium mutavit, & deſcriptionem hiſtoricam elaborare, inſertis, ubi opus erat, Diplomatibus, inſtituit. Salanæ hic regionis partes eſſe primas voluit, ea, quæ de reliquis Ducatus Magdeburgici regionibus collecta in adverſariis & ſcriniis habet, per partes poſthæc editurus, &, ſi divinum Numen cœptis annuerit, locupletiſſimum etiam rerum ad Salinas & Metalla pertinentium Lexicon, ut & Deſcriptionem hiſtorico-genealogico-heraldicam antiquarum & recentiorum gentium in Germania, Comitum titulo illuſtrium, doctorum item Halenſium Vitas, evulgaturus. Habes, Lector, ea, quæ in Præfatione monentur.

Digitized by Google

tur. Sequitur Diplomatum Index chronologicus, quæ inſerta Opeti ſunt, ex avtographis & Actis publicis diligenter excerpta, maximam partem inedita, vel, ſi jam edita fuerint, cum cura denuo collata, & haud raro emendatius pleniusve, quam *Lunigius*, *Ludewigius*, *Hondorfius*, alii, ea exire juſſerant, nunc prodeuntia. Conficiunt ea numerum CCCLIII, quorum VI ad Seculum X, unum ad XI, duodecim ad XII, III ad XIII, XLVI ad XIV, CI ad XV, CXXIII ad XVI, XXVIII ad XVII, & III ad XVIII, pertinent. Succedit Tabularum æneatum index, quæ, præter Ducum & Archiepiſcoporum imagines, ædes Halenſium ſacras, urbis Halæ delineationem triplicem, rerum ſacrarum theſaurum, ab *Alberto*, Cardinale Moguntino, Halæ olim congeſtum, & Moguntiam poſthæc devectum, LXXVII etiam Sigilla, ipſius Autoris manu diligentiſſime delineata, & ad veterum chartarum illuſtrationem & dijudicationem mirum quantum facientia, exhibent. Quibus XIV Tabulæ ligneæ accedunt, *Joannis Huſſi*, *Hieronymi Pragenſis*, *Lutheri*, *Melanchthonis*, *Sacci*, *Spangenbergii*, *Pfeffingeri*, *Jonæ*, & *Chemnitii*, vultus, *Joachimi Friderici*, Archiepiſcopi Magdeburgici, *Caroli V*, Imperatoris, *Alberti*, Cardinalis & Archiepiſcopi, *Jo. Friderici*, Electoris Saxoniæ, effictos in pingendis literis ductus referentes. Multum hæ faciunt ad externum Operis ſplendorem, &, ab Ill. Autore nihil prætermiſſum, quo commendari hoc opus Lectoribus, tam Germanis, quam extraneis, poſſet, abunde teſtantur. Pag. 964. 231.

Opus ipſum in *duas Sectiones* diſpeſcitur, quarum *prima* Hiſtoriæ Ducatus Magdeburgici ſummam exhibet, *altera* de regione Salana, urbibus & vicis, in eadem ſitis, fluviis, rebusque ſimilibus, plenius exponit.

Sectionis primæ Caput primum omnia ſcripta ediſſerit, quæ ad illuſtrandam Hiſtoriam Magdeburgicam faciunt, & ad CCXVIII numerum aſſurgunt, non relatis in hunc numerum VIII Codicibus MStis, qui paſſim ab Hiſtoricis laudantur, non tamen ad noſtra usque tempora omnes ſervati ſunt, cum Chronicon Tribunalis Halenſis incuria aſſervantium 1.

 per-

perditum, *Hoſmanni* Chronicon Halenſe nunquam conſcri-
ptum, *Gucinzii* denique adverſaria ad Chronicon Halenſe
Pag. 9. poſt mortem Autoris disjecta ſint. *Alterum Caput* in nomen
Ducatus Magdeburgici, ejusdemque incolas priores, inquirit,
ubi illud a voce Germanorum *Magd*, quæ virginem, & hic for-
te *Freyam*, Deam Germanorum, denotat, repetendum, hos,
poſt Suevos, Hermunduros, Thuringos, fuiſſe Saxones, Vanda-
11. los, Belgasque, Illuſtris Autor ait. *Tertio Capite* Archiepiſcopa-
tus, ab *Ottone I* inſtituti, hiſtoriam nectere incipit, aſſertisque
fidem ex Diplomatibus *Ottonis I*, *Lucii II*, & *Innocentii III*,
cum Sigillis & Monogrammatibus, in medium prolatis, ad-
ſtruit, & ex altero illorum *Lucii II*, quod datum eſt *Romæ per
manum Baronis ſanctæ Romane eccleſie Subdiaconi, III Idus
Jan. Indict. VIII, Incarnat. dominice MCXLIIIIo, Pontificatus
uero domini Lucii II Pape Anno primo*, contra *Antonium Mat-
thæum* obſervat non, in omnibus Diplomatibus Seculi XII, quæ
Bullis munita ſunt, Monogrammata deſiderari, cum utrumque
19. horum in hoc noſtro appareat. *Quartum* deinde *Caput* ipſam
Archiepiſcoporum, inde ab *Adalberto*, usque ad *Auguſtum*, hi-
ſtoriam longa ſerie pandit. Ex quo ea tantum delibabimus,
quæ ad Diplomatum notitiam ſpectare videntur, cum, me-
moratu digna, ſingulariaque, vel attingere, infinitum foret.
Exhibet itaque Ill. Autor in vita *Giſelarii*, in ordine Archie-
21. piſcoporum ſecundi, ineditam *Benedicti* Papæ *VII* Bullam,
qua in gratiam Archiepiſcopi, *Epiſcopalem titulum, qui Mer-
ſeburch fuerat, convellere & annullare, ipſamque, cum Parochia
injuſte aſſignata, eccleſiæ Halberſtadenſi epiſcopali jure regen-
33. dam tenendamque remittere, placuit.* In vita *Wichmanni*, Ar-
chiepiſcopi XVI, alia *Lucii III* Bulla, Veronæ anno Incarna-
tionis Dominicæ 1184 data, & hucdum inedita, ex Chartula-
rio profertur, cui adjungendum eſt *Rudolphi*, Archiepiſcopi
40. XXII, Diploma, itidem ineditum, A. 1259 conſcriptum, una
44. cum alio *Bernhardi*, Archiepiſcopi XXV, anno Domini
1281 dato, in quo ſe non Archiepiſcopum, ſed *Sanctæ Mag-
deburgenſis eccleſie electum*, profitetur. In vita *Ottonis*, Ar-
chie-

Digitized by Google

chiepiſcopi XXXI, Diploma Senatus Halenſis, & quorundam nobilium, qui bello Halam aggreſſi erant, ſermone Germanico prodit, cui undecim Sigilla *Burgenſium de Halle*, *Scabinorum vallis in Hallo*, *Scabinorum de monte in Hallo*, *Inſtitorum*, *Calcificum*, *Piſtorum*, *Carnificum*, *Pabulatorum*, *& Fabrorum de Hallis*, itemque *Henrici de Northuſa*, diligentius, quam ab *Heineccio*, delineata, adjiciuntur. Pag. 63. In vita *Alberti III*, Archiepiſcopi XXXIII, pactio, per arbitros Archiepiſcopum inter & *Claus Bismarck* facta, affertur, ubi inter nobiliſſimos arbitros etiam Judæus quidam, nomine *Smol*, raro ſane exemplo, nominatus exſtat. 83. Ad res, ſub *Gunthero*, Archiepiſcopo XXXVIII, geſtas, illuſtrandas *Joannis* Papæ XXIII 100. & *Wenceslai*, Romanorum, ut inſcriptio Diplomatis habet, 102. Regis, Diplomata inſerta ſunt. Accedunt *Jo. Huſs* & *Hieronymi Pragenſis* vultus, in Tabulis ligneis eleganter inciſi, 104, 108. quæ cum aliis CXLVIII ejusmodi Tabulis in Bibliotheca Illuſtris Autoris aſſervantur. Sequuntur aliquot nobilium literæ, belli indicendi cauſa ad Senatum Halenſem datæ, ex 115. avtographo exſcriptæ, quibus moribus meorum temporum, in indicendis & gerendis bellis facillimorum, lux haud parva affunditur. Accedit reconciliatio *Guntherum* inter & civitates Magdeburgum & Halam, opera Epiſcopi Merſeburgenſis & *Bernhardi*, Principis Anhaltini, aliorumque virorum 118. nobilium, perfecta, & illuſtri Diplomate, quod ex avtographo profertur, teſtata, cui appendent ſex Sigilla, inter quæ Epiſcopi Merſeburgenſis & Principis Anhaltini illa primas tenent. Memoratu etiam non indignum fuerit Diploma 124. *Guntheri*, quo *Thomam Hertzhornium* totius Archiepiſcopatus Medicum ordinarium conſtituit, die 6 Junii A. 1441 datum, & ex avtographo nunc evulgatum. Tranſimus ad Archiepiſcopum ordine XXXIX, *Fridericum III*, & ex eo 126. ſtatim Diplomate, quo homagii ritus, novo Archiepiſcopo Halæ præſtiti, deſcribuntur, mores ejus Seculi domeſticos ediſcimus, quippe quo dapes, a Senatu Halenſi Archiepiſcopo propoſitæ, recenſentur. Proximum huic locum tenent

 Cardi-

Pag. 131. Cardinalis *de Cuſa*, *Apoſtolica ſedis per Alemanniam legati*,
literæ, ex avtographo exſcriptæ, ſigilloque munitæ, *iis, qui in*
die corporis Chriſti ſolennibus proceſſionibus, ob reverenciam
ejusdem glorioſi corporis Chriſti inſtitutis, cum cantu, oracione,
aut lumine, devote interfuerint, centum dies de injunctis peni-
134. *tenciis miſericorditer in domino relegantes.* Accedit aliud
Nicolai Papæ hujus nominis V Diploma, quo lites, Archiepi-
ſcopum *Fridericum* inter, & *Conradum*, Epiſcopum Havelber-
genſem, ſuper hoſtiis ſanguineis Wilsnacenſibus exortæ, au-
137. toritate Papali dirimuntur. Sequitur aliud Archiepiſcopi
Friderici Diploma, ex avtographo petitum, & ob appendens
141. ejus Sigillum notandum. Exhibet deinde Diploma ordine
LXIV Sigillum *Rudolphi*, officialis Archidiaconatus Banni Ha-
lenſis, ex avtographo itidem depromtum & delineatum.
145. Excipit hoc Diploma *Friderici*, Electoris Saxoniæ, & *Wil-*
helmi, Ducis Miſenenſis, eorundem Sigillis, ad avtographi fi-
147. dem accurate delineatis, ornatum. Cui memorabiles *Fride-*
rici Archiepiſcopi literæ ſuccedunt, quibus ex facultate &
poteſtate, Archiepiſcopis & Primati Germaniæ, dignitatis tuen-
dæ cauſa, tributa, (*aus Macht und Geſtalt unſer Herrlichkeit,*
die uns von Wirden und Ordenunge unſres Ertzbiſthums und
Primatus wegen aufgeleget, vereigent, und zugelaſſen ſeyn)
Sebaſtiano Hugen, Prætori Magdeburgenſi, inſignia nobilita-
tis concedit, illuſtri omnino exemplo docens, non firmiſſi-
mis fundamentis eorum niti opinionem, qui, niſi ad Impera-
torem, vel Papam, eosque, quibus alter horum conceſſerit, in-
ſignium dandorum jus ad quemquam pertinere, negant. In
155, 156. vita deinde Archiepiſcopi XL, *Joannis* nomine, duo
prodeunt Diplomata, quæ a *Becmanno* in Commentariis de
Hiſtoria Anhaltina omiſſa ſunt, & hucdum inedita latuerunt,
ad *Bernhardi VI* tamen, Principis Bernburgo-Anhaltini, ſuc-
160, 162. ceſſionem ſpectant, quibus *Friderici III* Imperatoris, & *Sixti*
IV Papæ, Diplomata, illuc etiam ſpectantia, annectuntur.
Non poſſumus vero, quin *Erneſti*, Archiepiſcopi XLI,
vocem vere Chriſtianam hic afferamus, qua morti pro-
ximus

ximus Sacerdoti ex Ordine Minoritarum, ſequentibus ipſum verbis: *Eſto bono animo, inclyte Princeps, nos omnia non tantum noſtra, ſed & totius Minoritarum ordinis, bona opera tua Celſitudini communicabimus; non eſt dubium, quin, illis acceptis, coram Dei conſiſtas tribunali juſtus & beatus*, compellanti, reſpondit: Minime vero veſtris hic bonis operibus mihi nunc opus eſt. Chriſti Salvatoris mei opera ſufficiunt, iisque innitor. (*Nein ich trauen, ich begehre euer Werck nirgent zu. Meins Herrn Chriſti Werck müſſens allein thun, darauf verlaſs ich mich.*) Succeſſoris ejus, *Alberti V*, Archiepiſcopi XLII, vita primam Archiepiſcopi cum Capitulo Cathedralis Eccleſiæ Magdeburgenſis pactionem, quæ Capitulatio vulgo audit, habet, eamque hic emendatiorem longe, quam *Lunigius* olim eam dederat, ex chartulario erutam, legimus. Cui ſubjecta apparet *Caroli V* Imperatoris Confirmatio omnium Archiepiſcopatus Magdeburgenſis Privilegiorum, ex chartulario itidem hauſta. In *Joannis Alberti*, Archiepiſcopi XLIII, vita literæ *Juſti Jonæ* de abrogandis monaſteriis ad Senatum Halenſem ex avtographo exhibentur, quibus celebris illa pactio Vitebergenſis inter Archiepiſcopum *Jo. Albertum* & *Jo. Fridericum*, Saxoniæ Electorem, die 20 Aprilis A. 1546 inita, ex avtographo additur, & ſimul Sigilla utriusque Principis, Saxoniæ item Electoris, literarum in ſubſcribendo ductus, tabulæ ligneæ inciſi, proferuntur. Nec indignæ, quarum hic mentionem faciamus, ſunt *Ferdinandi*, Ducis Albani, Imperatoris *Caroli V* in bello Legati, literæ, quibus urbs Halenſis ab omni militum Imperatoriorum vexatione, vel injuria, libera & ſalva præſtatur, ipſæ quidem Germanico ſermone ſcriptæ, Hiſpanica autem ſubſcriptione firmatæ, & nunc ex avtographo prodeuntes. Inſerta etiam ab Ill. Autore eſt deſcriptio precum ſupplicum, quibus *Philippus*, Haſſiæ Landgravius, *Carolum V* Halæ A. 1547 veneratus eſt, ab Anonymo eodem anno edita, & cum pluribus aliis, circa illa tempora evulgatis, libellis, ad noſtra usque tempora in Bibliotheca Halenſi ſervata. In vita tandem *Joachimi Friderici*, in ordine Archiepi-

Pag. 184. 202. 210. 227. 252. 258. 310.

ſcopi

ſcopi XLVI, pactum, inter *Auguſtum*, Electorem Saxoniæ, & Archiepiſcopatum Magdeburgenſem Islebiæ A. 1597 initum, ex Actis publicis longe plenius, quam a *Lunigio* datum erat, profertur. In recenſendis vero præcipuis Diplomatibus ineditis, emendatis, & ad Germaniam univerſam non minus, quam ad Archiepiſcopatum Magdeburgicum, pertinentibus, quibus inſigne hoc Opus ſuperbit, ſatis diu verſati, iis, quæ ad ſubſequentia tempora ſpectant, enarrandis eo libentius ſuperſedemus, quo certius nobis perſuaſum eſt, pauca hæc, quæ attigimus, optimo cuique ſalivam motura eſſe ad opus ipſum evolvendum, &, quæ de *Chriſtiano Wilhelmo* & *Auguſto*, Adminiſtratoribus, *Friderico Wilhelmo, Friderico I, Friderico Wilhelmo*, & *Friderico II*, Ducibus, in medium prolata ſunt, ex ipſo fonte haurienda.

Feſtinat nunc animus ad ea ediſſerenda, quæ in *Sectione II* de ipſa regione Salana afferuntur, haud vulgaria illa, & ad pernoſcendam eam imprimis facientia. Hæc & ipſa in *duas Partes* diſpeſcitur, quarum *prima* res, ad Hiſtoriam naturalem ſpectantes, enarrat, *altera* urbium & vicorum hiſtoriam geographicam complectitur. *Octodecim Capitibus prior Pars* abſolvitur, ex quibus tumultuarie tantum, quæ memoratu di-
Pag. 611. gniora videbuntur, excerpemus. *Primo* ſtatim *Capite* Illuſtris Autor, de nomine & finibus Regionis Salanæ diſputans, eam *Ottonum* tempore pagos duos, *Neleticum* alterum, meridiei objectum, alterum *Nudzicum*, verſus ſeptentriones patentem,
612. comprehendiſſe, monet. *Capite tertio*, præter procellas & infeſtas tempeſtates, terræ motus etiam recenſentur, a quibus Salana regio & adjacentes agri identidem tentati ſunt. *Capite XI* annonæ varietates memorabiliores enarrantur, & ad
640. finem *Capitis* Tabula additur, ex qua patet, quanti triticum, far, hordeum, avena, inde ab initio Seculi XVII ad hæc usque tempora, ſub initium Novembris quovis anno Halæ venierint, edocens, cujus & hic ſpecimen addere non videbitur, opinamur, incongruum:

Annus

Annus,	Triticum,	Far,	Hordeum,	Avena,	
1600.	37.	31.	25.	16.	nummis Saxo-
1617.	48.	42½.	29.	13.	nicis, quorum
1621.	175.	160.	107.	48.	unus XII dena-
1637.	61.	50.	50.	18.	riis conſtat.
1638.	88.	84.	73.	17.	
1647.	16.	12.	9½.	6.	
1648.	17.	8.	6½.	4½.	
1649.	17.	15.	12.	9.	
1653.	18.	12.	11.	8.	
1654.	15.	9.	6.	5.	
1655.	15.	14.	6.	4.	
1656.	12.	9.	7.	6.	
1657.	10.	7.	6.	3.	
1658.	14.	8.	6.	5.	
1662.	53.	53.	25.	15.	
1666.	12.	9.	10.	5.	
1669.	13.	9.	9.	7.	
1670.	10.	8.	6½.	4.	
1682.	11.	9.	7.	6.	
1699.	52.	46.	25.	18½.	
1700.	33½.	25½.	18½.	15½.	
1710.	30.	22.	17½.	12.	
1720.	32.	29.	16½.	12.	
1730.	23.	14.	8½.	6½.	
1740.	48.	42.	24.	13.	
1748.	31.	28.	20.	15.	

Peculiari deinde *Capite*, quod in ordine *XIV* eſt, de adoleſcente in agro Halenſi, a cultro, quem improvide deglutiverat, per abſceſſum feliciter liberato, exponitur. In *Capite XV*, quo de rebus ſubterraneis Ill. Autor agit, plus una vice nummos, a Romanis Imperatoribus *Trajano* & *Antonino* percuſſos, erutos in regione Salana eſſe, memorat. Pag. 651.

Altera Sectionis ſecundæ Pars, poſt expoſitam vicorum ſecundum

dum Parochias & Inſpectiones diviſionem, ſtatim urbis Halæ memoranda *duobus Libris* exponit, quorum *alter quinque Capitibus* de nomine, ſitu, ortu, magnitudine, & ædibus præcipuis, *alter XXXVII Capitibus* de cultu Halenſium divino, agit.
Pag. 677. In *prioris Libri Capite IV Ottonis*, Archiepiſcopi Magdeburgici, Diploma cum ſigillo ex avtographo profertur, Magde-
682. burgi anno Domini 1327 datum. In *alterius Libri Capite II*, *Bonifacium*, Archiepiſcopum Moguntinum, octavo jam Seculo, uti Lipſiæ, ita & Halæ, doctrinam evangelicam docuiſſe,
690. 694. aſſeritur. *Tertio* deinde *quarto*que *Capitibus Urbani VI*,
695, 697. *Bonifacii IX*, & *XXIII*, Paparum, quatuor Diplomata, Conci-
698. lii item Baſileenſis Statutum de interdictis non temere promulgandis, tum ex avtographis, tum ex vetuſto Codice mem-
699. branaceo curiæ Halenſis, proferuntur. *Caput V* de Monaſterio B. *Mariæ*, S. *Joannis*, & S. *Alexandri*, in novo opere Ca-
743. nonicorum Regularium, Ordinis S. *Auguſtini*; *Caput VI* de Monaſterio S. *Mauritii* Canonicorum Regularium Ordinis
769. S. *Auguſtini*; *Caput VII* de Monaſterio S. *Mariæ* de Recluſorio
780. Servorum *Mariæ* Ordinis S. *Auguſtini*; *Caput VIII* de Monaſterio S. *Pauli* ad S. Crucem Prædicatorum Ordinis S. *Domini-*
793. *ci*; *Caput IX* de Monaſterio Ordinis Minorum, ſive S. *Franciſci* de obſervantia; *Caput X* de Monaſterio Monialium ad S. *Geor-*
802. *gium* in Glaucha, Ordinis Ciſtercienſis; *Caput XI* de Mona-
824. ſterio Monialium tertii Ordinis S. *Dominici*, vel de Pœniten-
825. tia; *Caput XII* de Monaſterio Monialium tertii Ordinis S.
826. *Franciſci* de Pœnitentia; *Caput XIII* de Beguinis; *Caput XIV* de Ordinis Teutonici Præfectura ad S. *Cunigundam*, eorundem Præpoſitis, Prioribus, inſtitutione, viſitationibus, diplomatibusque, exponunt. Diplomatum magna pars, olim corrupte edita, nunc emendatiora proferuntur, alia, inedita hucdum, in lucem publicam protrahuntur, omnia vero, tum deperdita, tum adhuc Halæ latentia, accurate enumerantur, ſigilla ap-
772. pendentia delineata exhibentur, de Codice Bibliothecæ Paulinæ Lipſienſis MSto Bibliorum, e Latino *Hieronymi* in Germanicum ſermonem a *Matthia de Berheim* tranſlatorum, diſſeritur, & *Cratini* denique ad *Trithemium* Epiſtola de origine Ordi-

Ordinis Servorum Dei, a Celeberrimo hujus Academiæ lumine, *Kappio*, ex apographo *Maderi* communicata, in medium profertur. *Caput* deinde *XVI* omnia, quæ ad templum cathedrale S. *Mauritii* & *Mariæ Magdalenæ* ad velum aureum, ſive ad ſudorium Domini, ejus inſtitutionem, & fata, pertinent, enarrat, cui Illuſtris Autor indicem rerum ſacrarum, illud in templum ab *Alberto* primum magnis ſumtibus congeſtarum, deinde Moguntiam devectarum, ad exemplar, A. 1519 cum figuris quamplurimis, ab *Alb. Durero* delineatis, evulgatum, denuo excuſum, adjunxit. Accedit præterea ſilva Diplomatum, ad hoc templum ſpectantium, *Alberti*, Cardinalis Moguntini, Sigillum & Contraſigillum, ejusdemque & *Caroli V* ductus literarum in ſubſcribendo. Sequentia a *XVII* ad *XXVII Capita* Sacellorum plurium Sanctorum Halæ hiſtoriam, quatuor item Parochiarum, & Fraternitatum aliquot, pandunt, Diplomatibus etiam hic ad fidem firmandam prolatis. Pergit denique Illuſtris Autor in ſequentibus *Capitibus* religionis fata, vel ſub ipſa ſalutaris Reformationis tempora, vel poſt eam ad noſtra usque tempora, enarrare, omniaque Diplomatibus communire. Quibus factis, *priori* tanti Operis *Tomo* colophonem imponit. Non contentus vero, tam præclare de Republica literaria meruiſſe, aliud ſuperaddidit beneficium, ſane magnum, appendicis loco adjungendo huic *Tomo* rariſſimam *Hondorfii* deſcriptionem Salinarum Halenſium, non ſolum *VI Capitibus* plane novis auctiorem, &, quantum ad Diplomata, longe accuratiorem & pleniorem, ſed doctiſſimis etiam animadverſionibus ita locupletatam, ut nihil amplius deſiderari poſſe videatur. Ceterum nos & nobiſcum ſine dubio omnes, qui literas amant, Illuſtri Autori pro ſuſcepto in gratiam & commodum rei publicæ eruditorum tam inſigni & moleſtiarum pleno opere gratias perſolvimus maximas, ſummum Numen enixiſſimis precibus obteſtantes, ut ſalvum eum & incolumem conſervet, quo citius nos, *altero* etiam *Tomo* edito, exantlatos labores, partamque gloriam & illuſtre nomen, doctiſſimo Autori poſſimus gratulari.

Pag. 847. 853. 877 ſeq. 916, 922. 956.

ANTONII MARIÆ GRATIANI A BURGO S. Sepulchri, Epiſcopi Amerini, de Scriptis invita Minerva, ad Aloyſium Fratrem, cum Annotationibus HIERONYMI LAGOMARSINI Volumen II.

Florentiæ, ex typographia ad Inſigne Apollinis, 1746, 4 maj.
Alph. 1 plag. 21.

Pari ſane, atque in *Volumine priori*, *Gratianus* & elegantia, & ſtudio, de rebus fratris perinde ac ſuis, in *altera Parte* exponit, nihilque prorſus, quod ad illuſtrandam gentis *Gratianæ* amplitudinem ſpectare videatur, tacitus prætermittit. Inſtituit autem, cum *Aloyſii*, fratris, vitam ſuperiore ſatis *Volumine* explicaſſet, hoc, ipſo ſuam potiſſimum copioſius enarrare, ita quidem, ut, ſingularem veritatis ſpeciem præ ſe ferens, prout ſe res habeat, expoſiturum promittat. Hic igitur *Gratianus*,
Pag. 1. trimulus a parentibus relictus, cum neminem crederet rationem ſui habiturum, caritatem, quam in iis amiſerat, in fratre *Aloyſio* reperit, magiſtrumque *Abſtemium* conſecutus, ad *Com-*
4. *mendonum* poſtea Romam venit, qui *Ariſtotelem* ſibi *Platonem*que explicavit, eumque, literis potiſſimum ſcribendis ad-
10. motum, parvo temporis intervallo ſocium plurimorum itinerum habuit comitemque fidelem. Vindobonam enim, Numburgum, Lipſiam, Halam, Vitembergam, pervenit. Hic
20. vero, doctum alias eruditiſſimumque hominem, vehementer miramur, humanitatis limites adeo neglexiſſe. Cum enim ſummæ profecto ſit dementiæ, a præclaris literis, nihil ad religionem pertinentibus, ad eludendum ejusdem emendatorem propugnatoremque feliciſſimum delabi, hoc *Gratiani* inſtituto magnopere indignamur. Sed dolemus partim, tempus in perſtringendo *Luthero* fruſtra *Gratianum* conſumſiſſe, partim videmus maxime, hominem, noſtræ prorſus religionis expertem, ignotum refutare inſtauratorem voluiſſe. Diſſerit de morte *Lutheri*, magnisque eam, ſicut inepti ſolent homunculi, con-

conviciis laceſſit, ejusque imaginem, in æde arcis Vitember-
genſis collocatam, religioſiſſime a nobis coli, arbitratur.
Quodſi nos ejusdem cum *Gratiano* religionis eſſemus vinculo
conſtricti, idem nos agere, quis miretur? Sed, ut ad ſeria me- Pag. 25.
lioraque redeamus, Saxones libertatis avidiſſimos appellat, for-
te quod minus, quam alii, aliorum jugo premantur. Perre-
xit deinde Coloniam, ibique ſe, credit, tria Magorum corpora,
egregium ſane ſpectaculum, conſpexiſſe, poſteaque ſe a vir-
gine Canoniſſa liberaliter habitum fuiſſe, & in cubiculum 27.
deductum. Cujus rei memoriam libentiſſime repetit *Gra-
tianus*, eaque vehementer lætatur. Trajectum venit poſtea,
quod, a *Carolo V* traditum, breviter declarat. Quam maxi- 36.
mis tum potuit, itineribus in Bataviam contendit, eamque ſu-
ſupernatare undis, & ſub prementium veſtigiis tremere, anim-
advertit. Fœminas præſertim Batavas mirificis effert laudi-
bus, & accurate deſcribit. Moguntinis, quos deinde adiit, di-
vinam, prelo libros exſcribendi, nec injuria, tribuit artem, ac 48.
de temperamentis colorum, a *Joanne* quodam *Brugenſi* inven-
tis, diligenter exponit. Peragratis deinde aliis oppidis, atque in
his Leodio, quod, neſcit, an conferri cum ulla Germaniæ civi- 64.
tate poſſit, Amſtelodamum pervenit. Tranſmiſit deinde per
Zuiderſee in Friſiam, cujus incolas *Plinii* ætate miſerrimos
omnium fuiſſe mortalium meminit, noſtra autem opulentiſ-
ſimos, omnique felicitatis genere beatos. Redit deinde, lu-
ſtrata, ex qua *Rudolphus Agricola* ortus eſt, Groninga, redit, 69.
inquam, in Saxoniam, ac Lubecæ, cui ſummum tribuit præco-
nium, ſed quam Lutheranis ſuperſtitionibus abundare,
temere ſatis addit, 60 dies commoratur. Hamburgum poſtea,
nobiliſſimum illud emporium, a Cimbris, ut adjicit, olim ha-
bitatum, quo Britanni præſertim, bello implicati Belgico,
omnes has merces tranſtulerunt, ſuis oculis uſurpavit. Re- 82.
verſus inde in Belgium, aliquo temporis intervallo Lutetiam
Pariſiorum iterum conſideravit, cujus nullam prorſus in-
jicit mentionem, propterea, quod ejus fama jamdum to-
tum ſit orbem pervagata, disjunctiſſimasque regiones occu-
parit. Perrexit tum iterum Nancium, Theonvillam, & Tre-

viri tandem requievit. Vidiſſe ibi ſe, putat, tunicam Chriſti,
ut loquitur, inconſutilem, imo clavorum unum, quibus Ser-
vatorem humani generis perfoderunt. Moguntiam tum con-
ceſſit, &, oblata hic ſibi facultate, de Novemviris, ſeu Electo-
Pag. 91. ribus, exponit. Aquisgrani, quod *Carolo M.* reſtituit, & os
brachii hujus permagnum, & ejusdem gladium, conſpexit.
Francofurti ad Mœnum librorum mercatum miratus eſt, ex
96. tota Europa advectorum. Acceſſit poſtea Bambergam ac
Norimbergam, cujus præſertim rempublicam ab optimatibus
meminit gubernari, ſuasque leges ac rationes magiſtratuum
creandorum a Venetis petiiſſe. Venit deinde Ratisbonam, In-
golſtadium, Auguſtam, quam inprimis laudat, tandemque
per Monachium, Tridentum, aliasque urbes, Patavium revertit.
105. Feliciter igitur Germania peragrata, jam, ſui quid de eadem
judicii ſit, declarat. Laudat eam, ſed, divulſas ejus vires, con-
queritur, cum quisque, non quod omnibus utile, ſed quod
privatim ſibi conducat, curet. Metitur hic etiam Ger-
maniæ Principes ingenio Pontificis Romani. Quodſi fero-
cia prius Germanis, & ſuſpicio, adverſus Italos, demantur, Ger-
manorum virtutes optimi cujusque laudem mereri, arbitratur.
Conſtanter eos amicitiam tueri, ſed in ſuppliciis nimis ſævos
videri. Certe latrones ſtudioſius, quam in Italia uſu venire
ſolet, conſectantur, in eosque omnia edunt cruciatus exempla.
Virtute, porro fatetur, Germanos excellere, inprimisque in
108. ſtatario pugnæ genere plurimum valere. Sed tanto majori
potandi libidine laborare. Ut fidem dictis adjungat, diligen-
tiſſimus homo duo adjicit exempla hominum, quos viderit,
bene potorum. Sed recte, ea ad plebem tantummodo atque
infimæ conditionis vulgus pertinere, non ad ingenuos ho-
mines liberaliterque educatos, *Lagomarſinus* notavit. Diſſe-
113. rit deinde *Gratianus* de publico Germaniæ concilio, tribus
ordinibus conſtante, tandemque florentem hodie Germaniam,
& literis maxime excultam, cum aſpera illa & horrida *Sene-
cæ* & *Taciti* comparat, quantumque mutata ſit, miratur.
Miſſus poſtea a Pontifice in Poloniam, varia omnino, & ad
memoriam inſignia, quæ literarum proderet monumentis, de-

pre-

Digitized by Google

prehendit. Venit initio in Carinthiam, ubi de ridiculo ſane Pag. 117.
Principis creandi more inſtitutoque exponit, poſteaque Stiriam
& Auſtriam pervagatus, Vindobonam, eoque loco, oblata ſi- 120.
bi dicendi facultate, Auſtriacæ gentis originem percenſet.
Quam quidem cum nequaquam a *Pharamundo* repetendam
ducat, ut exiſtimaverit *Zabius*, ab *Arnoldo Wionio* refutatus,
verum a ſtirpe *Anicia*, a *Quinto* inprimis *Anicio*, A. U 450
Cu uli, ab hoc multos deinde Imperatores, *Flavium*, *Anicium*,
Juſtinum, alios, profectos, obſervat. *Pierleonios* deinde *Ani-
ciorum* nomen accepiſſe, & ab his aliquo temporis intervallo
ad *Rudolphum Habspurgicum* rei publicæ ſummam perveniſſe, 122.
vocatum hunc deinde Auſtriacum, quod, devicto *Ottocaro*, Au-
ſtriam ſibi ſubjecerit univerſam. His breviter ſtrictimque ex-
plicatis, progreditur *Gratianus* ad *Albertum I*, *Petri* ſuperioris
filium, longumque de ejus fœcunditate inſtituit ſermonem.
Relicta urbium regina, Vindobona, in Sileſiam pervenit, ibi-
que Vratislaviam delatus, Epiſcopali ſede inſignem, eam &
auri ramentis abundare, & 300 pondo ſingulis annis cudere,
confirmat. Reverſus in Poloniam, Dantiſcum, præcipuum 126.
totius plagæ ſeptentrionalis emporium, & anno inprimis 1590
univerſæ Italiæ frumentarium, inſpexit. Prædicat deinde, ma-
gnisque extollit laudibus, Pruſſiæ pulchritudinem, quæ multo
ſit elegantioribus domibus, quam Polonia, exornata. Repe- 129.
riuntur adhuc, quod memorandum putamus, in eadem paſto-
res, qui, cum nec Germani eſſe videantur, nec linguam cal-
leant Germanam, antiquorum reliquiæ Pruſſorum habentur.
Horum tanta fuit barbaries, tanta negligentia, ut neque Deos
religioſo cultu afficerent, neque homines ullo proſequeren-
tur honore, ſed omnia crudelitate ſua violentiaque vaſtarent.
His rebus permoti Teutonici, ut *Gratianus* meminit, ſodales, 131.
ad numerum 30000 in Pruſſiam profecti, A. 1228 ſedes ibi
ſuas ac domicilia fixerunt. Ab his barbaris ad feras Pruſſicas 135.
oratione converſus, & Uros & Biſontes inprimis, hoc eſt,
ſilveſtres tauros, incredibili magnitudine, nec minori ferocia,
deſcribit, ceterasque ſimul Pruſſiæ regiones & oppida fuſius
pertractat, atque in his Rigam præſertim, quæ Archiepiſcopa-
lis

lis ſolii honore, & egregii portus opportunitate, excellat. Tum Lithuaniam, Podoliam, hujus caput Camenetiam, alia,
Pag. 148. explicat. Agit de Armenis, eorumque conjugiis, cultu inpri-
152. mis divino, qui parum a Pontificio abhorret. Panem enim azymum immolarunt, ſacratamque hoſtiam populo præbent adorandam, aquam autem vino in ſacrificando minime admiſcent. Leges eorum & carmina rerum divinarum Armenicis quidem exſtant literis, ſed a ſolis ſacerdotibus cognoſcuntur. Loquuntur & Scythica lingua & Turcica. Latine neſciunt, ſed Latinos tamen ſcriptores in Armenicam convertendos linguam curant. Rutheni Chioviæ habent ſacrorum antiſtitem, qui voce Græca Metropolitanus vocatur. Tenuit quondam hunc locum *Iſidorus*, una cum *Beſſarione* in patrum purpuratorum numerum receptus. Rutheni porro præter ea, quæ ſacerdos, rem faciens divinam, ex aris de ſacris
162. libellis recitat, nullas ad populum habent conciones. Sermone poſtea in Poloniam reverſus, (nullum enim in enarrandis oppidis ac regionibus *Gratianus* ordinem obſervat,) amplitudinem quidem ejus pulchritudinemque laudat, ſed cives & epulandi & compitandi libidine corruptos, meminit, interque pocula, Perſarum more, conſultare. Negligentiam deinde in Latino genere dicendi, & in veſtitu luxuriam, caſtigat, ſed *Sigiſmundum* magno ornat præconio, quod Hæreticos in
166. Polonia ſuppreſſerit Lutheranos. Sed, ne nimis Lectorum ſtudio abutamur, ad finem properabimus, potioraque tantum, & ad memoriam maxime inſignia, attingemus. De militia igitur poſtremo, & quæ Polonia producat, itemque ſuo ex
178. Polonia diſceſſu, exponit. Confert ſe poſtea ad motus, de creando Rege in Polonia excitatos, ubi, mortuo Galliæ Rege,
240. *Carolo*, hujus regnum expetierit Polonus. Haud longo tandem temporis intervallo, *Commendonus*, quicum *Gratianus*, fidus ille Achates, plurimas disjunctiſſimasque perluſtravit regiones, diem obit ſupremum. A quo relictus Noſter, in *Montalti*, Patris purpurati, conſuetudinem ſe dedit, multosque cum eo annos eſt familiariſſime conjunctiſſimeque verſatus.
295. Exhibetur denique in fine *Pii V*, Pontificis Maximi, de Hiſpa-

ſpaniarum regis *Philippi* profectione in Belgium ſententia, Apoſtolico, ut dicitur, nuntio ſignificata. Quodſi *Gratianus*, præclari hujus Autor Voluminis, non adeo conviciandi libidini, immoderatoque erga Lutheranos fervori, & prorſus intempeſtivo, indulſiſſet, & commendandus optimo cuique, & ſummo dignus præconio, videretur.

ESSAI SUR LES HIEROGLYPHES DES Egyptiens, &c.

hoc eſt,

TENTAMEN PHILOLOGICUM DE HIEROGLYphis Ægyptiorum, quo inquiritur in originem ſermonis & ſcriptionis, in antiquitatem ſcientiarum apud Ægyptios, & natales cultus animalium idololatrici. Gallice redditum ex Anglicano Viri Clariſſimi WARBURTHONI; cui accedunt aliæ obſervationes de antiquitate Hieroglyphorum ſcientificorum, ut & de Chronologia primaque ſcriptura Sinenſium.

Pariſiis, 1744, 12 maj.

Alph. 1 plag. 7, cum 7 Tabb. æneis.

W*arburthonus Libro IV* celeberrimi Operis ſui de miſſione *Moſis* divina aſſerit antiquitatem Ægyptiacam e Sacro Codice Vet. Teſt. monſtratque, illum omnia confirmare, quæ Græci de ea tradiderunt. Hieroglyphis inter alia quoque tanquam certiſſimo argumento utitur, quod adeo noſtris diebus apud Anglos præcipue controverſam rerum civilium & ſcientiarum Ægyptiacarum antiquitatem luculenter demonſtret. *Librum* hunc, ſeu potius libellum, ut a ceteris facile ſeparabilem, ſeorſim ſumſit, & Gallice vertit, Vir aliquis doctus, qui nomen ſuum prodere noluit, quem tamen Clariſſ. *Pouchard* eſſe, non ſuccurrit nunc, ubi legerimus. Idem ſuas quoque notas paſſim notis Autoris Angli adſperſit, &, quo facilius diſtingui poſſent, titulum *Addition* illis præſcripſit. Inter-

Digitized by Google

terpres hic rara in homine Gallo diligentia uſus eſt in allegandis aliorum, qui paſſim advocantur, Autorum verbis. Originalia enim illa, ſeu Hiſpanica, ſeu Anglica, ſeu Italica, prout res tulit, adſcripſit. Commodioris uſus gratia diviſit libellum *Warburthonianum* in paragraphos, eique ſoli *primum Volumen* collectioni vero ſuæ opuſculorum aliorum, ad *idem* argumentum ſpectantium, ſecundum, conſecravit. Nos illud quidem prius, ideo, quod maxime ſpectabilis pars eſt hujus Collectionis, paulo diligentius perluſtrabimus, hoc vero poſteriore quæ contineantur, ſi ſtrictim attingamus, & nomine tenus, noſtro ſatisfeciſſe nobis videbimur officio. Magis tamen ex Angli perſona, quam ſententia noſtra, loquemur. Eorum enim multa non probamus, quæ hic laudare videbimur. Nimis quoque foret & longum, & operoſum, cogitationes, quæ ſub hujus libri lectione aut natæ nobis fuerunt, aut naſci potuerant, Angli diſputationibus intexere, quas maximam partem pereruditas, lectione multijuga & acri judicio plenas, ſubtiliter excogitatas, ſpecioſe deductas, & Anglicanis moribus dignas, eſſe, ut lubentes fatemur, ſic tamen viciſſim non erit, qui, multa in his ineſſe, ingenioſa magis & acuta, quam vera & probabilia, multa contentioni obnoxia, multa ultra modum intenſa, non deprehendat. Magnum itaque uſum habent, ſecundum Anglum, hieroglyphica, non tantum ad eam rem efficiendam, quam ille voluit efficere, ſed quod etiam hiſtoriæ tam ſacræ, quam profanæ, lucem affundunt egregiam. Licet nempe Judæorum ex illis leges, ritusque, ſacrique Codicis & totius Orientis ſublimem eloquentiam intelligere, conceptusque clariores & magis honorificos acquirere de Ægyptiaca tam ſapientia, quam religione; cujus duo præcipua capita (ſunt autem hæc parva magnaque myſteria, de quibus Autor Anglus *priore Volumine* tractaverat, &, de quibus in præſentia exponit, hieroglyphica:) ſecundum Noſtrum duo ſunt quaſi cardines, ſuper quibus omnis Græcæ antiquitatis intelligentia & explicatio vertitur. Diviſa eſt hæc tractatio *tres* in *Partes*, quarum *prima* monſtrat originem hieroglyphicorum in genere. Duo nempe ſunt modi ſenſus animi noſtri proferendi,

aut

Digitized by Google

aut per editos ore ſonos, aut per characteres manu ſcriptos pictosve. Prior quidem tempore fuit primus ille modus, ſeu ſermo, & ſatis erat primis hominibus, illo ſolo uti: cum vero neceſſe haud raro fieret ſucceſſu temporis, cogitationes quaſi perennes facere, & temporibus ſecuturis quoque tradere, hinc inventi deinceps fuerunt characteres. Sed, ut rudis erat prima illa mundi ætas, ſic etiam prima ſcriptura pariter rudis, imperfecta, intellectu difficilis, ænigmatica, erat. Non enim niſi cum rebus quotidianis negotium erat primis mortalibus, ideas abſtractas non formabant; adeoque nil erat ipſorum ſcriptura, quam rudis & groſſa rerum, coram poſitarum, & menti obverſantium, pictura; cujus veſtigia proſtant adhucdum apud Mexicanos in eorum calendariis, quæ Autor ex *Jo. Franc. Gemelli Careri* libro Italico, *Giro del Mondo* dicto, deſcribit, & ſimul eorum expreſſum ære ſpecimen exhibet. Facile patet, operoſam hanc ſcribendi, vel pingendi potius, rationem, quæ uni ſoli rei paucisve deſignandis immane tempus requirit, & brevi poſt vel ipſi Autori ſuo ſit ignorabilis, caretque ideis abſtractis & moralibus, coegiſſe gentes ad alias novas compendioſiores, & minus vagas, minusque ambiguas, ſcribendi methodos excogitandum. Has inter prima fuit & celeberrima illa ab Ægyptiis inventa hieroglyphica, per quam vetus ſcriptura, quæ tantum erat pictura, ſimul pictura & character evadebat. Hieroglyphicæ hujus tres ſunt ſpecies, quarum unam per gradus inventam fuiſſe poſt alteram, ex eo clare apparet, quod una ſit altera perfectior. Prima erat, ut rei alicujus magnæ, divitisque argumentis & amplæ, præcipua tantum momenta & velut indicia pingerent; e. c. pro prælio duas manus oppoſitas, unam clypeo, alteram arcu, armatam; aut pro urbis obſidione, murum cum appoſita ſcala, &c. Ex hac nata fuit altera, ſublimior & magis artificioſa, quæ ſcilicet deſignandæ rei inſtrumentum ejus, aut reale, aut metaphoricum, ut e. c. omniſcientiæ & providentiæ divinæ, oculum in illuſtri & eminente loco collatum, aut gubernationi totius mundi navem cum nauclero, ſubſtituebat. Tertia tandem adhuc erat ſublimior: deſignandam enim rem ſiſtebat

 bat

bat ſub alterius quidem rei typo, pariter atque prior, qui tamen typus convenientiam cum antitypo ſive naturalem, ſive idealem, arbitrarium, & traditionalem, habebat, e. c. univerſum exhibebat in ſymbolo ſerpentis in ſe revoluti & maculoſi; ortum ſolis in oculis crocodili; hominem conſtantem & intrepidum in pelle hyænæ, &c. Verum laborat hæc hieroglyphica ſcriptura non eo ſolum vitio, quo pictura ſimplex, id eſt, operoſo & diuturno molimine, ſed & alio, quo myſtica & ſymbolica omnia laborant, obſcuritate ſcilicet & ambiguitate. Inventum itaque fuit tertium ſcribendi genus, cujus elegans exemplum apud Sinas ſupereſt. Hæc, abjectis imaginibus, non conſervavit niſi notas inde abbreviatas, & ambitus quaſi figurarum decerptos, quos ad ſtupendum usque numerum varie componendo multiplicavit induſtria. In hac ſcriptura unaquæque idea ſuum habet characterem ſibi proprium; unde fit, ut a pluribus gentibus legi poſſit & intelligi, quamvis propriæ earum cuique dialecti tam nihil inter ſe commune habeant, ut confabulantes unus alterum non capiant. Deflexit quidem haud parum ab Hieroglyphicorum Ægyptiacorum ſimilitudine hodierna Sinenſium ſcriptura; vetus autem, cujus adhucdum monumenta ſuperſunt, propius ad illa accedebat. Jam reſtabat nihil poſt hæc inventa, quam literas noſtrates, adinvenire, de quibus Sinenſium characteres tantum fere, quantum de hieroglyphis Ægyptiacis, participant. Variarum gentium literæ vel hodienum uſitatæ, ut Armenicæ majores & Æthiopicæ, aliquid hieroglyphici retinuerunt. Conſtat quoque ex hiſtoria, gentes pæne omnes rationis cultura celebres, neque omnino barbaras, hieroglyphica ſcriptura uſas fuiſſe; unde patet, falſum eſſe, quod *Kircherus* ſibi aliisque hactenus perſuaſerat, hieroglyphica tantum aut a prudentia, aut a moroſitate, Ægyptiorum conficta fuiſſe, quo nimirum his quaſi velis involverent, & aliarum gentium oculis eriperent, ſuam ſapientiam; vocem potius ductumque naturæ his in figuris animadverti. Quod clarius demonſtat Anglus ex comparatione ſcripturæ figuratæ cum ſermone veterum ſymbolico; qua occaſione arrepta, ſermonis originem inda-

indagat. Primus hominum ſermo erat admodum dictionibus pauper, & actionis plus, quam ſoni, habebat; procedente tempore plus accepit ſoni, minus retinuit actionis, idque tantum ornamenti gratia. Monſtrabant primi homines ea, quæ deſignabant, aut coram poſita protendendo digitisve, aut conceptus ſuos animique impetus per actiones externas prodebant. Diu tamen, etiam poſt inventas dialectos vocibus ditiores & magis elaboratas, ſeſe ſuſtinuit hic per actiones, aut, ut vulgo appellatur, actionis, ſermo, quem nos deinceps practicum appellare malumus, præcipue apud orientales, quorum calido ingenio bene congruebat talis ſermo, vivacitatem & fervorem ſermocinantium per motus corporis exprimens. Multa proſtant in ſacro Codice ſermonis hujus exempla: e. c. illud, quando Propheta in conſpectu populi vas fictile quaſſat, quando ſibi laqueos & jugum circumponit, & talia plura, quæ infidelibus & deriſoribus divinæ veritatis abſurda, ſtolida, fanatica, viſa fuerunt; alii, qui mitius explicare voluerunt, ut *R. Maimonides*, pro viſionibus & ecſtaſibus propheticis acceperunt. Sed ambo pariter a vero multum abſunt, qui non cogitant, aut neſciunt, ſermonem hunc practicum Judæis eo tempore valde frequentem, communem, & notum, fuiſſe; quod demonſtrat exemplis aliarum veterum nationum, Græcorum & Scytharum; apud quorum illos quidem oraculum Delphicum olim neque loquebatur, neque tacebat, ſed monſtrabat ſignis, ὐκ ἔλεγεν ὔτ' ἐκρυπ]εν, ἀλλ' ἐσήμαινεν, ut ait Heraclitus, de horum autem rege *Idanthura* refert *Clemens Alexandrinus*, quod *Darii Hyſtaſpis* legato reſponſi loco murem, ranam, avem, jaculum, & aratrum, miſerit. Potuerat Noſter ab Arabibus exempla practici hujus ſermonis egregia, & memoria certe digniſſima, repetere, ſi libros eorum legiſſet. Ex hoc porro groſſo ſermone natus deinceps cultior per apologos, cujus luculentum exemplum in oratione *Jonathani* ad Sichemitas *Cap. X Judicum.* Magnam huic eſſe cum illo priore, ſermone practico ſcilicet, affinitatem, patet ex negotio *Jeremiæ* cum Rechabitis, *Cap. XXXV* Vaticiniorum ejus expoſito, quod de apologo & de ſermone practico pariter

participat. Et re vera unum alterumque reſpondet exacte hieroglyphicæ ſcripturæ, quandoquidem ambo ſignis utuntur, & ſuggerunt intellectui rem aliam deſignatam. Quemadmodum vero contigit, ut ſymbolum aliquod hieroglyphicum per frequentem uſum perdiderit propriam ſuam ſignificationem, & induerit generalem; e. c. ut caduceus, *Mercurii* proprium ſymbolum, evaſerit nota cujusque pacis & fœderis: ita quoque apologi quidam celebres & elegantes, in uſum vulgarem tranſlati, abierunt in proverbia, ut apologus ille de cedro & carduo *4 Reg. XIV, 9, 10.* Idem vero apologus in ſimilitudinem evaſit, poſtquam ſermo magis excultus formam artis induit. Non male dici poſſet ſimilitudo Sinarum characteribus reſpondere. Ut enim hi rerum ſunt compendioſa ſigna, quæ videntes primo ſtatim obtutu capiunt; ſic & ſimilitudines ſigna & imagines quaſi minutæ ſunt rerum traditarum, quæ hominibus admodum gratæ accidunt, non abſtracte, ſed craſſe & materialiter, cogitare aſſuetis. Apparet hinc, & ſermonem & ſcripturam pariter proprie nihil aliud eſſe, quam rerum menti obſervantium picturam auribus oculisve propoſitam, & utramque neceſſitate cogente adinventam eſſe, quandoquidem pictura ibi incipit, ubi literæ alphabeticæ & arbitrariæ nequeunt amplius extricari & intelligi, imago autem ibi, ubi termini abſtracti comprehendi porro nequeunt. Sic aucta fuit ars animi ſui ſenſus prodendi. Tenendum tamen, non ſtatim ab adinvento novo & perfectiore quodam ejus rei modo ceſſaſſe priorem imperfectiorem. Aſſervabant potius antiquum morem aliquamdiu vigente quamvis novo; quod e S. Codice paret, in quo exempla ſermonis practici ex tempore, quo apologus obtinebat, & adhuc ſeriora, proſtant, apologi autem poſt jam inventas ſimilitudines & metaphoras, quod idem quoque in ſcriptura contigit. Prima & ſimpliciſſima hieroglyphica continuarunt Ægyptiis in uſu eſſe poſt inventa hieroglyphica ſic dicta ſymbolica; & hæc ipſa obtinuerunt, non tantum poſt quam magis elaborata, & ad ſimilitudinem cum characteribus Sinarum perducta eſſent, ſed etiam poſt inventas literas alphabeticas.

Hæc

Digitized by Google

Hæc animadverſio ducit ad ſecundam opuſculi partem, in qua demonſtratur, quomodo homines diverſas has methodos loquendi ſcribendique, quas neceſſitas adinvenerat, procedente tempore in myſterium ornatumque converterint; vanamque eſſe & falſam a *Kirchero* propagatam communem opinionem, quæ vult, Ægyptios eo tantum fine adinveniſſe hieroglyphica, ut iis quaſi arcanorum cuſtodibus, aut ſepulcris, ſcientiam ſuam committerent occultandam. Initio enim fuerunt hæc hieroglyphica ipſorum alphabetum & literatura; quin autem procedente tempore myſterioſa evaſerint, negari nequit. Quod quomodo proceſſerit, docetur a *pag. 91* inde. Habebant ſcilicet Ægyptii quatuor, ex Noſtri mente, ſcripturæ genera, primum hieroglyphicum, tam κυριολογικὸν, ſeu groſſius & rudius, propriis ſymbolis breviſſima via rem absque ambitu deſignans, quam tropicum, ſeu elegantius, quod per tropos, ſimilitudines, alluſiones, loquebatur. Secundum ſymbolicum, quod erat pariter duplex; unum ſimplex magis & tropicum, alterum magis myſterioſum & allegoricum. Ambo hæc genera, tam hieroglyphicum ſtricte ſic dictum, quam ſymbolicum olim, communi nomine hieroglyphicorum veniebant, & tantum per figuras rerum, ſeu pictas ſculptasve imagines, non autem per literas, ſeu potentias ſonorum & vocum, loquebantur. Aliter comparatum eſt cum duobus ſequentibus Ægyptiacæ ſcripturæ generibus, quorum tertium erat, ſecundum Noſtrum, ſic dictum epiſtolare, ſolis uſibus politicis; & quartum tandem hierogrammaticum, ſacris tantum uſibus ſacrum. Ambo autem literis perſiciebantur, & per verba ſonosque res deſignandas ſignificabant. Hanc hypotheſin & ſubtilem deductionem eruiſſe ſibi viſus fuit & probare vult Noſter e duobus inſignibus locis, uno *Porphyrii Vit. Pythag. Cap. XI & XII pag. 15* ed. *Küſteri* altero *Clementis Alexandrini Stromat. Lib. V pag. 555* ed. *Morell.* at obſcuris ambobus pariter et vexatis, in quorum illo interpretando *Holſtenium* & *Schukfordum*, in hoc *Marshamum* & *Stanleyum*, falſos fuiſſe, ſe rectum vidiſſe, contendit Noſter. Quæ ex illis efficit, poſſintne inde colligi, viderint alii. Nobis videntur in genere interpretationes ejus locorum ſuo ſyſtemati non optime conſonan-

nantium, nimis operoſæ, ſubtiles, coactæ, & violentæ, eſſe, ut eſt illa loci ex *Plutarcho pag. 99* propoſita; qua, poſtquam *Clericum* caſtigaſſet, verba Græca οὐκ ἀνήδυντον οὐδὲ λιτὴν ἀλλ' ἐν μέτρῳ καὶ ὄγκῳ καὶ πλάσματι καὶ μεταφοραῖς ὀνομάτων καὶ μετ' αὐλοῦ. ſic Latine vertentem: *pedibus vincta tumida, quæ ſitis & tralatitiis verbis conſtantia & cum tibia prolata:* negat, πλάσμα hic loci *quæſita & tranſlata verba* ſignificare, ſed potius affirmat, eam eſſe vocis modulationem, quæ *placida conformatio* reddi a nobis queat, quemadmodum oppoſitum ejus ὄγκος, *gravis conformatio;* adeo ut ſenſus *Plutarchi* ſit, oracula olim non tantum ſtilo ſublimi, figurato, & pomposo, ſed etiam ſub tibiarum concentu, edita fuiſſe; *Plutarchum* quoque vult vocibus ὄγκῳ & πλάσματι vocem ἀνήδυντον, id eſt, ut reddit, *diſcordantem*, opponere; dictioni vero μεταφοραῖς ὀνομάτων opponere vocem λιτὴν, id eſt, *uniformem, ſimplicem.* Poſt longam citatorum *Porphyrii & Clementis* locorum discuſſionem procedit *pag. 114* ad rem propoſitam, id eſt, ad demonſtrandum, quo modo hieroglyphica cœperint myſterioſa fieri. Primi Ægyptii ſignificabant res pictura ſimplice, naturali, & craſſa; cujus exempla proſtant in *Horapolline*, ut ſignificaturi fullonem pingebant duos hominis pedes in aqua; ignem; fumum adſcendentem. At proceſſu temporis una eademque figura pluribus rebus indicandis ſufficiebat, id eſt, evadebat ſcriptura eorum hieroglyphica, quæ deinceps in duo genera diſceſſit, unum, quo partem rei deſignandæ præcipuam pro tota re ponebant; alterum ſubtilius, quo rei deſignandæ loco ponebant rem aliam, diverſam quidem, dote tamen aliqua cum iſta convenientem; illud prius *curiologicum*, hoc poſterius *tropicum*, appellatur. Exemplum ſit luna, quam deſcripturi κυρίως Ægyptii dimidium circulum pingebant, tropice autem pingebant cynocephalum. Apparet ex omnibus monumentis, Ægyptios hieroglyphicam ſuam ſcripturam ad aliam rem non adhibuiſſe, quam ad leges, ritus, mores, hiſtoriam, civiles omnes res ſuas, æternæ memoriæ tradendas. Fidem huic aſſertioni faciunt obeliſci, & præcipue magnus ille & admirabilis *Rameſſis*

regis

Digitized by Google

regis, hodie Romæ coram templo S. *Joannis* Lateranenſis erectus, olim Hierapoleos ornamentum, cujus interpretationem Græcam, ab *Hermapione* concinnatam, *Ammianus Marcellinus* ex parte Latinam reddidit, & ad nos transmiſit, unde conſtat, eum obeliſcum aliud nihil, quam panegyricum *Rameſſis*, & hiſtoriam victoriarum ejus, continere. De aliis obeliſcis id idem verum eſſe confirmatur ex *Clemente Alexandr. Diodoro Siculo*, *Strabone*, *Proclo*, *Tacito*. *Kircherus* autem, longe aliam ingreſſus viam, contradicente nequicquam tanta veterum Autorum turba, perſuaſit ſibi, voluitque aliis etiam perſuadere, in iſtis obeliſcis omnem Ægyptiorum divinam humanamque ſapientiam depoſitam eſſe, eaque ex hypotheſi ambitioſo apparatu illos, obſcuras omnes theologiæ *Pythagorica* & *Platonica* nugas in ſubſidium advocans, explicuit. Quapropter eum Noſter graviſſime reprehendit, exiſtimans, eum ab imaginatione ſola in hanc opinionem delatum fuiſſe absque ullo vetuſto duce & autore. Monſtravit tamen nuper Clariſſ. *Joſephus Bartoli* in gemina ſua Diſſertatione de Muſei Veronenſis Inſcriptionibus, *Kircherum* hanc obeliſcos myſtice exponendi rationem ex *Plinio* majore deſumſiſſe. Verum eſt, ſacerdotes ſecreto quodam ſcripturæ genere uſos, ſuam ſapientiam, quamvis non in obeliſcis, alibi tamen, depoſuiſſe. Cum enim Philoſophiam magis excolerent, cui rei ſymbolica ſcriptura occaſionem dederat, & multa jam acciperent ſcribenda, debebant expeditius & compendioſius ſcribendi genus excogitare, id eſt, *ſcripturam hieroglyphicam currentem*. Scilicet figuræ cuique hieroglyphicæ ſymbolicæ lineam aliquam præcipuam, aut ambitum, decerpebant, ipſiusque figuræ loco hanc adhibebant, unde ſpecies characterum nata, Sinarum ſimilis characteribus. Eo modo multum fuit compendifactum ſtudium ſcripturæ ſymbolicæ. Cum enim lector olim debuiſſet rei in figura propoſitæ dotes noſſe, & ex iis rem aliam, non propoſitam quidem, at deſignatam tamen, elicere; jam non opus erat, niſi valorem cuique characteri alligatum ſcire. Nova hæc ſcriptura Noſtro hierographica dicitur. Hierographis his characteribus ſcripta monumenta ſu-

 per-

Digitized by Google

perſunt adhuc hodie in Ægypto, indigenis *acus Cleopatræ* dicta. Ex parte quoque his deſcriptum fuit rituale initiationis myſtarum Iſiacorum, quod *Apulejus Libro Metamorph. XI* deſcribit. Altera enim parte deſcriptum erat idem ſymbolicis figuris; quod patet ex ipſius *Lucii* verbis: *de opertis adyti profert quosdam libros, literis ignorabilibus prænotatos, partim figuris, cujuscemodi animalium, concepti ſermonis compendioſa verba ſuggerentes, partim nodoſis & in modum rotæ tortuoſis, capreolatimque condenſis, apicibus a curioſa profanorum lectione munita.* Iisdem characteribus hierographicis inſcripta eſt tabula Iſiaca, quam ex quo tempore *Pignorius* expoſuit, periiſſe perhibet *Montfauconius* in *Antiqu. Explic.* Gallus autem noſtri hujus libri *Warburthoniani* interpres monet, ſibi amicum eſſe fide dignum, qui, ſuis oculis eam A. 1739 Taurini in Archivo Regis Sardiniæ vidiſſe, aliquando affirmarit. Hierographici hujus characteris quaſi mater fuerat antiquior ſcriptura epiſtolaris, hunc in modum & hac de cauſa, ex Noſtri mente, nata. Hieroglyphica, ſeu ſymbolica, ſcriptura inepta erat mandatis regiis ad copiarum duces, ad provinciarum præfectos, ad alios, expediendis, ut obſcura & ambigua, & ſignis rerum, non vocibus, utens. Requirebatur ergo ſcripturæ genus compendioſum ſimul & certum, ab omni dubitatione liberum, quod verba, non rerum ſigna & umbras, exhiberet. Huic neceſſitati ſatisfecit ſecretarius aliquis Ægyptii alicujus regis, ſcripturæ genus epiſtolare commentando, ut *Sanchoniathon* apud *Euſebium*, & *Diodorus Siculus*, perhibent. Videbitur quidem aliquibus huic traditioni adverſari, quod *Clemens Alexandrinus* & *Tatianus* ex *Hellanico* tradunt, *Atoſſam*, Perſiæ reginam, excogitaſſe rationem συντάσσειν τὰς ἐπιςολάς. Noſter autem putat, locum illum non de modo ſcribendi epiſtolas accipiendum eſſe, ut qui multo illa regina ſit antiquior, ſed de apta & elegante ratione literas jam ſcriptas in parvum volumen complicandi & obſignandi; qualis elegantia nobilis fœminæ ingenio neque indigna ſit, neque aliena. Inventa ſic ſcriptura epiſtolaris, quam non incommode politicam nomines, brevi poſt occaſionem

ſionem dabat myſterioſis ſacerdotibus hierogrammaticum ſuum comminiſcendi, novum, proprium ſibi, aliis ignotum, characterem. Neque ſolum Ægyptiaci ſacerdotes hac ratione cavebant, ne ſecreta ſua in vulgus emanarent, ſed etiam aliarum gentium ſacerdotes libros ſuos vulgo *ἀνεφίκτες* habebant. Hinc explicat a *pag. 161 ſeq.* locum difficilem *Euſebii*, in quo *Stillingfleet* & *Schukford* offenderant, neque potuerunt non offendere. En verba: *Ἐκ τῶν Μανεθῶ τῦ Σεβεννύτυ, ὃς ἐπὶ Πτολεμαίυ τῦ Φιλαδέλφυ ἀρχιερεὺς τῶν ἐν Αἰγύπτῳ εἰδώλων χρηματίσας, ἐκ τῶν ἐν τῇ Σηριαδικῇ γῇ κειμένων ϛηλῶν, ἱερᾷ, φησὶ, διαλέκτῳ καὶ ἱερογραφικοῖς γράμμασι κεχαρακτηριτμένων ὑπὸ Θωὺθ τῦ πρώτυ Ἑρμῦ, καὶ ἑρμηνευθεισῶν μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐκ τῆς ἱερᾶς διαλέκτυ εἰς τὴν Ἑλληνικὴν φωνὴν* ΓΡΑΜΜΑΣΙΝ ΙΕΡΟΓΛΥΦΙΚΟΙΣ, *καὶ ἀποτεθεισῶν ἐν βίβλοις ὑπὸ τῦ Ἀγαθοδαίμονος τῦ δευτέρυ Ἑρμῦ, πατρὸς δὲ τῦ Τατ' ἐν τοῖς ἀδύτοις τῶν ἱερῶν Αἰγυπτίων.* Clarum eſt, verba hæc, uti circumferuntur, corrupta eſſe. Pugnant enim, quæ hic componuntur, *γράμματα ἱερογραφικὰ*, & *ἱερογλυφικὰ*, quorum illud literas alphabeti, e quibus vocum pronuntiatio componitur, hoc figuras, e quibus rerum idea concipitur, notat. Emendat itaque Noſter *γράμμασιν ἱερογραφικοῖς*, &, ne cui dubium ſuperſit, locusque hic nihilo minus *παράδοξος καὶ ἀλλόκοτος* videatur, qui ſcilicet non comprehendat, qua de re Agathodæmon in gratiam ſacerdotum Ægyptiorum operam inſumſerit, vetuſta monumenta hieroglyphica, quæ omnes legere poterant & intelligere, in linguam Græcam ignotam & profanam transferendi; ideo docet allegatis exemplis, ſacerdotes Ægyptios etiam Græce calluiſſe, hujusque linguæ notitiam ſub *Pſammeticho* accepiſſe. Poſtquam ſic demonſtravit Noſter, Ægyptios habuiſſe ſcripturam literariam currentem, tam epiſtolarem, ſeu politicam, quam hierogrammaticam, inquirit, quando literarum uſum introduxerint. Id factum collocat in tempus *Abrahamum* inter & *Moſen* medium. *Moſen* porro literarum quidem & alphabeti notitiam ab Ægyptiis accepiſſe, novum tamen Alphabetum ab Ægyptiaco diverſum, quo ſuum Pentateuchum exararit, confinxiſ-

ſe, & literarum numerum auxiſſe; quod his probat argumentis: 1) Hebræum alphabetum pluribus gaudet literis, quam *Cadmeum*, aut vetuſtum Græcum; quod Ægyptiaco ſimile fuiſſe, probabile fit ex eo, quod *Cadmus*, ex Thebis Ægyptiacis ortus, literarum formas ſecum e patria primum in Phœniciam, dein Græciam porro, intulit, neque probabiliter mutavit; 2) *Moſes* videtur literas mutaſſe ideo, quod Ægyptiorum politica ſcriptura, utpote nata ex hieroglyphica, ſcatebat ductibus ad animalium formam accedentibus, Deus autem, Judæos ab omni idololatria, ejusque occaſione, avertere ſtudens, ſevere genti ſuæ uſu omnium imaginum interdixit. Viſus fuit aliquibus Deus immediatus literarum autor; quod Noſter negat; quia *Moſes* tantum Dei erga ſuum populum beneficium ſilentio nunquam præteriiſſet. Elegans eſt, quod *pag. 193* obſervat, pleonaſmum & metaphoram primæ mundi ætati, & illum quidem inopiæ vocabulorum, hanc autem craſſis loquentium conceptibus, deberi. Qui enim aliquid emphatice volunt exprimere, verbum tamen aptum, & proprium, & ſatis potens, in promtu non habent, aut quorum ideis verba non ſatis reſpondent, illi aut idem verbum ſæpius ingeminando repetunt, aut ſynonyma coacervant. Metaphoris autem ideo frequentius utebantur primi mortales, quod craſſe cogitarent, cum rebus ſub ſenſum cadentibus tantum conſueſcerent, & abſtractis ideis carerent. Geminum hunc defectum deinceps in ornatum tranſiiſſe, & retentum ab orientalibus præcipue fuiſſe, qui, quod a commercio nationum aliarum ſemper abſtinuerunt, parum ab omni ætate fuerunt immutati. Metaphorarum autem abundantiam excitati & ignei notam ingenii non eſſe, demonſtrat exemplo gemino, ex ultimo pariter Oriente atque Occidente adſcito Irocani enim & Sinenſes, frigidi ambo & phlegmatici, laconizant enim æqualiter ambo in ſermone, nihilo minus tamen abundant metaphoris. Probat id ipſum porro ex ipſa plebe, quæ ubique terrarum frequentius per metaphoras loquitur, quam homines politiores. Latius porro influxum mutuum linguæ & ſcripturæ in ſe, uſum hieroglyphicorum Ægyptiacorum, & nugas ſyſtematis *Kircheriani*, perſequitur.

At

Digitized by Google

At quorſum tendit tota hæc de origine, uſu, & natura, hieroglyphicorum diſputatio? Eo, ut appareat magna ſcientiarum apud Ægyptios antiquitas, quam *tertia Pars* opuſculi probat hunc in modum. Scriptura per literas, utut recentior ſit hieroglyphicis, eſt tamen tam antiqua, ut aliqui, licet perperam, ejus ætatem ætati hieroglyphicorum præpoſuerint. Atqui tamen, quod in hiſtoricorum conſenſione dubio vacat, continebatur in his antiquiſſimis omnis Ægyptiorum eruditio, quam Græci ab ipſis petebant, & in patriam ſuam ſecum referebant. Unde colligitur, ſcientias apud Ægyptios temporibus longiſſime remotis floruiſſe. Poſſet objici, formatque Autor ipſe hanc ſibi objectionem, ſuppoſita hæc, quæ hodienum exſtant, eſſe hieroglyphica, & longe, quam finguntur, recentiora, & eo forte demum conficta tempore, cum ſcientiæ jam per orbem diffuſæ eſſent. Verum urget contra, non tam hoc: Græcos inſtructivorum horum hieroglyphicorum ætatem ætati primorum Ægypti regum æquiparare; quam potius illud: rationem allegari poſſe nullam, quare Ægyptii poſt inventas literas tam incommodam ſcribendi methodum, atque illa hieroglyphica eſt, non abjecerint; quod certe facturi fuerant, niſi noviſſent, in illa non tantum ſimplices rerum civilium apud ſe geſtarum notitias, verum etiam magnos ſcientiæ theſauros, depoſitos jacere. Ceteræ quidem omnes vel antiquiſſimæ nationes, modo nactæ literarum alphabeticarum notitiam, ſtatim repudiabant priſcos characteres & imagines, quibus antea ſuas hiſtorias conſignaverant. Ægyptii vero id non fecerunt. Admiſſa autem hac hypotheſi, hieroglyphicas ſcientiarum quaſi apothecas fuiſſe Ægyptiis, rei rationem claram eſſe, affirmat Anglus. Ceteras nempe gentes ante literas inventas rudes omnino ſcientiarum omnium fuiſſe, & hiſtorica monumenta habuiſſe admodum imperfecta. Illas itaque, literarum notitiam & uſum adeptas, tanti non reputaſſe veteris ſcripturæ characteriſticæ conſervationem. Ægyptios autem, eo ipſo communis ignorantiæ & barbariei tempore doctiſſimos, non potuiſſe ſummæ ſuæ doctrinæ inſtrumenta & quaſi promtuaria tam levi negotio absque ſum-

mo ſuo damno ſpernere; non potuiſſe illos ea non ſummopere venerari, non conſervare, continuare, & excolere. Sinenſes idem prorſus paſſi ſunt, quorum exemplum dicta egregie illuſtrat & confirmat. Hi non literis, ſed characteribus, pariter atque Ægyptii, ſcribunt, eosque pulchre ductos majoris, quam elegantiſſimam picturam, faciunt. Apparet hinc, vel ſolum ab hieroglyphicis petitum argumentum demonſtrandæ ſcientiarum apud Ægyptios florentium ultimæ antiquitati ſufficere. Quo tamen omni controverſiæ præcideret anſam, placuit Noſtro etiam alia quædam addere hujus rei documenta. Sapientiæ veteris non minima quondam pars erat Oneirocritice. Hanc ab Ægyptiis inventam eſſe, ex eo non tantum arguit, quod Græcæ *Artemidori* ſomniorum interpretationes cum ſymbolicis interpretationibus *Horapollinis* conveniant, ſed & ex voce, *ςοιχεῖα*, ſeu *elementa*, qua oneirocritæ, tanquam technica, phantaſmata, per ſomnum oblata, deſignare ſolent; quod mirum videri poſſet, neque facile ratio allegari, ſi quis, oneirocriticen a ſymbolica ſcriptura ortam eſſe, neget. Ei vero, qui concedat, id perfacile & perſpicuum eſſe. Characteres enim ſymbolici *ςοιχεῖα* dicuntur. Quod autem Ægyptiaci ſacerdotes ſymbolicos hoſce characteres *elementa* vocarint, inde eſſe, quod omnibus entium generibus, etiam primis elementis, in rem ſuam, ad exprimendos animi ſui ſenſus, uſi fuerint. Antiquiſſimam autem Oneirocriticen eſſe, arguit ex *Joſephi* patriarchæ hiſtoria & negotio cum *Pharaone;* quando vero hæc antiqua ſatis Oneirocritice recentior eſt ſua matre, id eſt, hieroglyphicis & ſymbolicis characteribus; & hi omnem Ægyptiorum ſapientiam continuerunt: efficitur, & hieroglyphica & ſcientias Ægyptiorum ætatem *Joſephi* haud parvo ſuperare. Superarunt itaque *Moſis* quoque tempora; quod, quamvis per ſe clarum ſit, voluit tamen novo Noſter argumento evincere. Judæi, Ægypto exeuntes, cultum idolorum, quem ibi viderant, ſecum efferebant; atqui cultus ille effectus & ſoboles erat hieroglyphices, quippe quæ ideas tam ſubſtantiales, quam modales, ſub ſignis animalium exhibet. Unde colligitur, antiquiſſimos

Æg/-

Digitized by Google

Ægyptios hiſtoriæ animalium & univerſæ Phyſicæ ſtudioſos & peritos fuiſſe. Ex hieroglyphica vero natam eſſe idololatriam beſtialem, evincit eo primo, quod, ut hieroglyphica propria fuit Ægyptiis, ſic & cultus animalium apud aliam nullam gentem, quæ illum non legatur ab Ægyptiis accepiſſe, obſervatur: deinde, quod Ægyptii non animalia tantum, ſed etiam plantas, & entia in genere omnia, in quibus peculiare quid deprehenderent, id eſt, ambitum omnem hieroglyphicæ ſuæ, adorabant; tandem ex eo, quod Ægyptii non tantum totam naturam, qualis ſe conſpectui offert, ſed & imaginaria multa, ex naturalibus mire, ridicule, & abſurde, compoſita, adorabant, quod ſoli debetur ſcripturæ & eruditioni hieroglyphicæ. Quando enim numinis imaginem his, vel illis, virtutibus conſpicuam pingere vellent, deſumebant ex hieroglyphices promtuario diverſas partes diverſorum animalium, virtutum deſignandarum ſymbola. Ultimum, quod urget, argumentum, nam cetera mittimus, hoc eſt, quod Ægyptii nunquam viva animalia, ſed earum tantummodo picturas, adorarint; quod ſolis adſtringendum primis illis *Moſaicis* temporibus. Seculis enim, id eſt, Prophetarum temporibus, gentem illam animalia ipſa divinis honoribus affeciſſe, nimis clare ſacro e Codice patet. Colebant autem hieroglyphicas illas imagines ideo, quod ſacerdotes plebi divinam earum originem & inventionem perſuaſerant; quam eos perſuaſionem ſecundaſſe & foviſſe porro, clare apparet ſecundum Noſtrum ex *Typhoei* gigantumque ficta cum Diis pugna. *Typhoeum* nempe, putat, fuiſſe aliquem *Euhemerum*, ſeu atheum, qui cum, nimis curioſa indagatione Deorum genealogias rimatus, ad eorum originem humanam detegendam proxime acceſſiſſet, ſacerdotes, periculum videntes, ab iſta diſcuſſione ſibi, id eſt, autoritati & ſuperſtitioni ſuæ, imminens, coactos fuiſſe tot & tanta tali diſcuſſioni objicere impedimenta, ſuamque theologiam ignorabilibus animalium formis induere. A *pag. 266* inde orditur eruditam de origine cultus animalium diſſertationem; & opiniones hac de re ceteram inter turbam ſex præcipuas proponit, examinat, & refellit. Prima ſententia de cauſis et origine

Digitized by Google

gine cultus animalis hæc eſt, qua volunt aliqui, quos inter *Cicero* eſt, Ægyptios animalia propter utilitatem, quam ex iis capiebant, conſecraſſe. Alii, ut *Diodorus Siculus*, originem zoolatreias attribuunt ſyſtemati metempſychoſeos, ſeu perſuaſioni Ægyptiorum, animas ſuas a morte in animalium corpora immergi, ſui Dei *Oſiris* animam in taurum *Apin* transiiſſe. Alii zoolatriam ab inventione Ægyptiaca cataſteriſmorum, ſeu conſtellationum, repetunt, ut *Lucianus*. Cultum animalium Ægyptiorum opinioni deberi, qua putabant, Deum omnia implere, autumat *Porphyrius*. Haud multum ab hoc abludit, eundem certe in finem tendit, quod *Jamblichus* affert, animalia nulla alia de cauſa conſecrata eſſe, quam quod ſymbola primæ rerum omnium cauſæ, ſecundum diverſas hujus dotes & relationes, ſeu reſpectus, diverſa, eſſent. Sunt tandem ſexto loco, qui putant, Ægypti aliquem dominum privatis de rationibus politicis cultum animalium ſuis civibus impoſuiſſe. Singulas has opiniones ſingillatim, quod diximus, expendit, quartam et quintam plane rejicit, ut ad rem non pertinentes, et in omnibus in univerſum hoc carpit, quod nimis generales ſint, debuerintque non ſolos Ægyptios, ſed omnes æqualiter nationes, ad cultum animalium permovere, qui tamen Ægyptiis proprius fuiſſe legitur. Primæ itaque opinioni hoc opponit, quod, ſi ea vera reputetur zoolatriæ cauſa, debuerint animalia tantum utilia conſecrari, eaque omnia, non item noxia; multa tamen animalia noxia culta fuiſſe ab Ægyptiis; multa humano generi perquam utilia divinos honores non obtinuiſſe. Debuiſſe quoque per naturam rerum & temporum ordinem, hominumque primorum diætam ſolis herbis conſtantem, plantas multo citius, quam animalia, coli; ſaltem non tardius. Conſtare tamen ex hiſtoria, Ægyptios ab animalium cultu ad cultum plantarum proceſſiſſe; cujus rei ſola ſit et vera ratio, quod ab excuſſa penitus et exhauſta hiſtoria regni animalis Ægyptiaci ſacerdotes, phyſicarum rerum curioſi ſcrutatores, ad cognitionem regni vegetabilis tranſierint. Secundam quoque veram eſſe negat opinionem ideo, quod, quamvis gentes pæne omnes olim ſtatuerint

rint animarum transmigrationem, & Indi hod enum ſtatuant, & majore forſan in honore habeant, quam Ægyptii unquam habuerint, animalia; nunquam tamen illa neque olim conſecraverint, neque hodie conſecrent; &, ſi pauca quædam adorent hodie Indi, quam religionem ab Ægyptiis acceperint, omnia tamen promiſcue non adorent. Porro credebant Ægyptii, ſolas humanas animas in animantium corpora concedere, non item heroum dæmonumve animas, quos tamen ſolos deificabant, non item homines. Ipſa quoque animarum apud animalia diverſatio & habitatio pœna eſt peccatorum & carcer expiatorius in ſyſtemate metempſychoſeos. Subjecta ergo ſic ad pœnas damnata non poterant in objecta venerationis evadere. Syſtema hoc metempſychoſeos tandem multo eſt poſterius zoolatria, quippe quod Ægyptii citius non excogitarunt, quam cum ſpeculativæ Philoſophiæ ſe dediſſent, eumque tantum in finem id excogitarunt, ut objectiones de divina providentia eluderent. Ad tertiam opinionem reponit ſequentia. Quamvis omnes nationes cœlum in conſtellationes ζωώδεις diviſerint, non tamen ideo animalia coluiſſe. Conſtellationum inventionem, quæ procul dubio Ægyptiorum eſt, depromtam fuiſſe a cultu animalium, non vice verſa hunc ab illa. Niſi enim Ægyptii tunc temporis in animalibus numen coluiſſent, cum ſtellis horum nomina figurasque imponebant, concipi ratio nulla poteſt, ob quam ſtellas animalium nominibus & figuris potius, quam heroum aliarumve quarumcunque rerum figuris & nominibus, ſignaverint, ſtellas, quarum formæ & diſpoſitioni perparum & pæne nihil ſimile ſit formæ animalium, ne quidem imaginarium. Concludit ergo, manifeſte originem Ægyptiacam, religionem ſymbolicam, & ſcripturam Ægyptiorum currentem hieroglyphicam cyriologicam in *Zodiaci* ſignis, quibus adhuc dum utimur, & præcipue quidem in ariete, tauro, libra, & urna, deprehendi. Quarta ſi admittatur opinio, deberet omne viſibile objectum ſedes & invitamentum adorationis fuiſſe; atqui conſtat, Ægyptios multa non coluiſſe.

Ttt Potu-

Potuiſſet porro nihil illis horrori & exſecrationi fuiſſe; atqui conſtat, eos multa deteſtatos fuiſſe. Tam magnificæ, qualis hæc eſt, de Deo opiniones non cadunt in vulgum, ſed paucorum fuerunt ſapientium, non Ægyptiorum, ſed Græcorum. Neque latet, quam ob rem excogitata fuerit tota hæc ſubtilitas a Philoſophis paganis, Chriſtianam religionem oppugnantibus. Laborabant enim modis omnibus & fulcris undecunque conquiſitis paganæ ſuæ ruinam ſuffulcire. Quinta ratio, *Jamblichi* ſcilicet illa, eodem tendit, quæ, utut nullo nitatur fundamento, a fanaticis hominibus & Chriſtianæ religionis oſoribus confiċta, fuit tamen a Chriſtianis Philologis avide adoptata. Quare laudandus eſt Anglus, eo, quod illam ſtrenue aggreditur, & ſubvertit, veram originem & proceſſum idololatriæ demonſtrando. Primos nempe homines *νομάδας καὶ μοναστικοὺς* primo loco cœleſtia corpora coluiſſe; dein, ut coiverunt ſocietates politicæ, reges, evergetas, & *οἰκιστὰς*, ſuos in Deorum numerum retuliſſe cum omnibus gentibus etiam Ægyptios. Ex horum ratione hieroglyphica res a Diis geſtas deſcribendi & memoriæ tradendi tandem natum eſſe tertium, & temporis ordine poſtremum, idololatriæ genus, nempe cultum animalem. Falſos igitur eſſe *Voſſium* alioſque, qui tam heroolatriam, quam zoolatriam, pro ſymbolo & ſuccedaneo aſtrolatriæ habuerunt; falſum quoque *Schuckfordum* eſſe, quod cultum animalium antiquiorem heroum cultu perhibet, in errorem ab Iſiaca tabula inductus, in qua, ut ipſe credit, longe antiquiſſima, nulla numina conſpiciantur humanis formis induta. Noſter autem utrumque negat verum eſſe, tam poſterius hoc, in illa tabula homines *ἀποτεθεωμένους* non conſpici; plena enim omnia numinibus ad humanam ſimilitudinem effictis eſſe, quibus & ſacrificia offerant, & alia cultus indicia demonſtrent, adſtantes religioſi: & prius illud, dictam modo tabulam antiquiſſimam eſſe; concludit potius ex ibi picta Iſidis navicula tabulam hanc Romæ demum concinnatam fuiſſe, poſtquam Iſiaca ſacra illuc commigraverant, ideoque monumentorum Ægypti, quotquot hodie ſuperſunt, omnium eſſe recentiſſimum. Refellit porro ejusdem *Schukfordi*

ſordi opinionem, Ægyptios Deorum numero non adſcripſiſſe homines niſi ultimæ & remotiſſimæ antiquitatis, quorum exſtantia quædam præclare facta memoriæ manſerint infixa, & ad poſteros transmiſſa fuerint, eoque majorem famam & admirationem acquiſiverint, quo magis eorum antiquitas increverit: vitia vero & minutæ res, æqualibus quidem notæ et obſervandæ, poſteris vero ignorabiles, in oblivionem abierint. Monſtrat enim, primam mundi ætatem ſuos reges et heroas, a quibus inſignia quædam acceperat beneficia, vivos adhuc et ſpirantes, Deos ſalutaſſe, divinisque coluiſſe honoribus. Ad ſextam denique opinionem obſervat, nihil quidem impedire, quo minus rex aliquis Ægyptius politicis de cauſis uſu quorundam animalium ſuis interdixerit; inde tamen zoolatriam tanquam a vera cauſa repeti non poſſe, cum probabile potius ſit, zoolatriam, antequam talis lex ferretur, jam in uſu fuiſſe, quandoquidem politici non ſoleant novas religiones introducere, ſed dudum receptis in rem ſuam abuti, et principi magis heroum, id eſt, ſui ſimilium, cultus, quam cultus animalium, conducat, multoque ſit difficilius, patrium et priſcum herois cultum abrogare, quam animalis pluriumve cultum nondum aſſuetis eorum venerationi obtrudere.

Hæc ſunt, quæ ex *Warburthoni* libro excerpta, noſtrisque lectoribus, maxime digna judicavimus. Quæ porro *ſecundo* hujus collectionis *Tomo* continentur, quandoquidem jam nimii fuimus, juvat tantum per ſumma capita indicare. Primum quidem opuſculum a *pag. 339* probare vult, textus Samaritani chronologiam præ textu Hebræo probabiliorem in eo eſſe, quod ille tempori, quod a diluvio inde ad *Abrahamum* usque effluxit, annos 1002 attribuit, cum Hebræus tantum 352 habeat; quo ſtante, ſtare nequit, quam *Warburthonus* toto ſuo libro laborioſe demonſtravit, ingens antiquitas ſcientiarum Ægyptiacarum. Alterum opuſculum incipit a *pag. 355*, et exhibet obſervationes de Chronologia Chinenſi; inquirit nempe, num calculus Sinarum conciliari poſſit cum hiſtoria Ægyptica, cum qua calculus Samaritanus ſatis bene congruit. Tertium *pag. 533* agit de prima Sinarum ſcriptura. Colle-

ctionem claudit excerptum ex *Bianchini Hiſtoria Univerſale*, Romæ A. 1697 Italice edita, de obeliſcis, et magno præſertim illo Lateranenſi, a *pag. 599* inde, usque ad *pag. 642*, cui cum *Warburthono* ſatis bene convenit. In fine adjectæ ſunt novæ quædam obſervationes de chronologia et ſcriptura Sinica, tanquam Supplementum.

DISSERTAZIONI TOSCANE INTORNO alle Febbre, etc.

hoc eſt,

DISSERTATIONES TOSCANÆ DE FEBRIbus, per LAURENTIUM GAETANUM FABBRI, Florentinum: Diſſertatio prima de Etymologia vocis Febris; Diſſertatio ſecunda, de definitione Febris.

Florentiæ, 1745, 4.

Plag. 19.

Quibus ad ſcribendum compulſus rationibus fuerit, in Præfatione exponit Clariſſimus *Fabbri*. Sui officii eſſe putat, qua methodo hactenus uſus in curandis febribus fuerit, exponere illis, quorum ſtudia ſuæ curæ tradita habet, artem ſcilicet intra Noſocomium Florentinum exercentibus, ut, licet novum hoc argumentum multis eſſe haud videri poſſit, dignum tamen ſit, in quo doctores artis ſeſe exercere plus magisque debeant, utpote frequentiore, nondumque ſatis, etiamſi tritum eſt ac pervulgatum, elimato, ut non ſuperſint plurima, quæ ſuperaddi poſſint. Deinde, cur patrio ſermone uti in deſcribenda febrium indole maluerit, cauſas adducit, quandoquidem ille ubique receptus et exteris etiam familiaris eſt, quandoquidem etiam alienum a ſapientia haud eſt cenſendum, vernacula uti, qua ipſe *Cicero*, idiomatis Græci haud ignarus, uſus eſt ſine opprobrio. Eo magis autem doctrinam de febribus illuſtrandam ſibi ſumſit, quod videret, variis arbitrariis, de natura Febrium, ſententiis plus induci Medicos per Italiam,

liam, ut pernicioſis, quantum ad febres, medicamentis, mercurialibus maxime, uterentur, dum cœco quodam erga ſectam impetu, temerariis, neutiquam ſalutaribus, auxiliis, morbum, metallicis remediis parum obſequioſum, vellicare auſi ſunt. Uti enim alimenta, ita & medicamenta, principiis corporum accommodata eſſe debent, in quantum corrigendum quid eſt atque immutandum, aut in locum deperditi ſubſtituendum. Adducta in hunc finem antiquorum, maxime *Hippocratis*, fuerunt oracula. In prima Diſſertatione *de Significatu Febris*, et valore, qui in voce eſt, ampliſſima atque argumentis ex omni antiquitate deſumtis locupletiſſima ſcriptione agitur. *Hippocrates*, *calidum* febrem eſſe, dixit, & cauſas ejus in acido, ſalſo, amaro, acerbo, cum calore unitis, ponit. Ignis etiam notione ad ſignificandam Febris indolem *Cous* paſſim utitur, magnas potiſſimum & ardentes Febres hac dictione compellans, veluti ejus Interpres *Galenus* docet. Si ad antiquiſſima tempora recedas, Ebræis etiam Febris ignis dicta eſt; Græca certe vox nihil aliud in viſcere habet, quam quod Febris ignis ſit, caloris naturalis modos excedens, quem ſignificatum Arabes etiam tenuerunt. Quamvis enim ſpiritus ille, qui nos, etiam valentes, pervadit atque animat, ignis paſſim dicatur ab Autoribus, et corporum etiam vegetantium principia, quibus creſcunt, adoleſcunt, fructusque moliuntur, ignis dicatur *Virgilio Æneid. Lib. VI:*

Igneus eſt illis vigor & cæleſtis origo
Seminibus.

Quapropter etiam actiones viſcerum, ventriculi, hepatis, caloris titulo paſſim penes veteres inſigniuntur, veluti *Plutarchus* organorum vitalium efficaciam igneam compellat, & *Cicero de Natura Deorum Lib. II*, omnium corporum naturalium, ipſius etiam maris, motus in calorem abire, docet. Plus tamen ſignificatus in voce ignis, quam in caloris termino, eſt. Quapropter auctior tantum vitalis calor febrium ignis dici poteſt in animali, ad motus humorum impetuoſiores per cauſas varias excitato. Voce tamen, quæ a for-

ma febris, uti calor auctus eſt, penitus recedit, uſi ſunt jam ante *Ciceronis* tempora Latini, & febrem vocaverunt motus iſtos in homine, quibus ejus corpus affligitur, & ſæpe perit. Poſſet tamen in hac dictione aliquid eſſe, quod ad ſignificatum Græcæ vocis redeat, ſi a *fervendo*, vel a *feritate*, morbus diceretur. Sed plurimi, a *februando*, quod purgare eſt, febrem dici, malunt. *Februm* Sabinis *purgamentum* eſt, quod *Varro* habet, & *Feſtus*, quæcunque purgamenti cauſa in ſacrificiis quibusdam adhibita, *Februa*, quodque purgatum eſt, *Februatum*, appellat. Unde & Dea *Febris* quondam Romanis fuit, veluti in marmore legitur:

FEBRI DIVAE FEBRI SANCTAE FEBRI MAGNAE,
CAMILLA AMATA PRO FILIO MALE AFFECTO.

Sed Dea *Februa* aliud idolum eſt, lunaribus fœminarum purgamentis dedicatum. Sic *Pluto* quoque *Februus* dictus eſt, & *Menſis Februarius* a ſacrificiis feralibus, *Plutoni* celebratis, nomen accepit, forte etiam, quod Febres hoc menſe ob aeris inclementiam frequentius eveniunt, & Plutonia regna funeribus augent. Alia forte, cur Febris a februando dicta ſit, ſubeſſe poteſt ratio, dum, corpora febribus purgari, & a majoris cujusdam morbi cauſis liberari, antiquis putatum, uti nunc quoque eſt, fuit. Alienum autem a natura Febrium indiſtincte omnium eſſe, Autor putat, purgare poſſe corpora, cum deſtructiva vis & feralis efficacia inſit plurimis; largitur tamen *pag. 24*, Febres ſua natura beneficas eſſe poſſe, aſt a ſymptomatum gravitate provenire, quod febris homines utique haud juvet, hinc, cum a ſymptomatibus acrioribus febrium natura dependeat, exitialis ſit tunc maxime, ſi eſt ardentior, & viribus hominis ſuperior.

Secunda Diſſertatio de Definitione Febris concepta eſt. Antiquiſſimæ illi, quæ ex *Galeno* ad mentem *Hippocratis* depromta fuit, primus merito aſſignatur locus, quandoquidem illa per plura ſecula ſcholis Medicorum ſuffecit ad indolem hujus morbi declarandum, dum recentium definitiones, & omnes in genere opiniones, pro iſto, quod nunc ubique eſt, novi-

Digitized by Google

novitatis ſtudio, vix per annos durant, quin, quo recentior Autor aliquis eſt, eo etiam ſibi recentiorem ſententiam afferendam eſſe putet. In iſta autem *Galeni* definitione, quæ Febrem deſignat, quod *illa ſit caliditas quædam, præter naturam in totum animal diffuſa, ſin minus, at omnino vel in plurimis partibus, vel in nobiliſſimis, accenſa, & talis quidem, quæ hominem offendat, ejusque actiones lædat*, nihil quidquam eſt, quod naturæ febris haud reſpondeat. Affertur theoria *Galeni* de Febribus, quæ vaſorum oppilationem & ſtricturam, renitentiam viſcerum contra humores, ſimiliter pro forma morbi ponit, ut, præter terminos nunc uſitatos *auctæ reſiſtentiæ contra cor*, & hujus tenoris alios, nihil illi abſit, quod legibus machinæ haud reſpondeat. Comparat etiam quasdam recentiorum definitiones Autor cum illa antiqua, & æquipollentiam, quoad ſenſum, etiamſi voces varient, utrinque declarat. Arabum definitio, quam *Avicenna* ſiſtit, parum diſcrepat: *Febris eſt calor extraneus, accenſus in corde, & procedens ab eo, mediantibus ſpiritu & ſanguine, per arterias & venas in totum corpus cum inflammatione, quæ nocet operationibus naturalibus.* Quamprimum autem diſciplinæ peregrinæ, quas quilibet Autor præoptabat, ad artem applicari cœperunt, medicinæ etiam fundamenta aliter & ex præoptata aliqua opinione conſtrui cœperunt. Cumque Chemia caput efferre inciperet, nihil quidquam in ore docentium tunc, præter *æſtus & fermentationes & ebullitiones & conflictus ſalium*, eſſe cœpit, veluti nunc, ad leges machinæ hominem æſtimantibus, *vectes* ſunt, *trabes*, *fulcra hypomochlia*, *velocitates*, *reſiſtentiæ*. Quapropter mirum non eſt, *Williſio Febrem* eſſe *fermentationem*, ſeu *efferveſcentiam immodicam ſanguinis & humoribus inductam*, ſeu *motum inordinatum ſanguinis, ejusque nimiam efferveſcentiam cum calore & ſiti, aliisque præterea ſymptomatibus, quibus œconomia naturalis varie perturbatur*. Quid mirum, *Laurentium Bellini*, qui inter primos legum mechanicarum ſtatores fuit, Febrem definiviſſe, quod ſit *Vitium ſanguinis in motu*? Et, prouti Mechanicorum ſchola magis invaluit, eo etiam ornatius de Febris natura ſentiri dici-

Digitized by Google

dicique cœptum eſt, ut nunc illa recepta ſit penes plurimos Febris definitio, quam *Boerhavius* dedit, quod ſit *Velocitas cordis aucta illi reſiſtentia.* Clariſſimus *Fabbri*, iſta, quæ omnibus eſt, ſentiendi libertate uſus, ad conflictum elementarium corporis partium, in definitione Febris formanda, reſpicit, eſtque illi *Febris non naturalis contentio contra ipſa principia, componentia humanum corpus, ob aliquam immediatam ſpiritus jacturam, ex qua contentione calor ſit non naturalis, & corporis ejusdem ſanitas & harmonia perturbatur, vel diſſolvitur.* Quodſi *contentio*, & *vis nitens in reſiſtentias*, ipſo conceptu, unum ſunt; hæc etiam definitio inter illas, quarum conceptus ex Machina eſt, ſtare poterit quam commodiſſime.

DE ANTIQUIS LITERIS HEBRÆORUM & Græcorum libellus JO. BAPT. BIANCONI.

Bononiæ, apud Thomam Colli, ex typographia S. Thomæ Aquinatis, 1748, 4 maj.

Plag. 9½.

Pag. 6. Initio ſtatim de conjunctione literarum Ebræarum & Chaldaicarum dicitur, ac ſtatuitur, literas Samaritanas per com-
8. pendium ſcriptoris in formam quadratam eſſe converſas. Laudatam vero conjunctionem eadem familia loquendique ratio confirmat. Dubium quidem movet Autor ex *Gen. XXXI*, 47, ubi vulgatus interpres addit: *uterque juxta proprietatem linguæ ſuæ*, quod tamen ab Ebræo fonte cunctisque reliquis interpretationibus abeſt. Interpretem autem ſuum per paraphraſin
9. addere quædam, notum eſſe ait; ad Ebræum vero contextum quod attineat, fieri facile potuiſſe, ut Ebræi poſteriores illud appoſuerint nomen, aliter a *Moſe* ſcriptum, audacter ſatis
13. exiſtimat. Mutationis ac diverſitatis autem linguarum rationes addit gentium diſperſiones, imperiorum dilatationes, ex eorum diverſis partibus congregationes, captivorum in terras
14. victoris ad publica ſervitia translationes. Exempli loco ſiſti-

tur

tur imperium Babylonicum, in Africam usque ac Hiſpaniam dilatatum. *Joſeph. A. J. X, 11.* Quæ cum ita ſint, nec eſt, cur miremur, *Dan. III, 4, 5*, ſtatim occurrere vocabula quinque originis Græcæ. Nihilo minus, poſt tot Secula, tanta rerum ac nationum in varietate, *Danielis* & *Esdræ* temporibus, lingua Chaldaica, ſeu Babylonica, maximam retinuit Ebræo cum ſermone conjunctionem. Inde differentiam conſtituit Autor inter dialectos & diverſas linguas. Ad priores requirit, ut omnes literæ ſonum utriusque linguæ ac verba referant, neque peculiares altera characteres agnoſcat, quales habet e. g. Ebræus ſermo ץעח, Arabicus *hha* et *aain*, Græcus ϑ, Latinus *q*, ex Pag. 15.
quo capite Latinam etiam atque Italicam linguam conjungit. Ebræorum vero literas usque ad captivitatem Babylonicam eas fuiſſe putat, quæ nunc Samaritanæ dicuntur, id quod, ipſo judice, fortaſſe nemo ſit hæc ætate, qui neget. Eas autem Chaldæis & Babyloniis fuiſſe communes, colligit ex *Joſephi A. J. XI, 1*, ubi *Cyrus Jeſaiæ* vaticinium legiſſe dicitur, quaſi vero linguam addidiciſſe, aut interprete, vel interpretatione, uſus fuiſſe, non potuerit. Eadem facilitate contendit, tunc 17.
nondum inventa fuiſſe puncta vocalia, neminemque legere potuiſſe, quin de ſuo vocales conſonantibus adderet, easque neminem addere valuiſſe, quin eodem tempore ſcripturæ ſententiam intelligeret. Quæ cum ita ſint, qua, quæſumus, ratione breviores epiſtolas & alias conſcriptiones ignotas & novas intelligere ſubinde potuerunt? Magis cum ratione verſa- 22.
tur, ubi, Ebræos duplicem ſcripturæ modum habuiſſe, alterum, quo domi ad res ſacras & civiles, alterum, quo foris ad commercium cum ceteris gentibus, uterentur, nihili eſſe arbitratur, & a Judæorum magiſtris confictum. Verior etiam aſſertio 24.
eſt, Tyrios quidem ſuis & Græcis literis pecuniam ſignaſſe, ſuis item atque Græcis Sidonios, Siracuſanos ſuas & Carthaginienſes aliquando adhibuiſſe, ſuas & externas ſubinde Romanos et Hiſpanos, ſuas & Latinas uſurpaſſe Græcos recentiores, ſunt enim notiſſimi numi bilingues, numum vero Judaicum, qui duo literarum habeat genera, vi- 25.
diſſe forte neminem. Sed ad propoſitum redeamus. De li-

 teris

Digitized by Google

teris quadratis ita cenſet *Bianconi*. Cum Ebræus populus, a
ceteris nationibus ſegregatus, ſub poſterioribus regibus ſibi vi-
veret, in lege ſacriſque codicibus volutandis negligentius eum
egiſſe, nonnulla teſtantur. Poſt captivitatem autem Babylo-
nicam, dum Phariſæorum ſecta notitiam divinarum rerum
exquiſitiorem profitebatur, multiplicatis ſcribis, ex uſu ſcri-
bendi quotidiano factum eſt, ut veteres characteres, qui ple-
rumque non uno, vel altero, calami ductu conſtant, paululum
immutarentur, & ad ſimpliciorem formam redigerentur, do-
Pag. 26. nec literæ, quas nunc habent Ebræi, naſcerentur. Quemad-
modum poſteriores Judæi ex quadratis literis, quas appella-
mus, *Rabbinicas* effecerunt. Aſſerit hæc, quaſi tunc vixiſſet,
neque tamen niſi ex ſiclis, quos forte vidit, ſe ſapuiſſe profi-
tetur. Quæ ſi quidem ſufficiens eſt ſapientia ad infringen-
dam divinam, eandem recipientes ſuo ſenſu abundare facile
patiemur. Nos certe non videmus, qua ratione, qui cenſet,
nomen divinum *τετραγράμματον* quo minus hac nova ſcri-
ptura veluti profanarent, religione ſe quadam teneri putaſſe
Judæos, eodem loco credere poſſit, eosdem totum divinum
verbum ita veluti profanaſſe, idque conſcientia facti motos,
27. autoritatis ergo & excuſationis, *Esdræ* fraudulenter tribuiſſe,
33. licet publice non receperint. Sed ad alteram tractationem de
34. literis Græcis progredimur. Aſſert hic Autor autoritatem numo-
rum, liceat fateatur, veterum monumentorum ſtudioſos negare,
numos majoris antiquitatis adeſſe, quam *Amyntæ*, Macedonum
regis, quem nonnulli *Cambyſi* & *Dario*, *Hyſtaſpis* filio, æqua-
lem putant, & Olympiade LXIX fato eſſe functum, id eſt, ab
U. C. CCLIV, quod *Euſebius* in *Chronico* dicit, cum tamen in
35 ſeq. Seculum ſequens ejus tempora rejiciant alii. Inter ipſos numos
eſt maxime Zanclæ cuſus, quod antiquius Meſſanæ nomen
erat. Qua occaſione dum antiquiſſimas Siculorum laudes
37. Autor enarrat, eodem refert eloquentiam *Gorgiæ*, ac *Tiſiæ*,
Leontinorum, quos cum apud ſe publice locutos audiviſſent
Athenienſes, jam tum ingenioſi & eloquentiæ dediti, obſtu-
44. puiſſe dicuntur. Zanclæ nomen in numo exprimitur
DANKVE, unde, poſt longam inquiſitionem, ad hiſtoriam
illius

illius urbis ſpectantem, de origine literæ Z diſputatur, quæ neo apud veteres Græcos exſtitiſſe dicitur, ut jam *Plinius* memorat; ut &, *Priſciano* teſte, Latini veteres eadem caruere: ſcripſerunt enim *Medentius* pro *Mezentius*. Videtur autem primum a ſimplici D cœpiſſe diſcerni præpoſito Σ, ut in numo Trœzeniorum ΣΔΕΥΣ ΕΛΕΥΘΕΡΙΟΣ, (vid. *Goltz. Græc. Tab. 10,*) deinde expreſſa fuiſſe per veterem figuram literæ Σ, qualem videmus in inſcriptione *Sigæa* & *Bimardiana*, & tanquam novam literam ceteris acceſſiſſe. A ſono ejusdem literæ Σ non multum abſuit, quod probant illa ΖΜΥΡΝΑΙΩΝ in numo Smyrnæorum, ΚΟΖΜω in celebri inſcriptione Palmyrena, &c. Et viciſſim in alio numo eſt pro Κλαζομένη, ΚΛΑΣΟΜΕΝΗ, (*Wilde Tab. 25,*) Ψ ex Π & Σ colligatum dicitur, & ſic porro. Generatim vero, quamvis Phœniciæ literæ, quæ hodie occurrunt in numis Tyri & Sidonis, diſcrepent multum ab Ebræis, ſub nomine Syrorum apud *Plin. H. N. VII, 56,* latentibus, credendum eſt, mutatas eſſe lapſu temporis, quemadmodum Samaritanæ mutatæ eſſe deprehenduntur, cum tamen communis opinio ſit, etiam Samaritanos uſos eſſe antiquis literis Ebræorum, quas ipſe antea Samaritanas vocarat. Sedecim literæ dicuntur in Græciam initio illatæ, totidemque tunc Ebræorum fuiſſe, putat Noſter. Cum nemo ſex literas תטכסע paulisper attendat, quin intelligat, ſine his ipſis Ebræorum ſermonem exprimi potuiſſe, tantumque adjectas eſſe plenioris ſoni gratia. Viginti literas habent, qui marmor Sigæum, prius a *Chiſul*, hinc a *Bimardio* in *Theſ. nov. inſcript.* Mediolani editum, vel aliud athletæ veteris, itidem a *Bimardio* publici juris factum, inſcripſerunt, ſi Autoris fide diſceptatur. Inſcriptiones *Nointelii* Athenienſes exarantur una et viginti, *Tzetzes Chil. XII Carm. 398* primo ſedecim, mox undeviginti, tum XXII, denique XXIV, exſtitiſſe, memorat. Sic a Græciæ populis variatum eſt, ut alii plures, pauciores alii, literas adhiberent. Joves quique ipſis annumerabantur. Samii omnium primi XXIV literis uſi fuerunt, (*Suid.* voc. Σαμίων ὁ δῆμος) Athenienſes omnium poſtremi, Olympiade XCIV, Archonte *Euclide*. *Nointeliana* enim inſcriptio, non

Pag. 45.

46.

47.

non ante Olympiadem LXXX exarata, caret Ξ, Ψ, & Ω, cum tamen hæc vocalis ſit in numis *Gelonis*, & Ψ in antiquioribus
Pag. 51. Selinuntiorum. Neque eædem omnium Græcorum literæ. Cadmeas magna ex parte ſimiles Ionicis dicit *Herodotus Lib. V n. 59.* Peculiares ſuas literas veteres habuerunt Attici. Vid. *Pauſan. Eliac.* Atticorum figuras veteres illas eſſe judicat, quæ in lapide Sigæo conſpiciantur, recentiores, quæ in *Nointeliano.* Athenienſes enim diu Sigæum tenuerunt. Ionicorum videntur, quæ poſtea Græcorum omnium fuerunt, quæque præ ceteris maxime accommodatæ viſæ vario verborum ſono exprimendo, ab antiquiſſimis quibusque Græcorum literatis ac ſcriptoribus uſurpatæ. Pelasgicæ literæ ipſis Doribus aſſignandæ videntur. Ceteris enim Græcis primum in Hellanicos, &, pacata jam Græcia, & latrocinandi more ſublato, in Atticos, Ionas, cet. commutatis, antiquum nomen Pelasgicum iis relictum eſt, in Peloponneſum qui rediere, ubi *Pelasgus* olim regnarat, ibique Dores cognominati ſunt; cumque rudiores eſſent, quales Arcades, Lacedæmonii, Achæi, cet. facilius inſtituta vetera ſervaverunt. Hinc factum eſſe, ut Siculi & Itali, qui Dorum, *Thucydide* teſte, coloni erant, formas antiquiſſimas literarum haberent, in eorum literis quæ con-
59. ſpiciuntur. Ceterum, ipſis Ebræorum, ſeu Phœnicum, literis uſos eſſe Græcos, contendit: quippe quæ *Herodoti* ætate in
60. Bæotia exſtiterint, in Atticam ſimiliter delatæ: immo plurimis
63. ab hominibus adhibitæ communes. Hinc & eodem de fonte
67. literas Etruſcas *Bianconi* derivat, ut reliqua ſileamus.

ORIGINE DELL' USO DI SALUTARE QUANdo ſi ſtarnuta, Diſcurſo &c.

id eſt,

ORIGO CONSUETUDINIS SALUTANDI, quando ſternutatur, Diſcurſus ad Excellentiſſimos Principes D. URBANUM & CAROLUM BARBERINOS, a SIMONE BALLERINI, Legum Doctore & Cuſtode Bibliothecæ excellentiſſimæ hujus domus.

Romæ, ex typographia di Pallade, 1747, 8.

Plag. 3.

Doctiſ-

Doctiſſimus Autor, in quo præſtantiſſimum ingenium cum ætate florentiſſima conjunctum eſt, dignum ac jucundum argumentum pertractandum hac Commentatione ſibi propoſuit, inductus potiſſimum diebus feſtis Bacchanaliorum, qui, uti variis voluptatibus Romæ & in aliis Italiæ urbibus tranſiguntur, ac quivis amicis ſuis modo hæc, modo illa, oblectamenta parare ſtudet, ita & ſibi hoc officium impoſitum eſſe exiſtimavit, quod laudabili inſtituto ita perſolvere ſecum conſtituit, ut iis, qui ipſi bene cupiunt, ingenii quoddam pabulum præberet, atque elegantem hanc Diſſertationem, animi eorum recreandi cauſa, in lucem emitteret.

Miſſis iis, quæ de iſto antiquo ritu *Alexander ab Alexandro* Pag. 6.
& *Lud. Septalius* commemorarunt, ea examinat doctiſſimus
Autor, quæ hac de re *Fam. Strada* & *Morinus* tradiderunt:
ille quidem in *Proluſionibus academicis*; hic vero in *Memoriis*
Academiæ regiæ Inſcription. Menſ. Decembris A. 1712. Re-
cenſet ex *Morino* atque *Strada* ſatis cognitam de *Prometheo* 7.
fabulam, & quæ Poetæ de formato ab hoc artifice homine, 10.
ejusque ſternutatione, tanquam vitæ primæ ſigno, finxerunt,
cumque, ad hiſtoriæ hujus ſimilitudinem, narrationem, quæ 17.
2 Reg. IV, 35, de *Eliſa* ad priſtinam vitam reducto legitur,
accedere ſibi perſuadet *Morinus*, obſervat doctiſſimus Autor,
ſternutationem illam pueri, ſepties repetitam, non tanquam
vitæ recuperatæ ſignum ſpectandam, ſed ex aliis cauſis phyſicis 18.
deducendam eſſe, cum ſacri ſcriptores & alia exempla de mor-
tuis, qui ad vitam redierunt, commemorent, eorum tamen 19.
ſternutationis ne ullo quidem verbo mentionem faciant. Ad-
dit porro, vocem ipſam Ebraicam, loco memorato ſacrarum
tabularum uſurpatam, ita eſſe comparatam, ut non certo ex
illa hæc pueri ſternutatio evinci ac probari poſſit. In Rabbi- 20.
norum ſcriptis itidem de origine antiqui hujus ritus quædam
relata legimus, a *Morino* repetita; quæ tamen ad fabularum
cenſum referri debent. Fingunt, numen ſupremum poſt mun- 21.
dum creatum ſeptem edidiſſe miracula, inter iſta etiam illud,
quod Deus, cum antea ſternutatio indubitatum mortis impro-
viſæ ac ſubitæ ſignum eſſet, ac omnes homines hoc modo e
vita migrarent, precibus *Jacobi* patriarchæ dederit locum, ac,

abolita lege ante ſancita, effecerit, ut ſternutatio *Jacobo* non
mortem, ſed morbum ſolummodo, &, hoc ſuperato, priſtinam
valetudinem, conciliaret. Ex hac narratione doctores Judæi
conſuetudinem, qua alter alteri ſternutanti ſanitatem precatur,
Pag. 22. derivandam eſſe, cenſent, quam maxime futilem eſſe, Autor
noſter ex iis, quæ de nonnullis aliis miraculis commemorantur, & quæ aperte falſa ſunt, demonſtrat, ac per id ſibi occa-
24. ſionem facit, quædam de effato *Geneſ. XV, 7, ego ſum, qui eduxi te ex Ur Chaldæorum*, diſſerendi. Accedit deinde ad in-
26. veſtigandam ritus hujus antiquitatem inter Chriſtianos homines, ac memorat, quæ de ejus origine temporibus S. *Gregorii*, deque graviſſimo ac peſtifero morbo, quo infecti inter ſternutandum animam efflabant, amici vero ſternutantibus ſalutem precando præſidium quærebant, narrantur. Atque, conſue-
28. tudinem iſtam, ſternutantes ſalutandi, anno Chriſtiano 590 primum introductam eſſe, ex *Sigonio* obſervat; non tamen negat, ritum hunc inter paganos homines multis ante Seculis floruiſſe, non ſolum apud Græcos, ut ex ipſo *Ariſtotele* & Epi-
29. grammate antiquo maxime lepido patet, ſed etiam apud Ro-
30. manos, quam in rem *Plinium, Petronium*, atque *Apulejum*, te-
32. ſtes advocat. Quid? quod & apud Aſiæ atque Americæ gentes,
33. adeoque in ultimis quaſi terris ritus hic in uſum adductus fuerit, ut ibidem oſtenditur.

35. Inprimis vero quæſtionem inſtituit Autor: ex quibus potiſſimum fontibus deducenda ſit univerſalis illa & apud omnes gentes recepta conſuetudo, utrum ea ex cauſis phyſicis ſit ar-
39. ceſſenda, an a ſuperſtitione potius debeat derivari. *Morinus* priori favet ſententiæ; noſter vero Autor poſteriori, quam ex eo ſtabiliri poſſe perhibet, quod nunquam non honorifice & ſumma cum veneratione de ſternutatione gentes, verorum ſacrorum expertes, ſint locutæ, eamque ad auguriorum genera retulerint, atque ad minima in ſternutatione momenta, ut in auguriis fieri ſolebat, animum adverterint, id quod ex *Ariſtotele* ac *Plutarcho* monſtrat: duo effata, alterum ex *Catullo*, al-
45. terum ex *Ovidio*, illuſtrat, remque ipſam variis exemplis, ex *Homero* ac *Herodoto* petitis, comprobat. Adjungit his nonnullas obſervationes, quæ ad maxime ſuperſtitioſos ac riſu dignos antiquo-

Digitized by Google

ſiquorum propter ſternutationem ritus ſpectant. Ita ex *Plinio*, hiſtoriæ naturalis ſcriptore, patet, jam remotos de menſa cibos, cum quis ſternutaverit, de novo allatos, ac de iis guſtatum fuiſſe, ne ſternutamentum triſte quid nuntiaret. Similem lepidam ſuperſtitionem refert *Auguſtinus*, & plures *Auguſtinus Niphus* ſuo *de Auguriis* libro, quæ a noſtro Autore intactæ relinquuntur. Pag. 49. 50.

Atque hanc ſuperſtitioſam, de ominibus ſternutationum, perſuaſionem originem primam, ſalutandi ſternutantes, dediſſe, autumat doctiſſimus *Ballerini*, opinionisque ſuæ hanc ſatis probabilem cauſam addit, quod, cum dubia plurimam partem ſternutatio fuiſſet, utrum illa lætum, an triſte, præſagium afferret, amici hanc ob cauſam fauſta quævis ſternutantibus precari ſoliti fuerint. Hæc conſuetudo quamvis ſuperſtitioſo niteretur fundamento, eamque, uti reliqua auguria, riderent ſapientiores; attamen, ad iſtam eos ſeſe, plebis cauſa, ne impii viderentur, accommodaſſe, non ſine probabilitatis ſpecie affirmari poteſt. 51. 53.

JO. GOTTLOB BOEHMII, A. M. CARMINUM Latinorum Specimen.

Lipſiæ, ex officina Langenhemiana, 8 maj. Plag. 4½.

Clariſſimus iſte Poeta, & aliis pariter conſcriptionibus editis inclutus, poſteaquam in illuſtri ſchola Portenſi, feliciore Muſarum atque antiquæ Poeſis altrice, jam diſcipulus elegantiorum literarum & carminis haud ſpernendam facultatem oſtenderat, eandemque, præter Juris ac Philoſophiæ ſtudium, in Academia noſtra perfecerat, illuſtriſſimo Comiti *Jo. Adolpho a Loſs* ſtudiorum Academicorum moderator & comes huc usque fuit. Habuit igitur, cur huic ipſi præſertim ſpecimen hocce Carminum dedicaret & commendaret. Commendavit autem toti ſimul rei publicæ literariæ, quæ, dum ex ungue leonem agnoſcit, non poterit non rependere plauſum, gratiam, congratulationem. Inprimis quinque generum Carmina hic legimus, cujusvis genio accommodatiſſimorum, heroici, elegiaci, Sapphici, Alcaici, hendecaſyllabi. Heroa ſunt Illuſtriſſ. *Henr.* Comiti *a Brühl*, Amicorum Regis Principi, æternæ Comitis *Manteuffelii* memoriæ, Ill. *Chriſt. ab Loſs* tranſeunti, filio ejus ex ruſticatione paululum ægrotanti, Ill. Comiti a

Digitized by Google

ti *a Moſczynsky*, ſacra; elegiaca dedicantur Illuſtriſſ. *Ern. Chriſtophori* Comitis *a Manteuffel* piis manibus, genio benefico *Chriſt.* Comitis *ab Loſs*, Comitis conſiſtoriani, eidem Cal. Januariis, ejusdem genio die natali, Comiti conſiſtoriali *ab Holzendorf*, juveni Comiti *ab Loſs*, generoſiſſimo *Jo. Rud. ab Kieſewetter*, in villa ſua ruſticanti, *Jo. Wendel. Neuhaus*, recens creato J. U. Doctori, *Chriſtiani Neuhauſii* fato poſtremo, & aliis; ſapphica inſcribuntur *Chriſt.* Comiti *a Loſs*, ὀνομαστήρια celebranti, eidem alio tempore, & roſæ florum decori; alcaica ſunt tria, quo ſupremos in doctrina ſanctiore honores nomine alieno gratulatur S V. *Rom. Tellero*, quo *Marchio* & *Linckiæ* nuptias, & quo ſupremos in Jure honores *Neuhauſio*, jam laudato; phalecia denique tangunt *Chriſt.* Comitis *ab Loſs* natalem, filii ejusdem natalem, perilluſtr. L. B. *a* Z**, Clariſſ. *K*** A. M. atque alios amicos, ut & ſuum ipſius *Catullum*, cum eum ex munificentia Mæcenatis numo aureo gravem in muſeo reperiret. Hujus Poetæ genium in extremis illis Carminibus elegantiſſime profecto, neque caſte minus, exprimit. Nos autem præſertim primorum generum ſpecimina tenent. Quod initium facit omnium de hortulis, ac Bibliotheca, Dresdæ palatio *Bruhliano* contiguis, cum Cel. *Chriſtio* ἀνωνύμως mitteret Noſter emendandum, id ille pro humanitate ſua et literis ad Autorem honorificis, & accuratiſſima correctione, comitatus eſt; quas utrasque gratiſſimus *Behmius* ſimul publici facit juris, & ſtatim ſubjungit. Aliis relinquimus utriusque collationem ac dijudicationem, ad breviora elegiaci Carminis ſpecimina properantes. Alterum Illuſtr. *Menckenii* noſtri Carminibus inſigne teſtimonium præbet, ſequentibus verbis:

En! tibi Menckeniæ *cultiſſima Carmina Muſa,*
Carmina Romani ſic cecinere viri.
Hæc nos delectant vacuos: his utere mecum;
Et mecum Clario dic bene, amice, choro.

Alterum interpretationem habet Epigrammatis Græci, cujus elegantiam ac vim jam expoſuit *Bouhours dans la Maniere de bien penſer pag. 156* edit. 1739. Verba ſunt:

Τέσσαρες αἱ Χάριτες, Παφίαι δύο, καὶ δέκα Μοῦσαι.
Τερψυλὶς ἐν πάσαις, Μοῦσα, Χάρις, Παφίη.

Actius Sannazarius ad *Caſſandram* Marcheſiam *Carm. Lib. III Epigramm.* 2 ſic expreſſit:

Quarta Charis, decima es mihi Pieris, altera Cypris,
Caſſandra, una choris addita diva tribus.

Noſter ita vertit:

Bina Venus; Charites quatuor; bis quinque Camenæ:
Omnia Dercyllis, Gratia, Muſa, Venus.

Ut & de Sapphicis vel quidquam proferamus, Clariſſ. *Behmio* vovemus, ut porro experiatur, quod Celſiſſimo Comiti *a Loſs* ſibique precatus eſt:

Sis diu felix, patriæque longum
Otium præſtes, & amica noſtris,
Docte Mæcenas, duce te, revertant
Tempora Muſis!

* * *

Digitized by Google

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Septembris Anno MDCCL.

Pars II.

FRID. HOFFMANNI, CONSIL. REG. BORUSS. Intimi & Archiatri, Prof. Med. Prim. in Acad. Halenſi, Operum omnium Phyſico-Medicorum Supplementum, in duas Partes diſtributum, quibus continentur opera varia, quæ in magna Operum collectione deſiderantur.

Pars I & II.

Genevæ, apud fratres de Tournes, 1749, fol.
Pars I Alph. 3 plag. 6, Pars II Alph. 5 plag. 2.

Licet ſæpius jam ſcriptorum *Hoffmannianorum* noſtris in Annalibus cum ſumma, quam ad unum omnia merentur, laude mentio facta fuerit; nec nunc tamen ſine voluptate eorum, qui adhuc deſiderabantur, Tractatuum commendamus Supplementum, celebri Genevenſi additum editioni. Triplicis autem generis ſunt in hoc Opere contenta ſcripta, quorum alii genuini & veri magni Autoris fœtus, alii ſpurii, appellari poſſunt. Priores enim pro ſuis ubique habuit & agnovit Cel. *Hoffmannus*; poſteriores vero, ab aliis editi, incomti adhuc, nec ſatis limati, aliorum forte, minus recte intellecta Autoris ſententia, opinionibus conſpurcati,

prodierunt. Tertium tandem genus eas complectitur Commentationes, quæ ſecundum mentem regulasque *Hoffmanni* exaratæ fuerunt. Uberiorem omnium ſcriptorum hic addere explanationem, ſupervacaneum eſſe videtur, quippe quæ in omnium, qui, in arte medica ſe aliquid ſcire, profitentur, verſantur manibus. *Prima* itaque hujus Supplementi *Pars* ſequentes continet Tractatus: Exercitationem de optima philoſophandi ratione ex ſolertiori Dei, ejusque admirabilium in natura operum, & præcipue ex ipſius hominis, cognitione petenda, ad divinæ majeſtatis gloriam manifeſtandam, & pietatem promovendam. Accedunt huic ἀμοιβαῖαι quædam, *Leibnitium* inter atque *Hoffmannum* ſcriptæ, Epiſtolæ, quibus varii generis phyſicæ obſervationes explanantur. Subſequuntur has duæ phyſico-theologicæ Diſſertationes, quarum altera officium boni Theologi ex idea boni Medici, altera vero ſummam religionis Chriſtianæ, tradit. Tandem hic inſerta habentur *Petri Poterii* Opera omnia practica & chymica, cum annotationibus Cel. *Hoffmanni*, qui liber, cum & per ſe varia contineat, ad intimiorem Chymiæ cognitionem pertinentia, per *Hoffmannianas* autem animadverſiones omnibus redditus fuerit utilis, merito inter ſcripta ejus locum occupat. Adjecit huic Cel. Commentator novam de febribus ex principiis mechanicis doctrinam. *Secunda Pars* primo loco tres & viginti Diſſertationes exhibet: 1) Proponit fundamenta Medicinæ ex principiis naturæ mechanicis, qui liber in variis Academiis tam avide exceptus fuit, ut publicæ in eum inſtituerentur eruditiſſimorum virorum lectiones; 2) agit de diætæ vitio, multorum morborum cauſa; 3) de motu, optima corporis medicina; 4) de fumo carbonum noxio, quandoque lethali; 5) de uſu & abuſu pulverum ſternutatoriorum; 6) de mirabili ſulphuris Antimonii fixati efficacia in medicina; 7) de ſpecificis antiſpaſmodicis; 8) de purgantibus minus cognitis & ſelectioribus; 9) de vomitoriorum cauto & præſtantiſſimo uſu; 10) de balſamo Peruviano; 11) de terebinthina; 12) de millefolio; 13) de cinnabari Antimonii, ejusque eximiis viribus; 14) de peſtis origine & natura; 15) de peſte, ejusdemque curandæ

randæ ratione; 16) de pleuritide & peripnevmonia; 17) de perverſis de Medicis & Medicina judiciis; 18) de morbis oculorum præcipuis, eorumque recta medendi ratione; 19) de læſionibus externis, abortivis, venenis ac philtris; 20) de vera perpetui mobilis in homine vivo idea; 21) de acido vitrioli vinoſo; 22) de ſtudio medico recte pertractando, et ejus probatiſſimis Autoribus. Hæc Præfationis loco *Conringii* Introductioni in artem medicam præmiſſa legitur. Deinde illa leguntur *Hoffmanni* ſcripta, quæ ſpuria vocari poſſe, ſupra monuimus, quo pertinet Medicus politicus, qui, ex iis, quæ in lectionibus ſuis propoſuerat Cel. Autor, conflatus & conſcriptus, præfixo ejus nomine ſæpius fuit excuſus. Subſequitur Commentarius de differentia inter *Hoffmanni* doctrinam medico-mechanicam et *G. E. Stablii* medico-organicam. Opus hoc, cum ad manus forte perveniret *Salentini Ernesti Eugenii Cohauſen*, Medici Trevirenſis, editum ab eo fuit, &, quantum inter ſe differant acutiſſimi utriusque Medici doctrinæ, perſpicue manifeſtat. Tandem adjicitur] *E. Anton. Nicolai* Methodus concinnandi formulas medicamentorum, quibus *Büchnerus*, et ipſe Medicus Halenſis, ſyllabum addidit materiæ medicæ. Prior nimirum, cum longo temporis ſpatio Cel. *Hoffmanno* in facienda medicina opitularetur, qua ratione in componendis formulis agendum ſit, ab eo accepit, plura vero & ipſe emendavit. Editores autem hujus Supplementi & in poſterum, ſi quid ſe offerat ſcriptorum *Hoffmanniorum*, quod præter ſpem hic fuerit prætermiſſum, ſe additúros eſſe, pollicentur.

Erklärung des Neuen Teſtaments, ꝛc.

id eſt,

D. CHRISTOPHORI AUGUSTI HEUMANNI Commentarius in Novum Teſtamentum. Pars I, in res a Chriſto geſtas, & ſecundum Matthæum & Marcum delineatas.

Hannoveræ, in Bibliopolio aulico Nic. Fœrſteri et filii Hæredum, 1750, 8.
Alph. 2 plag. 4.

Quod in *Præfatione Verſionis* ſuæ *Teutonicæ N. Teſtamenti* promiſerat Celeberrimus Autor, & cujus magna adhuc inter Theologos fuit exſpectatio, id larga manu nunc exhibere incipit, Obſervationum ſuarum in Novum Teſtamentum, per multorum annorum feriem collectarum, & improbo labore conſcriptarum, patrio ſermone in lucem emittens Volumen. Duo ſunt in Præfatione præſentis libelli notatu digna. Alterum pertinere juſſit Autor ad univerſi laboris hujus exgetici explicandam rationem; alterum ad defenſionem ſui contra non nominatum quendam impugnatorem Verſionis ſuæ Germanicæ Novi Teſtamenti. De priori tamen, nihil eſt, quod amplius moneamus, præter id, quod Summe Venerabilis Autor in omnes Novi Fœderis libros perpetuum Commentarium per partes emittere conſtituerit, & quidem ſermone Germanico, ut communior ſit laboris ſui in Germania uſus. Hic ſuas, ante multis annis jam inſtitutas, & ſucceſſu temporis amplificatas, meditationes, repetitas, dijudicatas, atque luculentius compoſitas, in medium profert; quin & ſuos, in Nov. Teſt. publice jam propoſitos, labores revolvit, &, non ſine graviori cenſura dimiſſos, ſuis locis interponit, ne plurimi lectores tanto diligentiæ Autoris priventur fructu, quibus magna librorum ſupellex non ſuppetit, ut inde Cel. Autoris colligere poſſint *miſcellaneas* Obſervationes. Denique illud etiam profitetur, ſe excellentiſſimos quosque ad laboris ſui partes vocaſſe ſcriptores, nullique operæ peperciſſe, ut diligentia ſua omnibus comprobaretur. De altero Præfationis momento id modo commemoramus, Cel. Autorem ibi in Cenſorem quendam invehi, cujus animadverſiones in Verſionem *Heumannianam* Novi Teſt. in *Collectione ad Hiſtoriam eccleſiaſticam et theologicam eruditionem,* patrio ſermone conſcriptæ, leguntur. Intacta relinquimus omnia, quandoquidem, ex judicio noſtro, nec *Heumanno*, nec ejus *Cenſori*, per omnia ſuffragium dare licet. Initium potius facere libet, ſpecimina quaedam obſervationum Lectoribus exhibendi, ut inde de eo, quantum præſtite-

ſtiterit Cel. Autor, ipſi facere judicium poſſint. In prima ſtatim hærebimus animadverſione, ad *verſ. 1 Cap. V Matth.* propoſita, ubi ſuam *Heumannus* tuetur verſionem, βίβλος γενέσεως Pag. 2.
reddens *librum hiſtoriæ Jeſu Chriſti*. Hæc niſi vera eſſet ſententia, *Matthæum* utique putat ſcripturum fuiſſe: *Jeſus Chriſtus erat filius Davidis: & hic erat filius Abrahami*; quin etiam *verſiculo 18* novum titulum præpoſiturum fuiſſe. Sed, duabus his rationibus, neſcimus, an multum adeo ineſſe roboris putandum ſit. Nam divinus ſcriptor omnino in excitato *verſiculo* novam rem novo nomine deſignat, de *nativitate* Chriſti de induſtria indicem proponens: prior vero ratio ſubtilior eſt, quam vera. Quodſi enim βίβλος γενέσεως etiam aliam habet ſignificationem, nempe *genealogiæ Jeſu Chriſti*, recte ſequitur, in enarratione genealogica Chriſtum fuiſſe *filium Davidis*, & *Abrahami*. Hæc duo momenta erant primaria in demonſtranda gente Meſſiæ. Provocat quidem amplius
ad Hebraicam rationem dicendi, inprimis ad *Geneſeos V*, 2.
1, quod & alii ante Autorem fecerunt noſtrum; ſed hoc primo longius eſt petitum, quam par eſt: deinde notio γενέσεως, in libris Nov. Teſt. obvia, plane deſeritur, denique nihil aliud ibi deprehendimus in *Moſe*, quam *genealogiam Adamiticam* ad *Noachi* usque filios. Hinc inconſultum plane, & multis ex rationibus temerarium, videretur, notionem *hiſtoriæ* ibi adſtruere. Cui quidem rei hæc pagina non ſacrata eſt. Hinc in allatis rationibus, pro communiori ſententia militantibus, perſtat optime ſententia plurimorum interpretum. *Verſiculo 19 Verſionem* ſuam *Teutonicam* defen-
dens Autor, non dubitat, mulierem *a ſe clam dimittere*, & *repudiare*, unum eſſe idemque, quod tamen nec Latina, nec Germanica, fert loquendi ratio. Ipſa Græci ſermonis forma id infert *verſ. 19, 20. Joſephum* conſilium iniiſſe, in fugam ſe dandi, & *Mariam* deſerendi. Hinc verſio recte ſe non habet, aliam in ſententiam inclinans. Somnium *Magorum* 13. divinum fuiſſe, inde conſtabat inter eos, quia omnes ac ſinguli idem ſomniaverant, quod ſine divina quadam directione fieri non potuiſſe, Noſter monet. Verba prophetica *verſ.* 14.
15, ut & *Cap. VIII, 17*, pro nuda habet accommodatione

 Autor,

Autor, ubi idem contigerit, quod ex alio ſenſu ſecundum ver-
Pag. 17. ba Prophetæ contigerat. Ad *Cap. III, 4*, breviſſimis monet,
Joannem veſtitu tenuiſſimo fuiſſe uſum, eodemque victu.
Utrumque *Matthæum* ſibi velle, ubi deſcriptionem hujus rei
ſuppeditet. Miramur tamen recte, *Heumannum* concedere uti-
que, mel ex arboribus ſylveſtribus defluxiſſe, quod *Joanni* uſui
cedebat, et tamen vertiſſe: *Feld-Honig*, id eſt, *mel agreſte*;
quod tamen potius *Wald-Honig*, ex ipſius explicatione, ſeu
mel ſylveſtre, eſſet convertendum. Operoſius eodem in loco,
etſi ὡς ἐν παρόδῳ, locum *Luc. VII, 33*, exponit Autor, ubi
Joannes μήτε ἄρτον ἐσθίων κ. τ. λ. dicitur. Urget hic No-
ſter, ſententiam *Lucæ* eſſe: *Joannem* non ſtatuta hora *recu-
buiſſe, & juſtam cibi conſumſiſſe partem.* Vernaculo ſermone ſcri-
bit: *Sich zu rechter Zeit an den Tiſch ſetzen, und eine ſeine Mahl-
zeit mit halten.* Sed plane repugnat uſus. *Lucas* nihil aliud
ſibi vult, quam *Joannem* cibo ſolito, ſcilicet *pane*, non fuiſſe
18. uſum in deſerto, nec *vino*, ſed *aqua*. Hæc veriſſima eſt
ſententia divini Autoris, quo et Autor ſub finem hujus ob-
ſervationis ſuam inclinat diſputationem. Et quid? numne
putamus, *Joannem* accubuiſſe, vel, more accumbentium, hu-
mique decumbentium, locuſtis & melle ſuo ſylveſtri veſci po-
tuiſſe? Quid obſtat? Forte Autor noſter Hebraiſmum hic
19. quærit, ſed re vera illum fingit. Redeamus tamen ad *Mat-
thæum*, ubi *Cap. III, 7*, Autor dicit, populum Judaicum di-
vidi in univerſum in Phariſæos & Sadducæos, et hinc mini-
me de doctis & eruditis hominibus intelligi debere ſermo-
nem *Joannis*, ſed de *plebejis*. Ratio allata hæc eſt, quia *filii*
dicuntur *viperarum*, non *viperæ*, quæ ſcilicet eorum doctores
erant, & Phariſæi, & Sadducæi. Sed quid obſtat, quare Au-
tor hic Hebraiſmum quærere non moliatur? Plebejos enim
hos homines fuiſſe, præcedens *verſ. 5 & 6* minime concedit,
quin & connexio rei enarratæ adverſatur. Numne ſoboles
pernicioſa & nociva erat genus iſtud hominum? Hoc for-
taſſe *Joannes* indicat. Saltem Autor probare debuiſſet,
omnem gentem Judaicam tunc temporis fuiſſe ſectariam;
22. cujus rei nulla in Nov. Teſt. occurrit ratio. Ad *verſ. 15* ſcri-
bit

Digitized by Google

bit Cel. Autor, δικαιοσύνην eſſe id, quod ex *lege divina* erat præſcriptum. Sed lex nulla aderat, de baptizandis hominibus, in Veteri Teſtamento, quibuscum legibus Noſter, col. *Luc. II, 22*, hunc locum conciliat. Deinde baptiſmus Chriſti ideo ab Autore factus dicitur, quia omnes Judæi, qui filii Dei fieri voluerint, a *Joanne* baptizandi, mandato divino jubebantur. Hinc decuiſſe Chriſtum, filium Dei maximum, ſacro fonte lavari, ut declararet, baptiſmum *Joannis* divinæ eſſe originis. Perſtat etiam in ſententia ſua Autor ad *verſum 16, Joannis* gratia cœlum fuiſſe apertum, confirmaturus illud ex *Jo. I, 32.* Ubi tamen, uti etiam in *verſu 33*, expreſſis verbis dicitur, Spiritum ſanctum deſcendiſſe e cœlis ſuper *Jeſum*; adeoque aperiebatur cœlum ſuper *Jeſu*, in ſolenni Spiritus ſancti deſcenſu & initiatione Chriſti, quod utique *Joannes* videre debuerat; hinc apud εἶδε eſt *Joannis* nomen ſubaudiendum, non apud ἀνεῴχθησαν αὐτῷ. Id reliqui omnes ſibi volunt Evangeliſtæ. Hinc, idem pronomen in eodem *inciſo*, αὐτῷ ſcilicet & αὐτὸν, ad unum idemque ſubjectum eſſe referendum, unusquique, niſi fruſtra adverſari voluerit veritati, fatebitur ingenue. In ſequentibus *Origeni* aſſentitur Autor, hanc Pag. 23.
deſcenſionem Spiritus ſancti pro viſione ecſtatica habenti. Provocat ad dictionem Biblicam *Act. X, 11*, ubi *cœlum apertum* legitur. Sed paradoxum hoc videtur, quia ibi expreſſis verbis *verſu 10* ecſtaſis fuiſſe dicitur. Quod minime fit apud Evangeliſtas. Quid? quod *Joannes* ecſtaticus nunquam baptizavit, nec vola, nec veſtigium, hujus ecſtaticæ viſionis apparet. Hinc & colligendum eſſet, non vere, ſed per ecſtaſin *Joanneam*, Spiritum ſanctum ſuper Chriſto manſiſſe. Mera eſt fabula, ingenio *Origenis* famoſo digniſſima. Auditam tamen de cœlo vocem, non per ecſtaſin, ſed vere ita fuiſſe auditam, adjicit Noſter. Quidni & hæc fuerit ecſtatica? In ten- 24.
tatione Chriſti diabolica notatur, Chriſtum non cognoviſſe ſatanam: alias enim non fuiſſet tentatus, et Servator in primo ſtatim tentationis conflictu illum abire juſſurus fuiſſet. Porro dicitur, prudentiam fuiſſe ſatanæ, quod ſtatim abierit, ubi Chriſtus eum cognoviſſet. In corpore glorioſo diabolum 25.
appa-

apparuiſſe, ſcribit, ubi ſplendorem corporis in ultima tentatione ad eum usque gradum evexerit, quem archangelus quidam haberet, quia archangelis mundus ſubjectus dicitur. Denique monetur, tentationum genera ex triplici malorum ſede, voluptate, honoris appetitu, atque divitiarum ſacra fame, fuiſſe

Pag. 33. petita, *Matth. V, 3.* Subjectum orationis ſiſtitur οἱ πτωχοὶ, & prædicatum μακάριοι τῷ πνεύματι, mira quadam novitate. Ratio hujus rei ex *Luc. VI, 20, 24*, petitur. Sed quid obſtat, quo minus penes *Lucam* apud οἱ πτωχοὶ ſuppleatur πνεύματι? Neceſſe hoc utique eſt, quia teſtimonium obſcurius ex clariori eſt illuſtrandum. Placet tamen Autori, obſcuriorem reddere clariorem locum, & clarum ex obſcuriore obfuſcare magis, quam illuſtrare. *Verſus* vero 24 huc plane non pertinet. Doctrina Chriſtiana ad homines non modo illius ætatis, ſed noſtræ etiam, accommodata eſſe debet. *Spiritualiter beati* Autori noſtro ſunt *ſpiritualiter divites*. Nullam tamen hujus explicationis addit rationem, niſi conſenſum eruditi cujusdam

35. viri Lectores pro ratione admittant. Chriſtianos maximam terræ partem eſſe poſſeſſuros, & inter vexationes emerſuros, ad *verſum 5* monetur, ideo quidem, quia in noſtro loco κληρονομεῖν dicitur, & *Rom. IV, 3*, κληρονόμος τῦ κοσμῦ poſſeſſor

36. terræ *Abrahamus* nominatur. Non videntur hæc argumenta eſſe convincentia. Legis *impletionem docere* eſt Autori idem, quod *legem integram*, nec mutilatam, docere. Verſionis ſuæ Teutonicæ cauſa ita forte ſentit. Utraque tamen notio ma-

37. xime eſt diverſa. Poteſt etiam aliquis legis partes omnes plene atque perfecte exponere, ita tamen, ut impletionem legis non urgeat, nec in ſe ſuſcipiat. Quodſi, ex mente Autoris, *diſſolvere legem* idem eſt, quod *legi vim inferre*, ipſi autoritatem ſuam detrahere; ſequitur, oppoſitum momentum, *implere legem*, eſſe id, quod legi *robur ſuum reddere*, quod non primario docendo, ſed faciendo, legem fieri debet. Loci excitati paralleli *Coloſſ. I, 25*, & *Rom. XV, 19*, ſunt verbales, & hinc poſſibilitatem, non probabilitatem, noſtri teſtimonii, ſecundum Autoris ſententiam, evincunt. Saltem id modo probant, quod πληρῶσαι ſignificet ſupplere id, quod defe-

ctum

Digitized by Google

ctum potitur. Quales vero hic defectus ex ſententia Chriſti ſupplendi deſcribantur, ipſa verborum compages oſtendat, neceſſe eſt. En tavtologiam *verſu 19:* λύειν & διδάσκειν ſignificat *docere* ex mente Autoris. Vertamus verſiculum: Quicunque igitur unam ex legibus iſtis, vel minimis, ſolvit, ſeu *docet*, & *docet* ita homines. Nulla vis eſt ſermonis, & inconſtans ſibi eſt ipſe Autor, dum, *diſſolvere legem* in eadem pagina *docere* legem et *vim eidem inferre* ſignificare, docet. Summa certe autoritas legi, per impletionem ejus, a Chriſto factam, conciliabatur. Hinc ποιεῖν & διδάσκειν *verſ. 19* ſibi invicem adjunguntur. Quæ res circumſtans docet plurima, huc pertinentia, ſi veritati cedere velimus. Voculam εἰκῆ exulare jubet Noſter, ſide *Hieronymi* & *Auguſtini*; ſed, fide Codicum manuſcriptorum id fieri debere, eruditi norunt. Recte per μωρὸν intelligit Autor hominem irreligioſum, atheumve, &, hinc inter ſumma conviciorum genera ponendum eſſe illud, non ſine rerum pondere probat. Per *dextram manum*, & *dextrum oculum*, proxime intelligitur homo nobilis, ſeu familiaris, in cujus opibus omnis felicitatis ſpes eſt poſita. Refertur huc locus *Devt. XIII, 6.* De juramentis, a Chriſto prohibitis, multa profert Cel. Autor, ſtatuens, hic juramenta doloſa & fallacia a Servatore innui, ſicuti *Jacobus V, 12,* e contrario de juramentis temerariis & levibus loquatur. Tacite etiam concedit *pag. 55* Autor, juramenta per cœlum, terram, & reliqua, eſſe licita, ſiquidem Servator prohibeat, ne ideo tantum illa in ſe ſuſcipiant, quod ea nunquam præſtari debeant. Ita tamen ſentire, eſt ἄγραφον. Et juramenta omnia, de creaturis ſuſcepta, in ſe ſunt illicita, ſive doloſe fiant, ſive minus. Ita etiam neceſſe non eſt, in ὅλως *comma* conſuetum delere, quod ſenſum non turbat. Verba Chriſti in ſe ſunt perſpicua, ſi vertantur, uti ſonant: *Tu plane non jurare debes, neque in cœlo,* &c. In hac veritatis et ſermonis luce nemo facile offendat. Res creata eſt *cœlum*, res creata eſt *Hieroſolymitana urbs*; ergo non Deus, ergo per has res creatas *omnino*, ὅλως, jurare non licet. In oratione dominica

Pag. 40. 42. 45. 57. 66.

 Autor

Autor quinque tantum petitiones ſtatuit, conjungendo ſcilicet
Pag. 71. ſecundam et tertiam: itemque ſextam & ſeptimam petitionem. Maximum tamen hic adeſt incommodum, dum mire omnia confunduntur in petitione ſecunda & tertia. Nam prior de augenda & propaganda *fide in Chriſtum* agit, quia regnum Dei eſt regnum fidei. Sed de hoc plane tacet Autor. Deinde eum hac tertiam petitionem miſcet, in qua utique de *obedientia civium Dei* agitur. Mi-
77. ramur etiam, remiſſionem peccatorum ita ab Autore innui, ut nulla *fidei* in Chriſtum, nec gratiæ *per Chriſtum* partæ, mentio fiat. Sed omnes omnino peccatores ad gratiam Dei univerſalem & eſſentialem, non interveniente mediatore,
83. propelluntur. Præclare tamen in eo egit Autor, quod doxologiam, orationi dominicæ annexam, textui avthentico
101. vindicaverit. In *Cap. V*, *22*, προφητεύειν per *docere* interpretatur, licet priora vocabula per *falſos Prophetas* convertat. Prophetæ vero eſt *vaticinari* in ſpecie. Quid vero cauſæ eſſet, quare *Matthæus* non διδάσκειν ſcripſiſſet, ſi *docere*
103. dicere voluiſſet? In *Cap. VIII* hiſtoria de centurione Capernaitico, cum *Luca* convenientiſſime conciliata, exponitur. Suos tamen Noſter habuit Autores, quos etiam nominat, quo-
123. rumque veſtigiis inſiſtit. Græcum vocabulum ἐξουσίαν in *Cap. IX*, *8*, pro concreto exponit, ſcilicet pro homine, ma-
145. gna potentia inſtructo, atque in mundum emiſſo. Expoſitionem ſuam de μικρότερος in regno cœlorum, ante jam publice propoſitam, ornat Cel. Autor amplius, egregie confirmans, Servatorem de ſe, tanquam qui *junior* ſit *Joanne*, loqui, quia *Joannes* natu major in dignitate ſua minor fuerit, quam
147. Chriſtus, poſt *Joannem* venturus. In ſequenti ſtatim *verſu 12 Cap. XI* βιασταὶ non ad *ſubjectum*, ſed ad *prædicatum*, propoſitionis refertur. Ita ſcilicet: ἁρπάζουσιν αὐτὴν βιασταὶ, rapiunt id, regnum nempe cœlorum, *vi ſumma & impetu ſummo*. Nobis vero, ita ſcribendi, nulla ratio movens adeſſe videtur. Ceterum obſcurior eſt propoſitio, ex mente Autoris concepta: *Regnum cœlorum rapiunt id vi*

ſum-

ſummæ. Perturbate talia efferuntur, nec ſenſum habent ſatis com-
modum. De peccato in Spiritum ſanctum ita ſtatuit Noſter, quod Pag. 164.
non in tertiam perſonam Trinitatis committatur, ſed contra o-
mnipotentiam Dei miraculoſam, ubi miracula divina pro por-
tentis diabolicis habentur. Hinc etiam ſcribit eſſe remiſſibile. 162.
Quodſi enim quis recte miracula Chriſti agnoſcit, & pro divinis
habenda eſſe judicat, tunc ſerio dolenti de peccato ſuo, & re-
ſipiſcenti, condonatur peccatum Adeo irremiſſibilitas, ut ita di-
camus, ex mente Cel. Autoris, ad id modo reſervatur exemplum,
ubi nulla intercedit reſipiſcentia. Sed Cel. Autoris bona cum ve-
nia dicere liceat, nullum peccatum in Spiritum ſanctum exiſte-
re, niſi in eo, qui de divinitate rerum miraculoſarum, & gratioſæ
Dei operationis, convictus, impie tamen eam profanat, nec ſe
ad Deum vertere vult. Adeoque impietatis gradus in tali ho-
mine tantus eſt, ut ſpem omnem converſionis, & ſic ſalutis
æternæ, plane excludat. Sed pergamus ad reliqua, ubi *Cap.* 199.
XVI, 14. Autoris eſt ſententia, quoſdam Judæos *Jeremiam* ex- 200.
ſpectaſſe, & in perſona Servatoris noſtri illum ſibi repertum
finxiſſe. Maximum hujus opinionis argumentum elicit ex *Li-
bro ſecundo Maccabæorum*, ejusdemque *Cap. XIII, 14, 15.* Πύ- 206.
λαι ᾅδου non in numero ſingulari, ſed plurali, ſunt efferendæ
ex mente Autoris, quia ſcilicet *Homerus* nunquam portam
πύλην, ſed πύλας, nominat. Paulo ante negaverat Cel. Autor,
Matthæum calluiſſe eruditorum Græcorum dicendi rationem.
Jam vero contrarium aſſeverat, & ex *Ottomannica Porta* locum
noſtrum illuſtrat, hinc aliquod illius dictionis præſidium pe-
tens. Germanice omnino in plurali numero eſt efferendum, quia
Teutones nec *Homeri*, nec Turcicæ dictionis, uſum ſequun-
tur, ſed ſuum ipſi habent, ex quo *portæ inferorum, die Pforten
der Hœllen*, recte eleganterque dicitur. Ceterum affirmatur 207.
hic, a Chriſto *Petrum* pro ſervo ſuo domeſtico, *Hausknechte*,
habitum. *Διδράχμα Matth. XVII, 18*, per numum cenſorium 238.
exponitur, ita ſcilicet, ut affirmetur, Chriſtum hunc groſſum,
Zinsgroſchen apud nos dictum, ſolvere debuiſſe, quia in do-
mo *Petri* habitaſſet; *Petrum* vero omnino hunc numum, ut
civem & poſſeſſorem domus ſuæ, pendere oportuiſſe. Nullæ

tamen ita ſentiendi afferuntur rationes. Obſtant etiam variæ res circumſtantes, quo minus huic explicationi ſuffragemur.
Pag. 273. Sermo Chriſti de *ultimis* & *primis Matth. XIX, 30*, in eum finem Autori prolatus videtur, quo inveteratam Judæorum opinionem tolleret, qua credebant, ſe in oculis Dei *primos* eſſe præcipuosque, gentiles vero eſſe *ultimos* & damnatos. Jam vero, uti Noſter ſcribit, Chriſtus docet, Deum in ultimis mundi temporibus gentes ad ſe eſſe vocaturum, & cum piis Judæis ſalvos facturum; ita ut ultima vice vocati eodem a Deo amore afficiantur, quo primo loco vocati, Judæi ſcilicet, affecti fuerint. Duplicem adeo Servator literæ indidit ſenſum: quo *ultimus* eſt *damnatus*, & ſimul etiam *ultimo vocatus*. Mi-
279. nus commode hæc nobis ita dicta videntur. In ſequenti *Cap. V, 16*, ſtatuit Noſter differentiam non vulgarem inter hoc & ſuperius jam excitatum teſtimonium, quia hic *omnes* ultimi & *omnes* primi, ibi vero *multi* ex primis, *multi* ex ultimis. An multos habiturus ſit approbatores fictæ hujus differentiæ, pæne dubitamus. Nihil enim de *omnibus* ultimis dicitur in verbis Græcis: nec differentia eſt inter omnes & multos in hoc
282. exemplo, quod ipſe Autor in ſequentibus demonſtrat. Res ipſa eſt vaniſſima ex ſententia ipſius explicata, ſi dicas: *omnes* omnino ultimo loco vocati erunt primi: non vero *multi*. Ceterum omnes ſententiæ aliorum ab Autore damnantur, & futiles judicantur. Particula *γὰρ* in eodem *inciſo* pro *vero* habetur, ideo, quia alias inconcinna eſſet oratio Chriſti, ſcilicet ex ingenio *Heumanniano* explicata. Per *μισθὸν* intelligit vitam æternam, ſed non probat; eandemque cum præmiis vitæ æternæ *pag. 276* confundit, quorum rationem
289. Chriſtus in die noviſſimo judicii habebit. De ſeſſione ad dextram & ſiniſtram, filiis *Zebedæi* a Chriſto non conceſſa, ita Noſter ad *verſum 23 Cap. XXI* ſtatuit, Chriſtum non abſolute de hac ſua loqui potentia, ſed de præſenti rerum ſuarum conditione, quaſi dicat: Jam meum non eſt, ſeſſionem, a me poſtulatam, cuidam concedere, ſed iis ſunt ſeſſiones paratæ, quibus jam dudum a patre meo ſunt conſtitutæ. Jam
311. vero voluntas patris etiam eſt voluntas filii. In *Cap. XXII, 3*, docet

docet Autor, invitationem hic primam deſcribi, & ſequenti in *inciſo* ſecundam. Sed forte fallitur, dum *Matthæus* expreſſe ſcribit, invitationem ſecundam duplici vice fuiſſe peractam, ubi ſecunda vice omnia argumenta commoventia ſervi docentur. Et inconcinna eſſet parabola, ſi rex iraſci *verſu 7* voluiſſet hominibus, qui fidem non dederant, atque fidem datam non violaverant. Hinc ſatis patet, eorum gratia opipara fuiſſe inſtructa convivia, poſtquam, nuptias ſe frequentaturos, promiſerant, non vero id poſtea præſtiterant. Quæ tamen omnia ſicco pede Autor præterit. De duobus ultimis præceptis decalogi ſtatuitur ad *Cap. XXII, 20*, illa rei publicæ Judaicæ gratia eſſe lata, ut quilibet civis ſecundum hanc regulam ageret: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris. Obſcuriora verba *Matth. XXIII, 33*, ita oratione eleganti circumducit Autor: Vobiſmet tamen ipſi conſcii eſtis, quod vos veri ceterum Prophetarum filii ſitis, non ſolum ratione nativæ generationis, ſed etiam indolis ejusdem & animi, quia necem meam paratis, & animo vobiscum volvitis. In eodem *Capite v. 36* valde nova docet Autor, cum, γενεὰν apud Evangelii ſcriptores eſſe nomen contumelioſum, quo Judæi a Chriſto onerentur, ſibi perſuadet. Sed probationem hujus aſſerti, quam omnes requiſituri videbantur, ipſe non addit. Paulo poſt *verſu 5* per οἶκον. quæ tamen veri ſimillima eſt opinio, non intelligere vult Venerabilis Autor templum Hieroſolymitanum, ſed urbem, & quidem ideo, quia Jeſus alias dicturus fuiſſet in templo præſens: *Hoc templum, hæc domus*; non vero *veſtra domus*. Sed non animadvertit Autor, Chriſtum hac ratione tacite invehi in faſtum Judæorum, de templo *ſuo* temere glorîantium. De Judæis, in vaſtatione ultima Hieroſolymitana occiſis, credit Noſter, multos in fide in Chriſtum eſſe mortuos, & per ignem quaſi ſalvatos. Per electos *Cap. XXIV, 22*, intelligit ex jam indicata hypotheſi ſua illos Judæos, qui per obſidionem Hieroſolymitanam, adhuc durantem, fidem in Chriſtum ſuſcepturi ſint. De Sabbato, ad fugam Chriſtianorum incommodo, hanc alit opinionem: Por-

Pag. 334.
353.
362.
363.
366.
392.

Digitized by Google

tas per id tempus eſſe clauſas, & hinc, oppugnatione ſubito facta, ante portas fugientes occubituri fuiſſent Chriſtiani, ſi per ſabbatum hoſtis obſidionem urbis incepiſſet. Forte tamen *ἐν σαββάτῳ* latius per *dies feſtos* eſt explicandum, in quibus commoditates itineris & fugæ peregrinantes in Judæa deſiderabant. Quod & de ſabbato, ſtricte ſic dicto, non im-
Pag. 384. merito dici poterit. *Verſus 23 - 26* de Chriſtianis explicantur, inter quos fama ſit audienda, Chriſtum e cœlo de-
395. ſcendiſſe, fidelium ſuorum regem viſibilem acturum. Aliorum judicio hæc ſubmittit Autor. De ſigno filii hominis multa diſputantur. Ipſe Venerabilis Autor illud ad *Cap. XXIV, 30*, pro ipſo filio Dei habet, provocans ad uſum vocabuli *Apoc. XII, 1, XV, 1*, ubi *σημεῖον* objectum ſpectabile ſignificat. Sed hi loci plane non ſunt paralleli, & hinc uſum vocabuli non probare poſſunt, quia non dicitur *σημεῖον γυναικὸς*, nec *σημεῖον ἀγγέλων*, uti in noſtro loco *σημεῖον τοῦ υἱοῦ κ. τ. λ.* Ergo poſſibilitas ſententiæ *Heumannianæ* nondum ex his locis eſt evicta. Paulo igitur feſtinantius omnes omnino damnantur ex dubio hoc argumento, qui non a partibus Viri Celeberrimi ſtant, quando ſimpliciter hæc verba ita exponit: *Et tunc* in cœlo *apparebit filius hominis*. Sine omni plane dubitatione, hæc ſi vera eſſet ſententia *Matthæi*, aliter ipſe ſcripſiſſet. Id vero cum factum non fuerit, manebit converſio optima:
422. *Et tunc ſignum filii hominis in cœlo apparebit.* De muliere, Chriſtum *Cap. XXVI* ungente, cum *Lightfooto*, aliisque, creditur, huic mulieri mortem Chriſti plane non fuiſſe incognitam, ſed id pro vero eſſe amplexam, quod Chriſtus de morte ſua prædixerat, quodve Apoſtoli minus credebant. Hinc major erat fides hujus fœminæ, quam Apoſtolorum, & omnino
456. per omnem orbem prædicanda. Eleganter hoc dictum, & maxime ſenſui accommodatum ſcriptoris, videtur. De vocabulo *ῥαπίζειν* non indoctam inſtituit diſputationem *Heumannus* noſter, ubi cum *Heupelio* ſtatuit, verbum illud ſignificare hoc in loco *fuſte*, ſeu *virga*, *percutere*, et minus recte verti putat: *faciem percutere*, licet *Matth. V, 39*, omnino vocabulum iſtud illum ſenſum admittat, quia *ἐπὶ τὴν*

σια-

Digitized by Google

σιαγόνα additur. Quid vero, ſi cum venia tanti Viri ſtatuamus,
hæc vocabula eſſe elliptice poſita in noſtro loco? Quodſi
confirmemus, aperte id communiori linguarum uſu doce-
ri, & ab *Jeſ. L, 6*, prædici, ubi *Biblia* habent Græca: *δέδωκα
τὰς σιαγόνας μου εἰς ῥαπίσματα*: num veriſſima tunc, ex
ipſa Autoris noſtri inductione, ſervi eſſet ſententia, quod fa-
ciem Chriſti alapis gregarii violarint? Putat quidem Autor Pag. 457.
Venerabilis, ſuæ ſententiæ pondus accedere ex dictione *Mat-
thai*, *ῥαπίζειν* et *κολαφίζειν* inter ſe diſtinguentis. Sed
cauſa noſtra nondum cadit, quia duplex verborum genus a
ſcriptore divino indicatur: ſcilicet tum ea, quæ vola, ſeu aper-
ta manu, tum atrociora iſta, quae pugnis fiebant, quibus ex-
debant homines iſti Servatorem. *Suidas* ita exponit *ῥαπί-
σαι*, quod ſit *πατάξαι τὴν γνάθον ἁπλῇ χειρὶ, ὅ λέγουσι
καὶ ἐπὶ κόῤῥης*. Sic omnia recte ſe haberent, & obſcuriora
loca ex clarioribus illuſtrarentur. Ipſe vero nec *Heupellus*, nec
Autor noſter, ſatis perſpexerunt emphaſin *Marc. XIV, 65*, ubi
non ſimpliciter dicuntur apparitores Chriſtum virgis, ſeu ba-
culis, cecidiſſe; ſed hæc eſt ſententia: *ῥαπίσμασιν αὐτὸν ἔβαλ-
λον*. Eum projiciebant alapis: *Sie ſtieſſen ihn fort, hin und
her, mit Ohrfeigen*. Germani, plebeji quidem homines, pro-
verbialem habent locutionem, non injuſte huc quadrantem, &
de plebejis illis apparitoribus Judæis non male tale quid dici-
tur. Tempus eſt, paucula quædam ex *Marci* recenſione vi-
tæ Chriſti proferendi. Occurrit hic nobis hiſtoria *Le-
vis*, filii *Alphai*, ad *Marc. II, 14*, propoſita, in qua 543.
diligenter recenſenda, atque ab omnibus dubitationibus
liberanda, omnem Autor Venerabilis laborem ponit, & er- 544.
rorem etiam revocat, quem in *verſionis* ſuæ Teuto-
nicæ ſecunda editione de Chriſto in domo *Matthai* accum-
bente defenderat, quandoquidem domus omnino *Levis* ex ex-
preſſis *Marci* & *Lucæ* teſtimoniis fuit intelligenda. Addi-
mus inſuper, *Levis* & *Matthaus* dum recte pro duabus re-
putentur perſonis, recte ſe habere ſententiam Cel. *Heumanni*,
Matthai vocationem *Levis* vocationi eſſe anteponendam.
Confirmat hoc ex prioritate teſtimonii, ubi *Matthaus* in ca-
talogo

talogo Apoſtolorum *Cap. X, 3*, priorem ſe *Levi* nominat, or-
dinem ſcilicet, quod Noſter vult, non vocationem, ſequens.
Forte Cel. Autor in ipſa enarratione utriusque vocationis, col.
Matth. IX, 9, Marc. II, 13, Luc. V, 27, maximum pro ſua
Pag. 576. ſententia invenire potuiſſet argumentum. Intricatam dictio-
nem *Marc. IV, 36.* ita exponit Noſter, quod jam ex ipſius
577. *Verſione* Novi Fœderis patet: *Aſſumebant Chriſtum, ut eſſet
in navi.* Particula ὡς per *ut* exponitur; ex quo colligitur,
veriſſimum eſſe, Autores Novi Teſtamenti non ubique
optimam Græce loquendi ſequi viam. Quid vero, ſi,
explicatione *Heumanniana* pauliſper ſepoſita, ita nos ſen-
ſum luculentum exhibeamus: Dimiſſa turba, ſtatim Chri-
ſtum, *ſimul ac fieri* (*eſſet*, ὡς ἦν,) *poterat*, in navim ſecum
recipiebant, etſi alia etiam adeſſent navigia. Optime huc
quadrant *Luc. XIX, 47*: ὡς ἤγγισε, *ſimul ac* appropinquaret;
XXII, 66, ὡς ἐγένετο *ſimul ac* fieret, et forte plura loca alia.
594. Sed linquimus hæc. In *Cap. VI, 9*, Autor cum iis ſentit,
qui, per σανδάλιον elegantiorem, per ὑπόδημα viliorem cal-
ceum, indicari, volunt. Provocat etiam hac de cauſa ad *Luc.*
595. *XV, 22*. Forte tamen minus recte, quia ſibi filium perditum
calceatum fingit, qui tamen, ut miſerrimus hominum, recte
diſcalceatus, ſeu potius nudus pedibus, incedens ſtatuitur. Pu-
tat deinde, σανδάλιον apud populos orientales aliam habuiſſe
596. ſignificationem, ac apud Græcos. Sed aſſerti probatio-
nem deſideramus. Forte etiam hoc ſibi fingit Autor, Chri-
ſtum prohibuiſſe, quo minus Apoſtoli molliores calceos ſe-
cum portarent, quibus ingredientes in urbem ex itinere, ele-
gantioris quaſi conditionis homines, uterentur. Sed hæc vi-
tæ elegantia & mollities plane exſuperat viliorem iſtorum
ſortem. Hinc mandato, ſeu edicto, prohibere illud, opus non
erat. Idem valet de duplici veſtitus genere. Nec opus eſt
his fictionibus, cum alia detur longe feliciſſima Evangeliſta-
rum conciliatio, eaque facillima, quam etiam ipſe ſub finem
628. hujus obſervationis præclare innuit. Fata turbida *Joannis* Ba-
ptiſtæ Autor ad *Cap. IX, 12, 13*, ex Teſtamento Veteri prædi-
cta confirmare vult ex *Mal. IV, 5, I, 6, II, 2, 12, III, 5, 7, IV, 1.*

Sed

Sed de his judicent alii, ne nos in omnibus, aut pleriſque ſaltem, diſſentire videamur. Unicam, eandemque ultimam, proponamus obſervationem Autoris ad *Cap. XIV, 3*, ubi *συντρίβειν* idem, quod *conquaſſare*, *conſtringere*, utplurimum notat, ab Autore ita exponitur, ut ſignificet per circumductos oris meatus vaſculum aperire. Germani dicunt: *aufſchrauben.* Pag. 674 Fundamentum hujus quæſtionis ponit Noſter in alio loco, ſcilicet *Luc. IX, 39*. Ubi tamen, noſtro quidem judicio, hoc 657. Græcum vocabulum conſuetam ſignificationem admittere poteſt, quia filius ille miſerrimus recte *contritus*, ſeu *conquaſſatus*, dicitur, licet *circumvolutus* dicatur Noſtro, quod Germani *herumgedrehet* dicunt. Denique num commemoratu adeo dignum putetur, vaſculum a muliere iſta benigna ex more conſueto fuiſſe apertum, cum tamen aliter vix fieri potuerit, ſi ab ordine conſueto recedere illa nollet? Cum vero præclari cujusdam facinoris illud indicium videatur, uno ictu vaſculum percuſſum; unguentum mulier emittere, & largiter perfundi atque recreari potuit Chriſtus, quo ſuſpicio parci in Servatorem amoris a muliere ita removeretur. Non tamen, quod Noſter aliique putant, ideo humi effundebatur unguentum, licet una vice emitteretur, quia vaſculum non tantæ magnitudinis, nec unguentum tantæ erat fluiditatis, quantam ſibi plurimi fingunt. Ceterum notamus, plurimas Venerandi Autoris obſervationes eſſe minus copioſas, nec ampli adeo, aut diffuſi, argumenti. Longiores ſunt eæ, quæ jam aliis in libellis ab eo ſunt propoſitæ, & inprimis eo valent pleræque, ut verſionem Teutonicam Novi Teſtamenti, ab Autore egregio adornatam, tueantur, & paucis in locis emendent. Multa pars earum etiam practice eſt elaborata. Omnes vero diligentiam & rerum doctrinæque copiam oſtendunt, licet ampliori etiam disquiſitione harum multæ non indignæ videantur, quam ſi ferre non poſſit Cel. Autor, definet hoc ipſo *Heumannus* eſſe, quod, ut ſperamus, nunquam fiet.

Digitized by Google

GODOFREDI PLOUCQUETI, REG. BORUSS. Acad. Scient. Literarumque elegant. Socii, de corporum organiſatorum generatione Disquiſitio, lecta in Conventu Academiæ Regiæ.

Stutgardiæ, 1749, 4.
Plag. 9.

Doctiſſimus Autor, poſtquam oſtendit, ex ſolis motuum legibus organiſatorum corporum ortum deduci non poſſe, neque alias hypotheſes involutionum &c. ſufficere, ſumit immortalis *Leibnitii* aſſertum; *Natura ubique organizat & organizatur.* Addit experientia & ratione probatam propoſitionem: *Corpora organiſata ſunt in ſe & ex ſua natura in alios ſchematiſmos transmutabilia.* Tertio, de naturæ machinis, cum *Leibnitio* ponit, *omnes eſſe indeſtructibiles;* denique *dari machinas dominantes*, quæ pluribus aliis, unum totum conſtituentibus, conſtant, in quo reliquarum machinarum regularitates coeunt, ut completi aliquid prodeat, v. g. corpus animalis, hæque partiales machinæ *ſervientes* ſunt. Itaque, machina dominante reſolutione in ſervientes ſuas deſtructa, ſervientium aliqua ad dominium evehi poteſt mediantibus penitus involutionum & revolutionum viis. His omnibus jungitur poſitio: *Omnis machina habet monadem ſuam dominantem.* Ex quibus conjunctis demonſtratum palmarium ſcripti aſſertum: Corpus organiſatum præparat quædam ex organiſatis ſervientibus ad ſimilitudinem totius dominantis; ſeu: Corpus organiſatum dominans format in ſe alia corpuſcula organiſata, quæ corpuſcula ſunt ſemina, ſed quæ antea ſub forma ſeminum nondum comparuerant. Demonſtrationem ita abſolvit: 1) Corpus organiſatum, ceu machina dominans, conſtat pluribus ſervientibus; 2) ſervientes tendunt a natura ſua ad conſtituendum & complendum totum, e machina dominante repræſentatum; 3) partes ſervientium organiſatæ jam in ſe, qua in connexione cum reliquis, tendunt ad formam machinæ ſervientis abſolvendam; 4) ergo & ſervientium partes tendunt mediate & remotius ad conſtituendam

dam

dam machinam dominantem; 5) tendentiæ illæ conſiſtunt in conatu movendi motu actuali, diverſisque motus ſpeciebus ac effectibus, evolutionibus, involutionibus, & hinc pendentibus metaſchematiſmis, variisque metamorphoſibus; 6) hæc autem omnia originarie & objective fundantur in perceptionibus monadum; 7) percipiunt igitur monades machinarum mutationes; 8) perceptio conſiſtit in ſimilitudine imaginum, earumque relationum; 9) ergo monades machinarum ſervientium percipiunt imagines omnium, machinas ingredientium, monadum; 10) in illis imaginibus ac relationibus fundatur phænomenon machinæ, qua extenſæ, & qua continuas ſubeuntis mutationes, objective conſideratum; 11) ergo ſingulis monadibus impreſſa eſt analogia quædam imaginis totius dominantis cum ſuis phænomenis; 12) in perceptionibus dantur gradus & diverſitates ratione objectorum, modi creſcendi & decreſcendi in ſimilitudine & claritate imaginum & tendentiarum ad certum centrum; 13) in machina partes adſunt, multitudine imaginationem noſtram ſuperantes, adeoque & plura adſunt centra partialia; 14) ergo monades machinarum ſervientium, maxime ipſarum *dominantes*, tanquam centra illa partialia, infinities variare poſſunt ratione modi creſcendi & decreſcendi in ſuis imaginibus, earundemque evolutionibus, ad typum præfixum conformandis; 15) quædam igitur e ſervientium machinarum monadibus dominantibus continuo magis ad centrum, machinam dominantem repræſentans, accedunt, quædam vero ab eodem recedunt, quia inter evolvere & involvere non datur tertium, neque ob nexum *cum aliis centris* omnes ad idem accedere poſſunt; 16) quæ ad idem accedunt, acquirunt ſenſim ſenſimque tales perceptiones, quales monas dominans machinæ dominantis habet; 17) perceptio autem omnis fundoqui objectis; 18) ergo etiam contingentibus his perceptionibus objecta re vera per varias mutationum ſpecies & nexus inter ſe ſervatos ita afficientur, ut perceptiones illæ exinde ſint intelligibiles; 19) illa objecta autem neceſſario erunt organiſata, & quidem toti, de quo agitur, ſimilia, ob tendentiam ad totum & participationem imaginum; 20) ergo in corpore

 orga-

Digitized by Google

organiſato dominanti præparantur, per acceſſus ad typum dominantem, machinæ dominanti ſimiles; 21) machina ſimilis ſimiles dare poteſt evolutiones, quas dominans eſt paſſa; 27) ergo machinæ ſimiles præparatæ hoc modo vera ſunt ſemina, ſuas involutiones geſtantia; 23) involutiones autem illæ non ſub eadem forma ſemper exſtiterunt, ſed per longas præparationum ſeries demum tales factæ ſunt; 24) ergo corpus organiſatum dominans præparat ex ſervientibus organiſatis ad ſimilitudinem dominantis, ita ut corpuſcula organiſata, modo hoc genita, tanquam vera ſemina in eodem oriantur, ſub forma ſeminum antea non conſpicua. Q. E. O. His deinde conſectaria addit, difficultates removet, rem iis etiam probabiliter explicat, qui monades non admittunt, & plura egregia habet, quæ rectius ex libello ipſo Lectores cognoſcent, cum ex his, quæ adduximus, ſatis jam poſſint de acumine Autoris, inſignique Philoſophiæ peritia, judicare.

LABYRINTHUS PHILOSOPHICUS, ID EST, reſolutiones graviſſimorum Problematum philoſophicorum ac phyſicorum, quibus materiæ obſcuriſſimæ, ſcilicet de logica ſcientia ſpeculativa, ejusque objectis & neceſſitate, item de ſenſibus ſingulis, de elementis, meteoris inprimis, de tonitru & fulgure, de fulmine. iride. ventis, mundo, creatione hominis, origine fontium ac fluviorum, aliisque valde curioſis, lux accenditur clarior, literis traditæ, & in lucem editæ, a MUSOPHILO.

Francofurti & Lipſiæ, 1749, 4.

Alph. 1 plag. 20.

Erotemata philoſophica tractantur in hoc libro hujusmodi: An logica ſit ſcientia ſpeculativa, an practica; an inter gradus metaphyſicos dentur præciſiones objectivæ; an rela-

tio prædicamentalis diſtinguatur realiter, tum a termino, tum a fundamento, tanquam evidens phyſicum; an dentur formæ ſubſtantiales, partiales, & ſubordinatæ, in eadem materia, &c. His interſperguntur acroamata problematico-philoſophica, v. g. de oculo perfunctorie traditur, quibus partibus conſtet, viſus definitur *potentia ſenſitiva coloris ut illuminati*, ad *Ariſtotelem*, de lumine & colore multa habentem, lectores remittuntur, læſo humore chryſtallino irreparabiliter deſtrui potentiam viſivam, dicitur. Hæc ſufficiant.

PETRI HORREBOVII, IN ACAD. HAVnienſi Aſtronomiæ & Phyſicæ Profeſſ. Regii, Elementa Philoſophiæ naturalis. Edita in gratiam juventutis Academicæ.

Havniæ, 1748, 4.
Alph. 1 plag. 2.

Phyſices Profeſſio Havniæ alternis vicibus Medico & Mathematico defertur, ſalario deſtituta. Hæc cum jam Cel. *Horrebovio*, ſeni ætate & meritis venerando, imponeretur, præceptoris olim ſui, *Caſp. Bartholini*, Phyſicam, ſibi ipſi ante 56 annos explicatam, fundamenti loco lectionibus ſubſternendam cenſuit. Sed, pro mutato ſcientiæ ſtatu, plura addenda libro, alia etiam omittenda eſſe, intellexit. Inde præſens opus natum eſt, plenum, ut alia Celeb. Autoris ſcripta, novis cogitatis, iisque Phyſicorum attentione digniſſimis. Quorum aliqua, ut delibemus, materiam ſtatuit duplicem, motricem aliam, aliam inertem. Illa, in anguſtiis corporum difficulter contineri ſe patiens, ex poris meatibusque anguſtioribus elabitur, inertemque hoc ipſo propter circulum, qui in motu omni fit, eo pellit. Inde aquæ adſcenſus in tubis capillaribus, ipſaque gravitas, quod inertia corpora a materie motrice, ad ſuperficiem terræ allabente, ſed ſurſum reflexa, deorſum urgeantur. Denſitatis atmoſphæræ variabilis eam ſtatuit legem, ut, diviſa atmoſphæra in plura ſtrata concentrica, maſſæ quidem ſint ſingulorum ſtratorum æquales, volumina vero reciproce ut pondera

Digitized by Google

incumbentia, ſive reciproce ut altitudines Mercurii in barometro. Strata vero iis locis diſterminat, ubi altitudo Mercurii decreſcit parte digiti duodecima. Hinc infert, altitudines ſtratorum ſingulorum eſſe in progreſſione harmonica, tabulamque condit, qua elevatio loci ſupra libellam maris ad altitudines Mercurii, ſingulis lineis decreſcentes, exhibentur, poſito, altitudinem Mercurii ad mare eſſe 28. Hinc locum, ubi omnino deſcenderit Mercurius, ſtatuit elevatum hexapedis 26862, 8. Niſi multum fallimur, non adeo abeſt hæc hypotheſis ab *Halleiana*, niſi quod ſtrata infinite parva non ponantur. De materia magnetica, de atmoſphæris corporum mundanorum, quin imo quorumvis ſolidorum, ex actuoſa materia ad extremitates corporum reflexa, & inertem eo pellente, plura habet egregia; æſtum maris etiam preſſione lunæ explicare conatur, ſed mutata in melius *Carteſii* hypotheſi. Qui attractionem pro principio, unde explicari poſſint naturæ phænomena, ſumunt, ſubinde ab eo refutantur. Ita vero ſcriptus eſt libellus totus, ut, etſi juventuti erudiendæ videatur deſtinatus, habeant tamen doctiores quoque, quæ ex eo diſcant. Venerando vero Autori vegetam ſenectutem, pluresque adhuc annos, ex animo comprecamur, quos vel in hac ætate, ubi plures credunt ſatis ſe mundo ſerviiſſe, & ſibi ſolis vivere poſſe, qui tantum, quantum ille, mundo nunquam ſervierunt, uſui publico tam egregie impendit.

DELLA GENERAZIONE DE' COLORI, &c.

hoc eſt,

DE COLORUM GENERATIONE LIBRI tres, Excellentiſſimæ Dominæ MENHIONI, Comiti ELISABETHÆ CORSINI NE' GINORI inſcripti, Autore Nobili JO. ANDREA PAGLIANI.

Luccæ, 1745, 4.

Plag. 9.

Cum

Cum Itali in excolenda Philoſophia *Newtoniana*, quæ apud plurimos eorum gratia novitatis adhuc commendatur, toti ſint; laudem omnino meretur Clariſſ. Autor, quod in explicanda theoria *Newtoniana* colorum non ignobilem operam poſuerit. In eaque re ita verſatus eſt, ut nihil omnino poſſit ad perſpicuitatem & concinnitatem deſiderari. *Tribus Libris* Carmen abſolvitur, quorum *primus* introductionem veluti continet, *alter* generales lucis affectiones exhibet, *tertius* præcipue *Newtoni* de coloribus inventa complectitur. Cum itaque nova vel in ipſis enuntiatis, vel in ratiociniis, quibus oſtenduntur, quærenda non ſint ad dandam aliquam Lectoribus noſtris opuſculi ideam; aliud omnino agere non poſſumus, quam loca quædam, ex quibus de ingenio Autoris, vique poetica, judicium ferri poſſit, exſcribere. Ita vero de inventore ejus, quam tradere vult, theoriæ, illiusque patria, loquitur:

E forſe ancor coſi nobile e degno Lib. I pag. 7.
Soggetto ſi ſtaria tra mille e mille
Tenebre involto, ſe d'un uom Britanno,
Il chiaro Ingegno non aveſſe il primo
Con novello argomento in dotte Carte
Con evidenza a Noi moſtrato appiene,
Della Luce del Sol come derivi,
Ebbe queſti la cuna dell alma
Iſola del Piacer coſi per l'alta
Bellezza ſua dal noſtro Redi *inteſa*
(Inclito Eroe Toſcano in cui fiorito
L'Arti piu belle per l'altrui ſalute,
E le piu belle Rime in ſeno accolte.)
E ben ſi merito lodi ſi degne
E ognor ſi merta piu gli Elogi altri
Quell' Iſola felice in cui ſi ſcorge
Premiate le Virtu che altrove oppreſſe
Soffron vederſi andar raminghe e nude
O ſprezzate o mal note, o mal gradite,
Ne lunga ſervitu, ne pregio o merto
A nulla val, tanto la vile indegna

Turba

Turba de' Vizi trionſando impera?
Ma verrà tempo che diſperſi affatto,
Queſti, ſe pur vi ſon nel Toſco ſuolo
Fiorirà la Virtù per l'alto e grande
Real Signor *che noi governo regge*, &c.

Ut non poteſt non Anglis ipſis gratiſſimum eſſe hominis climate, moribus, ipſa maxime religione, ſeparati, tantum & tam verum elogium, ita ſcientiis in Tuſcia ſub *Imperatoris* tutamine eum, quem olim jam, domo Medicæa imperante, ex hac regione per omnem orbem eruditum diffuderunt, ſplendorem recuperaturis ex animo gratulamur.

Quando de menſuris & rationibus quantitatum loquitur Autor, ita exacte omnia exprimit, ut Mathematicum, non Poetam, agere videatur. Teſtimonio ſint, quæ habet de velocitate lucis:

E in ver, ſe viſa rivolgiam la mente
Alle tante Aſtronomiche fatiche,
Che a Noi del Ciel ſcopri le ſtrade ignote
Ed i moti invariabili e difformi
E al ſaggio dir d'un erudito Ingegno
Mai lodato abbaſtanza infra i più dotti
Allor che degli Ecclißè egli ragiona
De' Medicei pianeti noi potremo
Dedur con prova alla Ragion conforme,
E facilmente riſcontrer col calcolo
Che la Luce in paſſar lo ſpacio immenſo
Per cui dal Sole al noſtro ſuol diffondeſi
Spende di tempo quaſi un ſeſto d'ora.

Et paulo poſt:

Pag. 10. *Convien dunque non ſenz' alto ſtupore*
Conchiuder con quel corſo velociſſimo
Che fa la palla in ſprigionar ſeſteſſa,
Al primier urto della polve acceſa
Sta in proporzione al moto della Luce
Come ſtan cinque luſtri a un ſeſto d'ora.

Ex

Digitized by Google

Ex his judicium ipſi facient Lectores noſtri, quod nobis de Poeſi externæ gentis non ſumimus; etſi videatur, ſi dicere id licet, Autor materiam ſuam paulo magis interdum ornare debuiſſe, non certe non ad ea ſpectantem, quæ deſperandum ſit

Tractata niteſcere poſſe,

& Autori ipſi viam præiverit ingenioſo *Newtonianiſmi ſexui ſequiori explicati* opere, illuſtris civis, *Algarottus*.

ELEMENTA PHYSIOLOGIÆ JUXTA SOlertiora noviſſimaque Phyſicorum experimenta, & accuratiores Anatomicorum Obſervationes concinnata, Autore JOSEPHO LIEUTAUD, Regis Conſiliario, Anat. Profeſſ. Reg. in Univerſitate Aquiſextienſi, & Soc. Reg. Londinenſ.

Amſtelodami, apud fratres de Tournes, 1749, 8 maj.
Plag. 22.

Cum Phyſiologia Anatomicis inſiſtat fundamentis, ab iis certe viris, qui in corporum deſudarunt diſſectionibus, perfectiora longe hujus ſcientiæ exſpectanda ſunt præcepta. A Cel. autem hujus Operis Autore ante ſex jam, & quod excurrit, annos Anatomicas accepimus Inſtitutiones, a quo tempore etiam Phyſiologiam promiſit, nuper vero demum in lucem emiſit. Sed, cum eorum, qui medicam callent ſcientiam, parum interſit, cognitam partium ſtructuram denuo legere expoſitam, noſtro certe ſatisfacturos nos eſſe ſcopo putamus, ſi, præmiſſa generali totius libri diſtributione, peculiares tantum, et in quibus ab aliis diſcedit, recenſeamus opiniones. Taceri enim non poteſt, varia hic deprehendi, quæ et nova ſint, &, ad veritatis trutinam penſitata, non ubique argumentis, omni exceptione majoribus, videantur eſſe corroborata. In eleganti Præfatione difficilioris ſtudii medici cum aliis ſcientiis nexum accurate Autor exponit. Hanc prolegomena excipiunt, quæ corporum naturam phyſice declarant, in quantum nempe eorum cognitio in actionum requiritur conſideratione. Materiam

primam omnium corporum duriſſimam & indiviſibilem pro-
nuntiat, ex qua omnia formantur corpora, & diſpoſitionem
Pag. 10. ad motum habent. Motus cauſa primaria quidem incognita
eſt; adjuvatur tamen per impulſionem, magnetiſmum, ſub
14. quo aliorum attractionem, nec non electricitatem, intelligit,
19. pondus, & levitatem. A ſolidis diſcrepant fluida, quæ vel hu-
mida ſunt, vel ſicca, ut aer, ignis. Horum deinde differen-
tias ulterius exponit, & ignis, aeris, aquæ, ſulphuris, ſalis, ter-
41. ræ, naturam diſquirit. De quibus omnibus tandem judicat,
moleculas eorum eſſentiales nullis gaudere viribus, ſed eas
tunc demum exſerere, cum inter ſe certa ratione compo-
nuntur.

Actiones corporis noſtri vulgo in vitales, naturales, & ani-
males, diſtinguuntur. Hanc itaque normam aſſumens Cel. Au-
tor, *tribus Sectionibus* omnem abſolvit Phyſiologiæ ambitum.
Prior complectitur vitales actiones, cordis nimirum atque re-
44. ſpirationis tractationem. Hanc hominis in genere conſpe-
49. ctus præcedit, qui corpore & mente conſtat. Corpus ex fi-
bris conflatur, quarum ultima, ſeu ſimplex, ſolida ipſi eſt, &
foraminibus pertuſa, motumque habet tonicum, & niſum in
53. contractionem. Fluida ſunt triplicis generis, chylus, ſan-
guis, & humores ſecernendi; hi diſcrepant ratione ætatis, ſe-
60. xus, & temperamenti. *Temperamentum* eſt *illa fibræ ſimpli-
ciſſimæ conditio, qua partes organicæ certa vi ſua obeunt mu-
62. nia, & liquida peculiarem diatheſin contrahunt.* Hæc dein-
de ob calorem & frigus diverſa ſunt. Hinc ſex conſtituit claſ-
ſes, calidum, ſiccum, ſimplex & humidum, frigidumque itidem
ſiccum ſimplex & humidum. In cordis actione declaranda, cujus
ſtructuram breviter delibat, membranaceum deſcribit proceſ-
ſum valvularum, auriculis præpoſitarum, qui ſanguinem co-
67. hibeat, ne mox ex ventriculis erumpat in arterias. Contra-
ctio cordis a ſanguine fluidoque nerveo pendet, cui ætherea
eſt natura & elaſtica; in contractione vero apicem cordis ad
73. perpendicularem ſitum attolli autumat, huncque mechaniſ-
83. mum primum ſe introſpexiſſe gloriatur. Ex iis, quibus ſan-
gui-

guinis natura detegitur, modis eum certiorem eſſe, dicit, qui in ſanguine ex vena miſſo inſtituitur. Purpureus autem glo- Pag. 85.
bulorum color ex inæquali & aſpera eorum ſuperficie pendet. Sanguis triplici movetur ratione, motu fluiditatis, qui aliis inteſtinus vocatur, circulationis, ſeu progreſſivo, & rareſcentiæ, ſive expanſionis, qui ab aere admixto oritur. Inſtauratur deperdita ſanguinis maſſa chylo, qui in ſanguinem convertitur, dum oleoſæ ejus partes in minimis vaſis latio- 95.
ribus ſe tangunt ſuperficiebus, & magnetica ſua virtute firmius cohærent. In altera vitali actione, reſpiratione nimirum, ita de muſculis diſſerit intercoſtalibus, ut recte quidem, utrumque genus elevare coſtas, affirmet. Motum vero alter- 102.
num ita fieri credit, ut per coſtarum elevationem ligamenta, quæ vertebris & coſtis interſunt, elongentur, ſternum antrorſum moveatur, dum autem aer externus pectus premit, ſuperantur cauſæ agentes, & anguſtatur thorax. Quo vero dilatetur iterum, preſſa in muſculorum intercoſtalium fibris materia movens ſponte ſua reſiit, dilatat eosdem, & contractionem producit, ex qua plures in corpus redundant utilitates, in ſpecie autem in pulmones, in quibus aerem ſanguini miſceri 107.
aſſumit, & per eos quidem, per quos exhalatio fit, poros.

Secunda Sectio naturales exponit functiones, viſcerum ſcilicet chylopœorum, ſecretioni & generationi inſervientium. Alimenta maſticata ſaliva miſcentur, quod fit actione muſculorum variorum, quos, ut in omnibus fere capitibus, pro illo, quem a ſummo *Boerhaavio* aſſumtum eſſe conſtat, ordine recenſet, &, digaſtricum maxillam deprimere, putat. Salivam vero a ſputo, quod ex muco faucium laryngis & ſaliva conſtat, diſcernit. Deglutitæ poſtmodum, & ex ventriculo pro- 124.
pulſæ, maſſæ alimentorum bilis affunditur, ad quam elaborandam lienalis ſanguis accedit, qui, in pulpoſa ejus maſſa ali- 145.
quantum ſtagnans, a turgente ſub digeſtione ventriculo expellitur. Confectus autem ex alimentis chylus, per ſatis notas vias ad ſanguinem delatus, ſimul inſervit ſecretionibus, de 156.
quibus hanc fovet ſententiam. Eas non in univerſum fieri per glandulas, has autem optime dividi in *ſecretorias*, quæ 159.

Digitized by Google

ductu excretorio inſtruuntur, *lymphaticas*, quæ vaſa lymphatica trajiciunt, & *anomalas*, quæ incerti ſunt uſus. Ad ſecretionem requiri præviam in vaſis ſanguiferis ſeparationem humorum ſecernendorum, attendendum eſſe ad diverſam in ſanguine velocitatem, ad colatoriorum denſiorem, vel laxiorem, texturam, & ad motum electricitatis, quam ſecretæ particulæ exercent in congeneres particulas, in humoribus latitantes, tandem ad ſecretorum humorum per moram in ſuis organis
Pag. 177. mutationem. Inter ſecretos humores lympha notanda eſt, quæ peculiaribus quidem vaſis continetur, originem autem ſuam non ab arteriis, ſed a fibrarum intercapedine, habet. Ne lympha in progreſſu ſuo nimis viſcida fiat, a glan-
178. dularum lymphaticarum, tanquam totidem corculorum, actione magis elaboratur. Hæc ipſa lympha quoque ſola nutritionem perficit, dum, partibus deſtructis, reliquis etiam hu-
188. moribus licet immiſſa, applicatur. Glandulæ atrabiliares, ſtructura ſua a lymphaticis non diverſæ, humorem acrem ſecernunt, qui, venoſo ſanguini admiſtus, ejus concretionem præcavet. Perſpirabilis materia, & per cutis vaſa, & per fibrarum interſtitia, ex internis partibus erumpens, varias ſecum ducit particulas, ex quibus oleoſas in contextum cellulosum
197. & oſſium cava deponens, pinguedinem atque medullam gi-
201. gnit. Glandula lachrymalis cum ſalivalibus convenit, membrana autem pituitaria & ceruminoſa aurium perſpirationis
202. reſiduas partes excernit. In generatione deſcribenda cum aliis conſpirat, niſi quod animalculis ſpermaticis animam ſenſiti-
211. vam, non rationalem, adſcribat; ſpermatis autem ſecretionem ex lente procedente ſanguine electricitatis motu fieri, demonſtrare annitatur. In fœcundo coitu tale animalculum, ad ovum deductum, ſimul cum eo vel per dilatatos ovarii po-
225. ros, vel per membranæ diſtractionem, ad tubam *Fallopii* regreditur, ejusque motu periſtaltico ad uterum decurrit. Quamvis autem aliorum de generatione hypotheſes refutet; miramur tamen, Cel. *Lieutaud*, eam, quæ præexiſtentes aſſumit fœtus, refelli poſſe, credere, per ridiculam *Salmuthi* obſervationem, qua, fœtum in ventriculo fœminæ increviſſe, aſſerit,

ſerit,

ſerit, cum maritus per os cum ea fuerit congreſſus. Fœtus, Pag. 235
in utero contentus, vaſa ſua non cum eo jungit, ſed cum vena umbilicali, neque per os nutritur, ſed ſanguine ſuſtentatus tandem excluditur.

Inter animales functiones, quas *tertia Sectio* tractat, nervorum fluidum, motus muſculorum, ſenſus, tum interni, tum
externi, & ſomnus, locum habent. Nerveum fluidum alio, 254.
quam reliqui humores, modo ſecernitur, arteriæ cerebri motum nullum habent, & ob frequentiores anaſtomoſes ſanguis lente in iis procedit. Hæ conditiones vero, ſecundum ejus mentem, multum conferunt ad magnetiſmi vim, ut particulæ ſpirituum ſibi jungantur, vaſorum permeabiles tunicas trajiciant, non in tubulis contineantur, ſed in pulpoſam cerebri ſubſtantiam tranſeant, et per hanc ad reliquas partes de-
pluant. Præterea hoc fluidum menti humanæ intime ſocia- 255.
tur, & per aliqualem cerebri elaterem propellitur. Ita 258.
tamen comparatus eſt ſpirituum motus, ut, ubique partes ſuo
cum ſint plenæ fluido, tota maſſa afficiatur. Duplici parte 259.
conſtat hoc fluidum. Summe mobilis pars eſt ſentiens; in
hac natat altera, exquiſitis elateriis inſtructa, quæ movens ap- 261.
pellatur. Motus vero muſcularis perficitur, dum in ultimam
fibram, quæ veſicularem ſtructuram non habet, hiat nervi 268.
ramulus, ex quo non totum fluidum, ſed materia illa elaſtica, movens exit, fibras diſtendit, atque, ut muſculi accurtentur & durescant, efficit. Ad ſenſationes internas intelligendas noſſe decet, aliam animam corpoream eſſe, ſeu ſenſitivam, quæ in brutis inſtinctum facit, aliam immaterialem, quæ in homine cum ſenſitiva intime conjungitur. Ex ſpirituum in diverſis hominibus convenientia & diſcrepantia ſympathiam & antipathiam proficiſci, judicat. Sedem animæ in centro ova-
li ponit. Reliquas deinde ſenſationes conſueto explicat mo- 284.
do, ſed, dum varium motum ſpirituum in iis agnoſcit, nec
ipſe ſuæ ſententiæ firmiter inhæſiſſe videtur. In organis ſen- 298.
ſuum externis malleo auris unum tantum adſcribit muſcu-
lum. Lumen, quod viſum excitat, ab igne differt, & conſi- 308.
ſtit in materia quadam ætherea, tenuiſſima, ſubtiliſſima, atque

ad motum prona. Sed ſatis ſententiarum. Somni natura ultimo exponitur loco.

LUDOVICI SABBATINI DE ANFORA, CONGREGationis piorum operariorum Presbyteri, ad Eminentiſſ. ac Reverendiſſ Dominum Cardinalem D JOSEPHUM SPINELLI, Archiepiſcopum Neapolitanum, Epiſtola, qua vetuſtæ Inſcriptionis fragmentum, Neapoli nuper detectum, illuſtratur.

Romæ, ex typographia Bernabo & Lazzarini, 1747, 4 maj. Plag. 2.

Inſcriptionis vetuſtæ fragmentum, optimis characteribus conſcriptum, in Neapolitanorum principe templo, nominatim S. Aſprenati, primo illarum partium Antiſtiti ſacro, in ſacello, cum illius corpus recognoſceretur, nuper detectum fuit. Eadem inſcriptio ab erudito Viro ſuppleta, ac Florentiam miſſa eſt, ubi, ad manus *Jo. Lamii* perlata, literariis Hetruſcis Ephemeridibus inſerta eſt. Hanc ipſam nunc *Sabbatinus* illuſtrat. Eſt autem, adjecto ſupplemento, ſequens:

DN PLACIDVS VALENTINianus præſtan
TISSIMVS OMNIVM RETRo principum
SALVO ADQVE CONCORDI domino Theo
DOSIO INVICTISSIMO AVg ſub auſpiciis no
MINIS SVI NEAPOLITANAm civitatem
AD OMNES TERRA MARIQue incurſiones
EXPOSITAM ET NVLLA ſecuritate
GAVDENTEM INGENTI cura adque
SVMPTV MVRIS TVRRIBusque munivit.

Placidus Valentinianus tertius hic indicari putatur, Seculo V
Pag. 4. cum *Theodoſio* imperans juniore: dum alioqui & *Gratianus* addendus fuiſſet. *Adque* ſcribi dicitur pro *atque*, ut *atlectus* alicubi pro *adlectus*. Quorum quidem poſterius nos inſci-
7. tiæ lapicidiæ, prius vocabuli, *& ad hac* indicantis, naturæ, tribui-

buimus. Ratio propria, cur in inſcriptione *Theodoſius*, Pag. 8.
non *Valentinianus*, *Auguſtus* appelletur, haud inveniri poſſe cenſetur, niſi dicamus, hunc lapidem ante, quam *Valentinianus Auguſtus* nominaretur, poſitum fuiſſe. *Valentinianus* autem poſt diem 10 Octobris, anno CCCCXXIV, *Cæſar* dictus eſt, die 23 Octobris, anno ſequenti, *Auguſtus*. At- 9.
tamen, cum, anno ætatis quinto, Cæſarea ſit veſte indutus, ipſe videt Clariſſ. Autor, hocce non adeo quadrare. Nobis in mentem venit, ſi quid hic conjectura ſtatui poteſt, forſitan juvenem Principem, anno quippe 36 ætatis jam necatum, conceſſum a ſeniore *Theodoſio* titulum, honoris ac modeſtiæ cauſa, non ſtatim uſurpaſſe; adeoque, licet priores civium honorificas denominationes non rejiceret, ita tamen exſcribi verba juſſiſſe, ut eminentiſſimus ille titulus alterius ſolum nomini adderetur. Quæ ſi valent, facile & conjici poteſt, utrum verſus quarti ſupplementum *Jac. Martorelli*, in Neapolitano Lyceo Regii Græcæ linguæ Profeſſoris, qui legit *ſub auſpiciis numinis ſui*, an *Scipionis Chriſtophori*, Presbyteri Neapolitani, qui cum Noſtro mavult: *ad gloriam nominis ſui*, prærogativam mereatur; niſi potius tertia quædam, ac forte proxime antecedentem controverſiam ſimul dirimens, vera debet exiſtimari lectio. Nimirum, licet nobis illa prior magis videatur modeſta, non tamen ideo præ ceteris omnibus commoda, neque Inſcriptione, quæ ſupra triumphalem *Titi Veſpaſiani*, Judæorum domitoris, arcum antiquitus legebatur, ſtabilienda, quippe quæ non *Titum*, ſed venerandum ipſius patrem, debitamque *Titi* pietatem, ſpectat. Eſt autem ſequens: *Imp. Tito Cæſari divi Veſpaſiani F. Veſpaſiano Augu-* 10.
ſto Pont. Max. Trib. Pot. X. Imp. XVII Coſ. VIII P. P. Principi ſuo S. P Q. R. *quod præceptis patris conſiliisque & auſpiciis gentem Judæorum domuit, urbem Hieroſolymam, omnibus ante ſe ducibus, regibus, gentibusque, aut fruſtra petitam, aut omnino intentatam, delevit.* Ad memoratas in Neapolitana Inſcriptione *incurſiones* quod attinet, excitantur *Flo-* 11.
rus I, 16, Plinius H. N. III, 5, Caſſiodorus Variar. Lib. VI Cap. 23, Mabillonius in *Muſ. Italic. Tom. I pag. 104 n. 20*, ubi

ubi præſertim Campaniæ ubertas deſcribitur, plures facile al-
Pag. 12. liciens. Hinc referuntur, quibus expoſita fuerit, incurſiones, omnes autem inſcriptione recentiores, adeoque in ipſa non
13. indicatæ. *Sumtus*, quo mœnia condita fuerint, dicitur *ingens* propter amplitudinem Parthenopes, cujus muri etiam tertii decimi Seculi initio usque ad caſtrum Lucullanum, quod nunc *Caſtello dell' Uovo* dicitur, extendebantur, & cujus, incolarum frequentia ſcatentis, ſepulcreta ſpatioſiſſima fuerunt, quod rudera hodieque demonſtrant, quæ *Mabillonius* ipſa
14. Romana ſuperare ſplendore & magnificentia, profitetur. Iſtiusmodi autem urbs prægrandibus muris ac munitiſſimis turribus ornabatur, quarum fragmenta, Seculo XVII labente, ſub Sanctorum *Severini Soſii*que Cœnobio, ut *Celanus* in *Notizie di Napoli Tom. I pag. 9* teſtatur, reperta ſunt, miro quidem opere facta. Sed, cum jam *Annibalis* tempore urbs munitiſſima fuerit, (vid. *Livius XXIII, 1 & 9,*) quæ deinceps
15. mœnia, inſcriptione, jam deperdita, ſignificante, *Cæſar* refecit, ſed, quod vult Noſter, a barbaris diruta, & ex parte ſolo æquata, *Valentinianus* inſtauravit; dubium ſane relinqui videtur, quorum denique murorum laudata fuerint fragmenta; niſi forſitan hoc idem exemerit *Procopius de Bell. Goth. Lib. I Cap. 8*, & *III, 7 ſeq.* Quod ipſum accuratius dijudicare Neapolitanorum eſt, qui, civi ſuo jure ſe devinctos eſſe, concedent lubentiſſime.

TYRRHI CREOPOLITÆ, P. A. DE JESU INFANTE Odæ Anacreonticæ, cum Italis interpretationibus aliorum Arcadum. Accedunt diverſi generis Carmina ejusdem Autoris.

Romæ, ex typographia Palladis, excudebant Nic. & Marcus Palearini, 8 maj.

Plag 12.

Arcadum Poemata jam ſæpius in his *Actis* laudare meminimus. Eminent profecto inter Italorum univerſa, plurimis-

Digitized by Google

rimisque aliarum gentium Latinis palmam faciunt dubiam. Laude inprimis dignum eſt, non tam ludicris, quam ſeriis, nominatim autem ſacris etiam, carminibus Arcades, illuſtriſſimam in Italia ſocietatem, operam navare. Specimen, quæ coram ſunt, præbent haudquaquam ſpernendum. Lojoliticæ ſocietatis Pater, *Joſephus Carpani*, nihil hic intactum reliquit, quod ad infantiam Chriſti deſignandam pertineat. Unum modo eſt, de quo dubitamus: alterum, quod ipſi, cui addictus eſt, doctrinæ & cultui condonamus. Dubitamus, num ſacrum contextum fabulis poeticis augere potius, quam illuſtrare, liceat. Quodſi ergo non carpimus, a Poeta noſtro ex Oriente tres Reges, horumque unum Æthiopem, produci; habere tamen aliquid ſingulare paſtorum dona videntur, quorum Pag. 49.

Paſſerculos hic offert,
In nidulo cubantes,
Qui pipilando matrem
Vocant hiante roſtro.
Manu alter albicantem
Tremulamque fert coloſtram;
Fiſcella quam coercet
Viridante texta junco.
Alii offerunt quaſillos,
Aut herbulis odoris,
Aut floſculis refertos,
Quos obſequens December
Tulit ſtrepente fruſtra
Borea nivoſo ab axe.
Pecoris ſed ecce dives
Seniorque paſtor agnum
Pexumque candidumque
Deponit ante cunas,

Digitized by Google

Genuque nixus uno,
Mox pendulam cicutam
Ori admovet, canitque
Arcana, quæ canenti
Divina lux retexit.

Sane, ſicubi interdictum eſt addere, vel demere, quidquam, in ſacris paginis id putemus; ubi præſertim veri ſimilitudinem lædere, vix erit conceſſum. Ut de prioribus donis taceamus. Cum divinum præceptum annuum agnum præcipiat, nec niſi egenis puerperis turtures permittat; vix credi poteſt, ultimum *Mariam* donum potius mactaſſe, aut vendidiſſe, quam domino ſervandum curaſſe. Vid. *Lev. XII, 6, 8*, coll. *Luc. II, 24*. Atque ita pluribus in locis majorem requirere liceret cautionem, ſi maculas potius detegere, quam indulgentioris Hiſtorici partes explere, ſtuderemus. Hæc autem cum nobis placida & facilis ad indulgendum mens ſedeat; argumenta potius Odarum indicabimus, ſua cuique laude relicta. Hinc invenimus Carmina Jeſu flenti, paleis in præſepi, ſacra; quo *Corydon* ceteros paſtores ad infantem Jeſum cantandum hortatur, quo virgines Ebrææ monentur, quo dolores infantis ex duro gelu & duris pallis deſignantur, quo puer Jeſus lachrymans ob vitia & pravas hominum affectiones ſiſtitur; puerulo Jeſu inſomni, divini amoris triumpho, munuſculis paſtorum Bethlehem, tribus orientalibus Regibus, ad Jeſum infantem munera deferentibus, eorundem adventui & muneribus, Arcadibus paſtoribus, ut Jeſu carminum tributum offerant, Jeſu, amputationi præputii ſe ſubjicienti, *Simeonis* & *Mariæ* die purgationis ac luſtrationis occurſui, ſancto *Simeoni*, divinæ Virgini minus fauſta annuntianti, dedicata; quo in *Herodem*, communi puerorum clade Jeſum interficere cupientem, invehitur Poeta, quibus denique *Rachelis* querelas & execrationem, ob liberorum ſuorum cædem, ac fugam in Ægyptum exponit. Italicas horum Carminum interpretationes, quarum uni Carmini non raro plures adjunctas videmus, Arcades primarii & celeber-

berrimi ſcripſerunt: Societatis nomine *Miræus Ropheaticus*, proprio Abbas *Michael Joſeph. Morei*, Cuſtos Arcadiæ generalis, cujus Latina Carmina alio tempore laudavimus, & quo diſertiſſimo interprete nuper *Menckenio* noſtro in illuſtriſſima hac Paſtorum Societate locus delatus, nomenque *Poliunti Criuntini* datum eſt, *Novildus Amarintius*, ſive Abbas *Joach. Pizzi*, *Acamantes Pallantius*, ſive Abbas D. *Joſeph. Brogius*, Arcadiæ procuſtos, *Nicaſius Porrinianus*, ſive *Alex. Pompejus Berti*, de Patribus matris Dei, *Alidaurus Pentalides*, ſive *Jo. Petr. Taggliazucchi*, *Pherecydes Leonidejus*, ſive Abbas *Thom. Palleſchi*, Subcuſtos, *Fibrenus Meliſiacus*, ſive Doctor *Paſqual. Fantauzzi*, *Dorindus Nonacrinus*, ſive *Odam* eques, *Polimedon Eutraſius*, ſive D. *Jac. Miſtichelli*, *Laurillus Gerontejus*, ſive Abbas *Petrus Bagnara*, *Taleus Gortinianus*, ſive Abbas *Joſeph. Scoſſa*, *Amildus Cilleneus*, ſive Abbas *Jac. Cemmi*, *Ermetius Cariſtius*, ſive Com. *Joſeph. Menatti*, *Lycurgus Aliſſonius*, ſive *Vincentius Morotti*, *Filacidas Lucinianus*, ſive Abbas *Franc. Lorenzini*, *Idalces Troſejus*, ſive Abbas *Julius Cæſar Bianchini*, *Euridalcus Corinteus*, ſive Abbas *Gaetanus Golt*, *Geniſtus Nidemius*, ſive Abbas *Eugenius Maria Pizzi*, *Seneurius Mirtilius*, ſive Abbas *Car. Veroneſi*, & *Eurindus Olympiacus*, ſive *Franciſcus Maria Gaſparri*, cauſarum patronus, quorum plerorumque interpretationes, ut imagines tamen, cum ipſius *Carpani* laboribus velut de prærogativa certare laborant. Hujus autem & ſubjuncta inter Carmina varii argumenti reperimus, ipſas quæ Odas ſuperant. Huc referimus primum ſtatim heroicum, quod inſcribitur: Carminum & legum concordia; alterum, quo probatur, aliquorum Poetarum eſſe vitiis tribuendum, quod in minori Poeſis pretio habeatur; & tertium, quod *Albunæ Sibyllæ* Tyburtinæ vaticinium complectitur. Iſta heroica excipiunt elegiaca minora, inſcripta: *Benedicti XIV* frugalitas & effuſa in Romanum populum beneficentia; ad eundem eruditiſſimorum librorum de Canonizatione Sanctorum Autorem; ad ſtatuarium, ejuſdem Summi Pontificis ſimulacrum elaborantem;

tem; de baſi anaglyptico opere elaborata, evectaque juſſu ejusdem Summi Pontificis ante forum *Innocentianum*; idem Summus Pontifex domeſticam in Collegio Romano aromatum officinam inviſit; ad eundem Summum Pontificem, ut SS. Virorum apotheoſin celebret; idem ſolenni apotheoſi viros aliquot morum ſanctitate præſtantiſſimos in Divorum numerum refert; *Cleopatra* poſt Actiacam cladem aſpidem pectori admovet; ad navem, qua olim *Jacobus III*, M. Brit. Rex, in Scotiam vela fecit; ad regalem ſponſam *Jacobi III*; Corcyræ arx munitiſſima, fulminis ictu magna ex parte diruta; in *Cinnamum*, ſcribentem verſus cultu ſermonis nitidos, ſed frigidos & enerves; ad S. P. *Clementem XI*, in Collegio Romano Muſeum *Kircherianum* inviſentem; in eundem, antiquæ Romæ ædificia inſtaurantem; ſanctæ Romanæ eccleſiæ Procancellarii aula juſſu *Clementis XI* reparata, & magnificentius ornata. Quæ nominaſſe, ut multa, deinceps ſequentia, plane tacuiſſe, ſufficiet. Excipimus hic elegantiora duo, Regio Saxonum Principi, communi acclamatione Academiæ Arcadum Romæ adſcripto, dedicata, & tum elegantia, tum ominibus, inſignia.

NOVA LITERARIA.

Mediolani Opus nobile, & hiſtoriam medii ac recentioris ævi, maxime Italiæ, egregie illuſtraturum, meditatur *Phil. Argelatus*, tot aliis non mediocris doctrinæ ſcriptis dudum famam præcipuam conſecutus. Eſt hic Operi index: *De Monetis Italiæ variorum illuſtrium Virorum Diſſertationes, quarum pars nunc primum in lucem prodit.* Philippus Argelatus, *Bononienſis, collegit, recenſuit, auxit, nec non Indicibus locupletiſſimis exornavit.* De quo Opere quæ ipſe nuper nos docuit diligentiſſima Epiſtola *Argelatus*, non abs re fuerit, plenius hic, & ipſis Autoris verbis, cognoſcere:

Ea eſt humanæ naturæ ad res novas perſcrutandas inexplebilis cupiditas, ut perpetuo quodam acerrimoque animi impetu agi-

agitemur, neque non ſemel in diverſa contendamus; quodque mirabilius eſt, iisdem efferimur ſtudiis in ipſa etiam cultura literarum, in qua, ſi uſpiam alias, rectæ rationis præceptis inhærere ſtudemus. Atque hinc porro, ni fallor, impellimur ad cognoſcendas abſconditas quasque res tanta contentione animorum, ut laboribus & impenſis parcere neſciamus, poſtquam ſemel in hoc genere ſtudiorum aliquid feliciter tentatum eſt. Illico enim ad nova etiam tentanda trahimur, non ſecus ac reduces a longa navigatione memoria ipſa periculorum, & immenſi maris recordatione, temerario quodam impetu in altum revocamur. Hæc mihi præmittenda putavi, novam hanc rei monetariæ Collectionem capeſſenti poſt editas ampliſſimas alias Rerum & Antiquitatum Italicarum Collectiones, *poſt auctum* & *illuſtratum* Sigonium, *& compoſitam* Mediolanenſium Scriptorum Bibliothecam, *ſane copioſam, cui non minimum gloriæ acceſſit Reginæ noſtræ Auguſt. Imp. nomine: atque, illi libros conſecraſſe, laudi nobis fuiſſe gratulamur. Namque de iisdem verba minime faciam, quod totum hominem non poſtulabant; vix enim unum, aut alterum, ex ipſis Operibus me abſoluturum ſperabam, cum ſingulis operam darem; ſed, ope divina præter ſpem abſolutis, reſumtis iterum iterumque viribus, lætus cognovi, non ſolum digeſtum fuiſſe copioſiſſimum* Indicem *præfatæ Collectionis rerum Italicarum, nonnullis accuratiſſimis doctisque Viris mecum labore improbo diu manus adhibentibus, verum etiam otii plurimum ſuperfuiſſe ad alia paranda. Duo itaque, dum veterum* Poëtarum Latinorum *verſionibus continuandis incumbimus, noviſſime placuerunt*, Bibliotheca *nempe* antiquorum Scriptorum usque ad Seculum XVI, *quorum opera ex Hebræa, Arabica, Græca, Perſica, Turcica, ceterisque linguis exoticis, ac Latina, in Italicam noſtram translata fuerunt, in qua deſcribenda veſtigiis inhæſi illuſtrium Virorum, qui de Italis noſtris, eorumque ſtudiis, in hoc genere Verſionum (ut ajunt) Commentaria ſua in publicum emiſerunt. Sed liceat ipſi mihi fortunæ meæ gratulari, cum eorum videar diligentiam longiſſime ſuperaſſe, ut cuique brevi conſtare poterit ex.*

 com-

Digitized by Google

comparatione librorum. Alterum eſt de re monetaria, *curioſius, &, ni fallor, utilius, argumentum. Noſtris enim temporibus turbata ubique fere gentium æſtimatione Monetarum, mirum dictu, quot jurgia emerſerint, quot & diſſidia, quæ alicubi facile in bella migratura fuiſſent, ni Principum cura obortam graviſſimam tempeſtatem quoquo modo ſedaſſet. Apud nos vero nemo eſt, qui non ſenſerit auctum vel ſupra æquam rationem rerum omnium pretium, unde incommoda plurima extitere non tam privatis rebus, quam publicis, & negotiationi potiſſimum, ob commercium cum ceteris nationibus non facile, ut ante, ineundum, ſine quo fortuna urbis noſtræ diu ſtare non poteſt. Cum vero mala certiſſima paſſi fuerimus, & remedia non ſemel ſedula magiſtratuum cura ſint quæſita, non minus gravia cognovimus remedia, quam ipſa mala. Hinc aſſiduæ in plateis, privatisque domibus, tamque variæ, de hac materia diſceptationes. At profecto, ſi diverſæ oppido opiniones ſint afferendæ, finis dicendi nullus eſſet; poſtremoque facile eſſet pronuntiandum, plurimum dictum fuiſſe, ſcriptum plurimum, at mehercle re parum cognita. Hoc ego incommodum, ſi poſſem, pro viribus reparaturus, ex certiſſimis rei monetariæ veterum monumentis, & ſelectiorum Virorum obſervationibus, Collectionem hanc inſtituere cœpi, eo potiſſimum conſilio, ut, ſi fieri poſſet, delatum, ut ita dicam, Opus a Clariſſ. Viro,* Ludovico Antonio Muratorio, *cujus nunquam non mihi nomen erit venerandum, accuratiori lima perpolirem.*

Is enim in ſuis Italicis Antiquitatibus *Diſſertationes duas de Monetis exaraverat, quas ego, dum publici juris facerem, ulterius produci poſſe præcognoveram; quin immo cum ipſo doctiſſimo atque humaniſſimo Amico, facturum aliquando me, communicaveram, quod illi gratiſſimum fuit. Hinc eſt, ut veſtigiis ejusdem inhæſerim, neque metam illius exceſſerim, tempusque præfinitum. Hac enim re una ſatis me facturum exiſtimavi, ſi plura afferrem, quæ ad manus illius delata non fuerant, quæque ipſe comparaveram a ſingulis ferme Italiæ urbibus amicorum ope, quibus pro more meo ſuis opportunius locis*

honor

honor habebitur. Cum vero conſilium hocce meum cognoviſſet literatiſſimus Vir, P. Ferdinandus Schiavini, *Ordinis Eremitarum S. Auguſtini, cui me debere plurimum palam profiteor; literas ad me dedit, quibus hortatus eſt, ut non unam tantum ſeriem Italicarum Monetarum exhiberem, ſed & ſingularum pondus, & valorem, quem dicunt, certiſſimis e monumentis inveſtigarem. Probatum illico a me conſilium fuit, ſimul tamen cognovi rei maximam difficultatem. Homo quippe requirebatur in urbibus ſingulis, quibus aliquando Monetæ cudendæ jus fuit, ſummaque in iis perquirendis & illuſtrandis diligentia, quæ per me, ſi ſolus eſſem, minime præſtari poterat. Cum dubitanti mihi, atque ancipiti, en ad me deferuntur accuratiſſimi libri de Nummis Patriarcharum Aquilejenſium, & de re nummaria Patavinorum, quorum primus Autorem habet Clariſſ. Virum,* Bernardum Mariam de Rubeis, *Ordinis Prædicatorum, alter doctiſſimum* Joannem Brunatium, *utrumque diligentia, eruditione plurima, commendatiſſimum, ne de ceteris hic verba faciam, quorum illuſtria nomina ſequens exhibet Elenchus. Diviſum inter plures Opus ad umbilicum, ut ajunt, facile deduci poſſe, putavi; &, veluti ſorte mihi datam, hanc Mediolanenſem provinciam modis omnibus excolendam accepi, collectis Monetis omnibus, quarum notitia ad me eſt perlata, auro argentoque cuſis, earumque certo valore per varia tempora inveſtigato. Univerſæ namque Italiæ id maxime commodum exiſtimavi, quod officina monetaria Mediolanenſium, quam vulgo appellant* Zecca, *perpetuo magnitudini urbis par fuit, ac inter ceteras ob fidem laudatiſſima; atque utinam Romæ, Neapoli, Venetiis, ac Florentiæ, par cura excitetur, ex qua utilitatis plurimum accipiet Italia univerſa in tanta varietate Monetarum pretii cum detrimento non rerum privatarum tantum, ſed publico, cui provideri nulla ratione videtur poſſe, niſi præcipuarum Italicarum officinarum inter ſe comparatione, unde ſtatim emergat æqua proportio, quæ ſit omnibus communis & perpetua, ſine qua jurgia ſemper & querelæ erunt acerbiſſimæ. Operi manum appoſiturus, ad Clariſſ.*

J. C.

Digitized by Google

J. C. & Advocatum Joannem de Sitonis de Scotia *acceſſi, precatusqae ſum, ut, ſi quid aliud, præter ea, quæ de Monetis noſtris edidorat, ſecundis curis comparaſſet, pro humanitate ſua communicaret, quod & copioſiſſime fecit. His obtentis, nihil adhuc diligentiæ peperci meæ, ut plura congererem. Eaque de re copia facta ex Archivo & Caſtri Portæ Jovis, & noſtratis officinæ monetariæ, plura collegi, quæ infra ſunt exhibenda, quibus omnibus monumentis locuples, moleſtiſſimo labore Tabulas digeſſi, in quibus per duo Secula & ultra enunciantur Monetæ omnes Mediolanenſes, auri, argenti, & æris, cujuscunque moduli, quæ impreſſæ fuere ad noſtra usque tempora, annotato ſingularum pondere, valore intrinſeco, remediis, ut vocant, & extrinſeco pretio, atque utinam Regium hoc officinæ noſtræ Archivum ita ſartum tectum ſervatum fuiſſet ab injuria temporum, ut alibi ac Neapoli potiſſimum factum fuiſſe intelligo; eo namque præſidio, ac certiſſimis teſtimoniis, de veteribus, quæ præceſſerant, Monetis diſceptatio jam nulla eſſet inſtituenda. Sed & in hac parte lucem aliquam attulit J. C.* Joannes Angelus de Cuſtodibus, *Antiquitatum Mediolanenſium ſolertiſſimus indagator, a quo nonnulla Diplomata Principum noſtrorum, aliaque de re monetaria documenta, accepimus. Hæc de Mediolanenſibus præcipue ſedula cura comparavi, nique fallor, futurum ſpero, ut ſpicilegium ceteris in hac materia vix reliquerim. Præterea etiam Monetas alias cujuscunque Italicæ nationis, quantum potui, amicorum fretus opera, in medium affero, eo conſilio, ut argumentum potius proponam literatis viris cujuscunque civitatis ad rem exhauriendam, quam ad antiquitatis lautitiem apparandam. Ipſi enim res ſuas edocti, facilius ac diligentius, quam alter uſpiam, de iis aget, eaque de cauſa maximas me gratias habiturum eſſe profiteor, ſi quis operam ſuam quacunque in parte adhibuerit ad rem tanti momenti diligentius illuſtrandam. At reponet aliquis, multo plura me congerere potuiſſe de re monetaria. Ita vero ingenue fateor; ſed Bibliothecam integram potius inſtruere neceſſum fuiſſet, quam Tractatum, in*

tan-

tanta copia Scriptorum, tam noſtratum, quam alte-
rius cujuscunque nationis, qui vel Politicorum, vel Ju-
riſconſultorum, more ſingulis ferme ſeculis meditatio-
nes ſuas propoſuerunt, quorum ſi quis nomina tantum
recenſeat, non minimam libri partem hac re una com-
pleat. Quamobrem, commodius me facturum, putavi, ſi,
poſt collectas Monetas omnes veteres, ut ante præfabar,
ea maturius inquirerem, quæ alibi fruſtra quæſiveris.
Neque improbatum fuit conſilium literatiſſimis Viris in
hac urbe, maxime autem Alexandro Theodoro Mar-
chioni Trivultio, cujus ſapientiæ & conſilio plurimum
tribuimus. Multum aliis etiam debemus, qui pretioſiſ-
ſima quæque contulerunt, quæ in adjuncto Elencho numeran-
tur; officium vero eorum ſatis liberale gratiarum a-
ctionem expetit, quas hoc loco, quantum tenuitate mea
poſſum, in futurum ævum rependo, Illuſtriſſimo nempe ac
doctiſſimo Viro Comiti Senatori D. Gabrieli Verro, cujus
eximiam doctrinam, ac politiſſimam Italici non minus,
quam Latini, ſermonis elegantiam, nemo ſatis commen-
daverit; Clariſſimis Viris, Joſepho Antonio Saxio, Am-
broſianæ Bibliothecæ Præfecto, cui a ſolo nomine ob edi-
ta opera laus maxima; Canonico Joanni Andreæ Irico,
ex Doctoribus ejusdem Ambroſianæ Bibliothecæ, quem
ſatis editæ ab ipſo lucubrationes, & patria Tridi-
nenſis Hiſtoria, illuſtrarunt; Anonymis tandem Mediola-
nenſi & Cremonenſi, quorum ſingularis modeſtia pro-
hibet laudibus efferri nomina. Collectionem hanc mal-
lem quidem a me tradi meliori potuiſſe ordine; ſed,
cum aliis alia temporibus monumenta ad me perlata
ſint, fortunæ inſerviendum fuit. Coronidis loco Diſſer-
tationem ejusdem Clariſſ. Muratorii cudendam iterum cu-
ravi, quam de Sigillis medii ævi Principum edi-
dit, idque propterea factum eſt, quod in Sigillis iis
imagines Principum diligentius repræſentatæ ſint, quam
in Monetis; ea re etiam error corrigitur, in quem plu-

rimos incidiſſe conſtat, qui Sigilla pro Monetis, & vice verſa, nobis exhibuerunt. Non me latet, ſuppleri magnopere potuiſſe Diſſertationem ingenti numero Sigillorum, uti de Monetis altera: ſed, quoniam eruditiſſimus Vir, Dominicus Maria Mannius, *Florentinus, provinciam hanc, ſupra quam credi potuerat, ornavit, aliorum ſcrinia expilare nolui, & antiquitatis ſtudioſos ad editos ejusdem libros remitto. Grata fortasſis erunt hæc ſtudia noſtra, ſed gratisſima futura erunt ea, quibus incumbimus actu, illuſtrandis ac edendis nempe Operibus omnibus* Panvinii *celebratisſimi, tam editis hactenus, quam ineditis pluribus, pari diligentia, quam in edendo* Sigonio *adhibuimus, jamque ſunt omnia parata prelo, & exeunte anno ſpecimen exhibebimus, ſi placet Superis. Quodſi huic Operi perficiendo in tanta horum temporum calamitate, ac tam infelici rerum domeſticarum conditione, vires mihi minime deerunt, hoc erit a ſingulari divina ope unice repetendum. Quocunque enim me convertam, videor humano prope omni præſidio deſtitui; quo enim tempore univerſa fere Italia longo graviſſimoque bellorum eſt impetu profligata, eadem nos fortuna jactati fuimus, atque auxilium illud omne ſubſidiumque ad res noſtras ſuſtentandas, quo jam diu Caroli VI Aug. Cæſ. memoria, nunquam interitura, beneficio ac liberalitate fruebamur, Reipublicæ anguſtiis plane amiſimus. At erit his quoque finis, ablandiente ſpe, fore, ut aliquando Auguſtiſſimæ Dominæ noſtræ munificentia atque auxilio ſubſidii aliquid habeamus, quo pares poſſimus eſſe impenſis. Accipe interim hæc, Lector, & judicio tuo laboribus noſtri plaude, ac vale.*

Totius Operis hic eſt elenchus: Pars I: de Moneta, *ſive Jure cudendi Nummos, Diſſertatio* Ludovici Antonii Muratorii, *iterum recuſa;* ejusdem *de diverſis Pecuniæ generibus, quæ apud veteres in uſu fuere, Diſſertatio,*

denuo

Digitized by Google

denuo typis data; de Nummis Patriarcharum Aquilejenſium Bernardi Mariæ de Rubeis, *Ordinis Prædicatorum*, Diſſertatio prima *&* ſecunda, *altera vice prelo commiſſæ;* Joannis Brunatii de re nummaria Patavinorum, *editio ſecunda;* Ferdinandi Schiavini, *Ordinis Eremitarum S.* Auguſtini, *Obſervationes in Venetos nummos, a Clariſſ.* Muratorio *editos, aliis item de novo adjectis; quibus acceſſere Additamenta II ad Nummos Mediolanenſes, qui in* Muratoriana *Collectione deſiderantur, & Explanatio nummi argentei Brixienſis;* Editoris *Additiones ad Nummos variarum Italiæ urbium, una cum earundem formis, & explicationibus.* Pars II: Joannis de Sitonis de Scotia *Elucubratio de antiquis & modernis in Inſubria Monetis, editio tertia, correctior, ac novis additionibus aucta. Accedunt ejuſdem Diſſertatio ad oſtendendum pretium antiquæ Mediolanenſis Monetæ, appellatæ* Ducati d'oro in oro; *nec non Obſervationes monetariæ, ab eodem Autore collectæ ab anno MCLXI, uſque ad MDCCXXXII, primum publica luce donatæ;* Spicilegium *de valore Monetarum Mediolanenſium ex antiquis Chartis Archivi, præſertim Baſilicæ Collegiatæ S.* Georgii *in Palatio, deſumtum a* Joſepho Antonio Saxio, *Bibliothecæ Ambroſianæ Præfecto, quod nunc primum prodit;* Petri Zagatæ *Obſervationes de Libris & Monetis Veronenſibus, ac aliis nonnullarum urbium, Italice ſcriptæ, nunc iterum prelis commiſſæ;* Joſephi Lirutí *a Villa frigida Diſſertatio de Monetis, quæ in Forojulienſi Provincia curſum habuerunt a Seculo circiter V usque ad XV, in qua etiam de antiqua Veneta Moneta nonnulla recenſentur; vulgari ſermone ſcripta, & rurſum luce donata;* de Monetis Italiæ, *earumque pondere & valore a Seculo XI ad XVIII, Tractatus hiſtoricus, œconomicus, atque politicus, e Codice* Anonymi *Cremonenſis, Italice ſcripto, & nunc primum typis commiſſo;* Simonis Petri Bartholomæi *de Tridentinarum, Veronenſium, Meranenſiumque, Monetarum ſpe-*

Digitized by Google

ciebus, & valore cum hodiernis Monetis Auſtriacis & Venetis comparato, Diſſertatio, aliquot notis criticis, geographicis, & hiſtoricis, illuſtrata, & denuo typis tradita; Diplomata antiqua, *aliaque Documenta, ad comprobandam illuſtrandamque* Joannis Sitoni de Scotia *Elucubrationem de antiquis & modernis in Inſubria Monetis, ab ejusdem Muſeo depromta, partim nunc prima vice in publicum prolata: nempe* Edictum Bertholdi, *Comitis de Mareſtetem, dicti* de Niſren, *pro* Ludovico *de Bavaria, Romanorum Imperatore, in partibus Italiæ Vicarii Generalis, pro confirmatione Privilegiorum favore Monetariorum Regiæ ac Imperialis Civitatis Mediolani, & pro executione Edicti* Henrici VII, *Romanorum Imperatoris, pro Monetis in Italia cudendis, & Monetariorum Privilegiis, ſignatum Derthonæ die 17 Octobris anno MCCCXI, & datum Mediolani die 26 Junii anno MCCCXIII*; Edictum Caroli IV, *Romanorum Imperatoris, de Moneta, in Delphinatus Sabaudiæque ditionibus non aliter, quam ſecundum modum & formam præſcriptam, cudenda, datum anno MCCCLXIII*; Diplomata II Wenceslai, *Romanorum Imperatoris, favore nobilium familiarum* de Capitaneis *ex Porta Romana, &* de Lucinis *Mediolanenſium Civium, & Monetariis publicis conſtitutis, data apud Irodium die 20 Martii, anno MCCCXCVIII*; Diploma Sigismundi, *Romanorum Imperatoris, favore Nobilium* de Capitaneis *pro Imperialium Monetariorum confirmatione, datum Mediolani die 15 Decembris, anno MCCCCXXXI*; Diploma Maximiliani Mariæ Sfortiæ, *Vicecomitis, Mediolani Ducis, favore Nobilium Monetariorum officinæ monetariæ (vulgo* Zecca) *Mediolani, datum Mediolani, die 11 Januarii, anno MDXV*; Diploma Caroli V, *Romanorum Imperatoris, favore Monetariorum Civitatis & Status Mediolani, datum Mediolani, die 27 Auguſti, anno MDXLI*; Mandatum Franciſci II Sfortiæ, *Vicecomitis, Mediolani Ducis, pro ſolutione Penſionum ac Stipendiorum Officialibus,*

bus, & Miniſtris Status Mediolani, datum Viglevani, die 22 Novembris, anno MDXXVIII; Capitula *Regiæ Ducalis officinæ monetariæ, regnante Galeatio Maria Sfortia, Vicecomite, data die 4 Junii, anno MCCCCLXXIV;* Capitula *pro cudenda Moneta in Civitate Mediolani, & Aſtæ, regnante ibidem* Ludovico XII, *Francorum Rege, & Mediolani Duce, data die 27 Junii, anno MDVIII;* Capitula *Regiæ Ducalis officinæ monetariæ, regnante Galeatio Maria Sfortia, Vicecomite, data die 4 Junii, anno MCCCCLXXIV;* Capitula *pro cudenda Moneta in Civitate Mediolani, & Aſtæ, regnante ibidem* Ludovico XII, *Francorum Rege, & Mediolani Duce, data die 27 Junii, anno MDVIII;* Capitula *pro officina monetaria Mediolanenſi (vulgo* Zecca) *per Dominum de Lautrico Regio Locumtenenti generali, data die 6 Maji, anno MDXXI;* Conſultatio *in materia Monetarum ſignanter Status Mediolani, edita per Regium Advocatum Fiſcalem generalem,* Alexandrum Rovidam, *dein Regium Senatorem, Mediolani ſignata die 12 Novembris, anno MDXCVI;* Diſſertatio *de non cudendis novis Monetis ad uſum Status Mediolani, ac regni Neapolis, ſignata die 30 Aprilis, anno MDCLXXIV;* Diſſertatio *adverſus abuſum parvæ Monetæ Solidorum vitiatorum, & noviter propoſita per* Jacobum de Bertis *ad uſum Status Mediolani, ſignata die 28 Julii, anno MDCLXXVIII; in qua adeſt* Conſultatio *adverſus propoſitam Monetarum alterationem in Statu Mediolani, edita per* Joſeph. Mariam Folli, *JC. & Oratorem Civitatis Laudæ, ſignata die 28 Februarii, anno MDCCIV;* Spicilegium *Sitonianum, in quo nonnullæ habentur Obſervationes novæ de Monetis Florentinis, Papienſibus, Genuenſibus, Derthonenſibus, aliisque;* Galeatii *Vicecomitis* de Aragonia, *Vicarii Proviſionum Mediolani, Conſilium contra apparatum augendi pretium Monetarum, iterum prelo commiſſum;* de Monetis Mediolanenſibus *Conſultationes & Decreta, ab anno MDCCXX ad MDCCXXVII prima vice typis tradita ex MS. Comitis & Senatoris* Gabrielis Verri; de re monetaria, *præcipue* *Medio-*

Digitized by Google

Mediolanenſi, *Conſultatio* Alexandri Riccardi, *Regii Fiſci Patroni, ſignata Viennæ anno MDCCXVII, vulgari idiomate ſcripta, & nunc primum publici juris facta ex MS. Cod. ejusdem Comitis & Senatoris* Verri; Scrutinium *juridico-politicum pro regimine dando in re monetaria Parmæ & Placentiæ, A. 1738 Italice editum, & hic denuo typis traditum.* Pars III: Geminiani Montanarii *Tractatus de Valore atque abuſu Monetarum, Italice ſcriptus, & nunc primum in lucem editus ex MS. Codice* Jo. Andreæ Irici, *Bibliothecæ Ambroſianæ Doctoris;* Leges *variæ, & Decreta pro intelligentia Statutorum Reipublicæ Januenſis, ad rem monetariam ſpectantium, ex Statutis ejusdem reipublicæ depromta;* Experimenta *valoris ac ponderis plurimorum Nummorum Italiæ, Galliæ, & Hiſpaniæ, acta in officina monetaria, vulgo* Lecca, *civitatis Placentiæ, ex Opere Arithmeticæ & Geometriæ practicæ* Julii Baſſi, *Italice edito anno MDLXVI;* Edicta *Principum, aliaque Documenta Seculi XV, ad Nummos Mediolanenſes ſpectantia, ab Archivo Caſtri Portæ Jovis hujus Metropolis nunc primum eruta, & ad publicam utilitatem prelo commiſſa; nempe:* Edictum Franciſci I Sfortiæ, *Vicecomitis, Mediolani Ducis, pro imminutione (vulgo* abbattimento) *Monetarum auri, & argenti, & pro tollendis contentionibus in ſolutione debitorum, datum Mediolani die ultimo Octobris A. MCCCCLXV;* Galeatii Mariæ Sfortiæ, *Vicecomitis, Mediolani Ducis, Proclama pro Monetis expendendis, earumque valore, actum Mediolani, die VII Octobris, anno MCCCCLXIX;* Conſultatio *utriusque Magiſtratus redituum Status Mediolani ſuper exemtionibus Clericorum, ſignata die VII Aprilis, anno MCCCCLXXI; in quo habetur valor Floreni aurei ab anno MCCCXCVII ad MCCCCLXXI;* Decretum *Galeatii Mariæ Sfortiæ, Vicecomitis, Mediolani Ducis, pro tollendis nonnullis oneribus, & pro valore Monetarum expendendarum, ſignatum Abbiate die XI Aprilis MCCCCLXXIV, una cum acceptatione ſanctionis facta nomine ejusdem Principis pro obſervatione dicti decreti per Decuriones Conſilii Generalis Mediolani, data*

die

die XIII eorundem menſis & anni; Relatio Antonii de Landriano *pro Incantatione Ducalis officinæ monetariæ* (*vulgo* Zechæ) *Mediolani, data die XXVIII Maji, anno MCCCCLXXIV*; Obſervationes Petri de Acceptantibus *pro recta adminiſtratione officinæ monetariæ, ſignata die IV Junii, anno MCCCCLXXIV*; Teſtamentum Galeatii Mariæ Sfortiæ, *Vicecomitis, Mediolani Ducis, in quo adeſt iterata mentio Monetæ Mediolanenſis Ducatorum auri in auro, ſignatum die III Novembris, anno MCCCCLXXI, ex Muſeo* Sitoniano; de re monetaria, *præcipue Mediolanenſi atque Papienſi, Documenta varia, excerpta ex Muſeo* Cuſtodiano; *nempe:* Inſtrumenta *Receptionum in operarios Zechæ Mediolani de* Jacobino *&* Ambroſio *fratribus* de Philippis, *factarum per Monetarios & Operarios ejusdem* Zechæ *Mediolani, & ſacri Imperii, & Regni Francorum, quibus jura ac privilegia ipſorum Monetariorum in civitate Nemauſi firmatis anno MCCCXVI, XXIV Junii, expreſſa, confirmantur;* Excerpta *ex Proclamate* Jo. Galeatii, *Vicecomitis, pro re monetaria, edito anno MCCCXCI, die XXV Januarii;* Capitula *pro cudendis Monetis in Civitate Papiæ, cum eorundem pondere, & valore, concordata anno MCCCC;* alia Capitula, *compilata eodem anno MCCCC pro Monetis aureis, argenteis, & mixtis, cudendis ad Zecham civitatis Papiæ annis MCCCCI & MCCCCII;* Capitula alia, *pro eadem re Papiæ expedita anno MCCCCVIII, menſe Aprili, pro Monetis cudendis anno MCCCCIX;* Decreta Jo. Mariæ, *Vicecomitis, Mediolani Ducis, &c. pro mutatione Monetæ, ſignata anno MCCCCIX, die XVIII Januarii, & XXVI Septembris;* inſtrumentum *pro aſportatione auri varii ponderis ex officina monetaria Mediolanenſi, ſignatum anno MCCCCXXIX, die XXVIII Novembris;* Anonymi Mediolanenſis *Sylloge principiorum, quæ uſui fuere ad conſtituendum Monetarum Proclama anno MDCCXLIX, XXVI Novembris, nunc publicæ curioſitati ac eruditioni expoſita;* Nummorum *Series tam auri, quam argenti, & æris, qui in officina monetaria Mediolanenſi cuſi fuere ab anno MDXLVIII*

Digitized by Google

MDXLVIII ad MDCCL, una cum eorundem valore intrinſeco, atque (ut ajunt, remediis) *ſtudio ac labore* Editoris *per Tabulas digeſta, additis nonnullis Annotationibus, nec non nominibus Magiſtrorum ejusdem officinæ ab anno MDV usque in præſens.* Appendix *ad* Partem tertiam: De Origine *&* *antiquitate Monetæ Venetæ Diſſertatio, Italice conſcripta ab* Hieronymo Zanetti; *acceſſit ejusdem celeberrimi Scriptoris Commentariolum de Nummis Regum Myſiæ, ſeu Raſciæ, ad Venetos typos percuſſis: ad rem nummariam augendam his iterum prelis committuntur;* Andreæ Alciati, *J. C. Mediolanenſis, de re nummaria antiquorum, ad recentiora tempora redacta, compendioſa Ratiocinatio; nunc primum prodit ex MSto Codice Bibliothecæ Ambroſianæ;* Indices IV, *nempe* 1) Diplomatum, *aliarumque veterum Chartarum, quæ in hoc Opere habentur, ordine chronologico digeſtus;* 2) Nominum *Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, Ducum, aliorumque Principum, quæ in formis Monetarum hujus Collectionis leguntur, ordine alphabetico diſpoſitus;* 3) Provinciarum, *Urbium, atque Locorum, ubi cuſæ ſunt Monetæ, in hac Collectione impreſſæ;* 4) generalis *Rerum, & Nominum, præcipue Familiarum Mediolanenſium. Coronidis loco exhibetur* Ludovici Antonii Muratorii *Diſſertatio de Sigillis medii ævi, hic denuo recuſa.*

In *Menſis Junii Parte I* hæc ſunt corrigenda: *Pag. 320 lin. 4* pro $\frac{rl}{\sqrt{(L^2+l^2)}}$ lege $\frac{rl}{\sqrt{(f^2+l^2)}}$; *pag. 329 lin. 26* pro *gn* lege *gM; pag. 330 lin. 4* pro *Fig. 4* lege *Fig. 3*; ibid. *lin. 7* pro *obgF* lege *ob gF; ibid. lin. 9* pro *QIN* lege *QIv*; ibid. *lin. 19* addatur in margine *Tab. IV Fig. 4; pag. 335 lin. 17* addatur in margine *Tab. IV Fig. 1*; in *Fig. I Tab. IV* puncta *Q, g,* nec non *d, g,* rectis cognominibus *Qg, dg,* connectendæ ſunt.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Octobris Anno MDCCL.

A DESCRIPTION OF THE EAST, &c.

id eſt,

RICHARDI POCOCKII, LEGUM DOCTORis, & Societatis Scientiarum Regiæ Sodalis, Deſcriptio Orientis & aliarum quarundam regionum. Volumen ſecundum. Pars prima complectitur Obſervationes de Palæſtina, Syria Meſopotamia, Cypro, & Creta. Pars altera continet Obſervationes de Inſulis Archipelagi de Aſia minori, Thracia, Græcia, aliiſque nonnullis Europæ regionibus.

Londini, ſumtibus Autoris, 1745, folio maj.
Pars I Alph. 3, Pars II Alph. 3 plag. 8, ac præterea Tabulæ æri inciſæ 103.

Primum Operis hujus egregii & valde utilis *Volumen Menſe Junio* hujus *Anni P. I pag. 289 ſeq.* recenſuimus. Nunc ad *Volumen ſecundum* pergimus, quod in *duas* rurſum *Partes* diviſum eſt. Earum vero *prima*, in *Libros IV* diſtributa, complectitur Obſervationes de Palæſtina, Syria, Meſopotamia, Cypro, & Candia, ſive Creta.

Et *Liber* quidem *I* de Palæſtina agit. *Capite I* Palæſtina

 deſcri-

Digitized by Google

deſcribitur generatim, ſpeciatim vero Joppa, Rama, & Lydda. *Capita II — VII* continent deſcriptionem ſatis uberem Hieroſolymæ, uti & vicinorum locorum & tractuum, atque memorabilium cunctorum, quæ peregrinantibus hic ſolent oſtendi, quorum pleraque, ſaltem obſervatu digniora, curate & eleganter depicta, lectorum oculis offeruntur. *Cap. VIII* deſcribitur via, quæ ducit ad reliquias oppidi Jericho, & locorum, quæ in hac regione viſitari ſolent a peregrinantibus. Exiſtimat Autor, ſe prope vicum Jericho *Myrobalanum Joſephi* & *Plinii* obſervaſſe. *Caput IX* eſt de Monaſterio S. *Sabæ*, olim valde celebri, & mari mortuo, de quo obſervationes plures hic occurrunt, quas Lectori non poſſumus non commendare. *Cap. X* usque ad *XIX* deſcribuntur reliqua, in Palæſtina hodie viſenda, quæque a peregrinantibus plerisque oculis curioſis inſpici ſolent, ideoque tot relationibus enarrata jam ſunt; quamvis fatendum ſit, præſentem hancce obſervationibus minime tritis ac vulgaribus ubique refertam eſſe. *Cap. XX* & *XXI* habetur deſcriptio Libani & Anti-Libani, Tyri, & mirabilium, qui ibi adhuc cernuntur, aquæductuum, Sarepta denique & Sidonis. In omnibus his apparet eruditio Autoris & acumen ingenii ſingulare. Unum tamen eſt, quod inter legendum nos nonnihil perculit. Nempe fluvium, qui inter Tyrum & Sidonem iter facientibus eſt transeundus, ab incolis illius loci nunc *Caſmy* dictum, Autor pereruditus exiſtimat illum ipſum eſſe, qui *Friderico Barbaroſſæ*, Imperatori fortiſſimo, Chriſtianis in Palæſtina auxilium laturo, exitium attulit, etſi in eadem ſententia quoque fuerit *Monconayſius*. Nam in eo conſentiunt Scriptores meliores, & tempori, quo res hæc contigit, proximi, Imperatorem optimum tum temporis peragraſſe Ciliciam, quæ ætate illa dicebatur Armenia minor, fluvium vero, in quo periit Imperator meliori fortuna dignus, ab incolis dictum fuiſſe Salef, exercitum autem poſt mortem demum Imperatoris, Cilicia egreſſum, perveniſſe Antiochiam, & deinde Tyrum. Sed hæc obiter.

Liber II complectitur Autoris noſtri iter per Syriam & Meſo-

Meſopotamiam, ubi *Cap. I* de Syria ipſe generatim agit, ac ſigillatim de locis Sidonem inter Berytumque ſitis; *Cap. II* de Fluvio Lyco, regione Druſorum, Maronitis, & Druſis, de quibus poſterioribus nonnulla afferuntur haud obvia; *Cap. III* de Montibus Kaſtravaniæ, (vel, ut alii ſcribunt, Keſroaniæ,) de *Eſbele*, vel, uti Europæi pronuntiare conſueverunt, *Gibele*, antiquorum *Byblo*, aliisque locis, in via, quæ Tripolin ducit, adiri ſolitis. Autor hic obſervat, mores Orientalium in his regionibus hodiernos cum moribus & inſti utis, olim jam tempore Patriarcharum receptis, mirum in modum congruere. *Cap. IV* de *Tripoli* exponit, quæ nunc *Traplaus* audit. *Cap. V* de Monaſterio *Cannobine*, ſede Patriarchæ Maronitarum, de Cedris Libani, locisque inter Tripolin, urbemque Baalbeck, interjacentibus. In itinere hoc Autor in campeſtribus Baalbeckianis Templum antiquum offendit, miræ pulchritudinis, & Baalbeckiano, tam celebri, in multis non parum ſimile, quod, ex ſitu conjecturam faciens, auguratur, eſſe Templum *Veneris Aphacitidis*, olim valde inclytum. Nobis, loca veterum hac de re penſitantibus, videtur Aphaca oppidum, quod *Veneri Aphacitidi* nomen indidit, longius a campeſtribus Heliopolitanis, in montanis Libani verſus Byblum, remotum fuiſſe. *Caput VI* eſt de *Baalbeck*, veterum *Heliopoli*. Autor hic obſervat, Arabes, poſtquam Syriam in poteſtatem redegiſſent, urbibus præcipuis, neglectis jam nominibus Græcis, priſtina nomina reſtituiſſe, idque etiam urbi huic eveniſſe. Exiſtimat autem, nomen urbis hujus antiquiſſimum & genuinum fuiſſe *Baalbeit*, id eſt, *Urbs Domini*, nempe *Solis*. Ex *Baalbeit*, quod Græci recte *Heliopolin* interpretati ſunt, per corruptionem paulatim conflatum eſt nomen *Baalbeck*, quod ipſi ante multa jam ſecula adhæſit. Rudera Templorum, aliorumque ædificiorum, quæ adhuc ibi conſpiciuntur, omnium admiratione digna, videntur, quicquid in hoc genere ubicunque ex antiquitate ſupereſt, pulchritudine & magnificentia ſuperare. Omnia perquam nitide & induſtrie delineata, & curate deſcripta, videri ac legi hic poſſunt. *Capite VII* agit Autor de locis, quæ a Baalbeck tendenti Damaſcum peragranda ſunt; *Cap. VIII* —

XI de Damaſco, urbe nobiliſſima Syriæ, ac iis, quæ illic viſu digniora occurrunt, de locis porro finitimis, deque fluviis *Fege*, *Abana*, & *Pharphar*; *Cap. XII — XIV* de itinere, ab Autore Damaſco ſuſcepto Halepum. In itinere illo adeunda ipſi fuit *Hems*, quæ eſt veterum ſine controverſia *Emeſa*, urbs in hiſtoricorum monumentis inclyta. Prope hanc urbem ſupereſt ædificium ſtructuræ ſingularis, quod, communis incolarum fama perhibet, erectum eſſe in memoriam *Caji Caſaris*, *Auguſti* ex *Julia* filia nepotis. Et certe Autor in Inſcriptione, illic ſuperſtite, nomen ΓΑΙΟC diſtincte legere potuit, quod ipſum *Bellonius* pariter obſervavit. Egreſſis Emeſa pergendum eſt ad urbem *Hamah*, quam communis eruditorum perſuaſio vult eſſe *Apameam*, urbem in his oris a *Seleuco Nicatore* conditam. Sed rationibus utique non contemnendis Autor noſter docet, ſitum urbis Hamah illi eruditorum perſuaſioni adverſari. Exiſtimat igitur, hic olim ſitam fuiſſe *Epiphaniam*, quod etiam *Bocharto* in mentem veniſſe intelligimus. Urbs hæc ſita eſt ad *Orontem* fluvium, ab incolis nunc *Aſe* nuncupatum. Id ipſum vero Autor exiſtimat fuiſſe fluvio huic avitum genuinumque nomen; docte enim obſervat, etiam vetuſtos Græciæ Scriptores eundem nonnunquam *Axium* appellare. Inde, aliquot dierum itinere confecto, pervenitur ad *Halepum*, quæ ſic dicitur, *antiquam*, eaque Autori videtur eſſe *Chalcis* veterum, adhuc rudera quædam, harum rerum ſtudioſis non ingrata, nec indigna, oſtentans, & hinc tandem *Halepum* appellitur. *Cap. XV* agitur de *Halepo* urbe, veterum *Berœa*, ubi paſſim reperiuntur egregiæ vetuſtatis reliquiæ. Autor ibi vidit ſimulacrum *Minervæ* æreum haud ſpernendum, quod & delineari curavit. Ipſa urbs eſt magnitudinis amplæ, &, ſi ædificiorum illius ratio habeatur, paucæ ſunt in Turcico imperio urbes, quæ cum hac comparari poſſint. Plurimum debet commercio, cum Perſis culto; ſed quod ab aliquo tempore imminui cœpit. *Cap. XVI* enarratur iter, quod Autor, Halepo egreſſus, ad Euphratem continuavit. Pervenit in eo ad *Antab*, quæ creditur eſſe *Antiochia ad Taurum in Comagena*. Hinc perrexit ſad

Rom-

Romkala, quaſi dicas *Caſtrum Romanorum*, ad Euphratem ſita, quo loco fluvius, nunc dictus *Simeren*, id eſt, ut vult *Pocockius*, *Singas Ptolemæi*, in illum illabitur. Quæ de ſitu hujus loci obſervantur, conferre poſſunt ad emendandas Tabulas harum regionum geographicas. *Caput XVII* eſt de Meſopotamia in genere, ac ſpeciatim de *Ourfa*, veterum *Edeſſa*, urbeque *Beer*. De *Ourfa*, quæ & *Roiha*, aut *Rouha*, dicitur Orientalibus, Autor multa erudite diſſerit, quæ cum obſervationibus de eadem illuſtris *Aſſemani* in *Bibliotheca Orientali Vaticana* conferenda erunt. Quando porro monet, ſecundum Judæos, urbem hanc eandem eſſe *Ur* Chaldæorum, *Abrahami* patriam, quod ſane viris quibusdam doctiſſimis placuit, Geographiam ſacram *Bocharti* hic conſuluiſſe non pœnitebit. Ab Ourfa trium dierum itinere diſtat *Diarbeck*, fluvio Tigridi adjacens, quæ Autori videtur eſſe *Dorbeta Ptolemæi*. Verum, quando conſtat, urbem eandem ab incolis dici quoque *Keramit*, id eſt, *Amidam* nigram, dubium vix ſupereſſe poterit, quin ea ſit *Amida*, veterum hiſtoricorum commentariis non parum celebrata. Ab Edeſſa meridiem verſus, millibus paſſuum circiter viginti ſex, abeſt *Haran*, Scripturæ memorata, quam Græci & Romani *Carras* nuncupare ſolent. Cum Autor inde ad urbem *Beer* proceſſiſſet, quam eſſe *Barſampſen Ptolemæi* autumat, ex locorum diſtantia argumentum capiens, trajecto rurſum Euphrate, ex Meſopotamia in Syriam rediit. Ad Auſtrum dehinc itinere directo, venit ad locum *Jerabees*, quem opinatur eſſe *Gerbas Ptolemæi*, cultu *Jeraboli*, Numinis Syrorum, quemadmodum ſibi perſuadet, nobiles. Rudera illic conſpiciuntur vaſta, teſtes priſtinæ urbis illius magnificentiæ & ſplendoris. Inde itum eſt ad *Bambouch*, vel, ut ſolent efferre Europæi, *Bambych*, veterum *Hierapolin*. Et ſane, huic olim nomen fuiſſe *Bambyces*, Græci etiam atque Romani teſtantur. Ex *Aſſemano* vero, illuſtri Maronita, didicimus, urbem hanc Syrorum lingua dictam fuiſſe olim, dicique hodie, *Mabug*, & ab Arabibus *Manbeg*, quod *Golius* pariter in *Alferganum* annotavit. Rudera urbis hujus, quondam non uno nomine illuſtris, vidit Autor noſter atque deſcripſit. Hinc tandem Halepum

Digitized by Google

lepum reverſus eſt. Hæc exponuntur *Capite XVIII. Capite* vero *XIX* referuntur, quæ Autor vidit, dum *Halepo* Antiochiam contendit, inter quæ ſunt rudera Monaſterii S. *Simeonis Stylitæ*, olim Seculo VI & VII magnopere celebrati. *Cap. XX* enumerantur loca, quæ proficiſcenti Antiochia Bajas in via occurrunt, quæque & Geographia antiqua illuſtrantur. Bajas ex omnium conſenſu eſt urbs Ciliciæ, antiquis dicta *Iſſus*, in cujus patentibus campis *Alexander M. Darium* prælio vicit. Campi illi accurate hic deſcribuntur. *Capitibus XXI & XXII* deſcribuntur loca quædam Syriæ, aut Ciliciæ, quondam in tractu hoc reperiunda, *Myriandrus*, in cujus verum ſitum inquiritur, *Rhoſſus* mons, & *Seleucia Pieriæ*, nunc *Kepſe* appellata. *Cap. XXIII & XXIV* Antiochiæ ſitus, tum antiquus, tum hodiernus, & quæ memorabilia illic occurrunt, & in vicinia, exponuntur. *Cap. XXV Laodicea* Syriæ, hodie dicta *Latichea*, & *Gabala*, nunc vocitata *Jebilée*, urbs quondam inclyta, & præclara antiquitatis monumenta, quæ in utraque ſuperſunt, deſcribuntur. *Cap. XXVI* notatur ſitus urbium antiquarum, *Palti*, & *Seleuciæ ad Belum*. In itinere, dum illud continuat Autor, pervenit ad locum deſertum, quem vocant *Baneas*, neque dubitat, quin ſit antiquorum *Balanea*, Scriptoribus medii ævi dicta *Valania*. Inde perrectum eſt *Tortoſam*, quam viri docti cenſent eſſe *Orthoſiam* veteris Geographiæ; verum Autori noſtro urbs hæc, quam vidit, non videtur condita fuiſſe ante Seculum quintum, aut ſextum, æræ Chriſtianæ. Non longe ab hac urbe in mari ſita eſt inſula *Ruad*, nempe veterum *Aradus*, cui in terra continenti erat oppoſita *Antaradus*, cujus portus nomine *Caranus* a *Strabone* memoratur. Illius reliquias Autor deprehendit paſſibus circiter quingentis a Tortoſa diſtantes verſus ſeptentrionem. Aradiorum magna quondam fuit in his oris potentia. Creditur ſatis probabiliter, eos in Scriptura nomine *Arvad & Arpad* inſigniri. *Cap. XXVII* loca illis, quæ enumeravimus, finitima deſcribuntur & examinantur. *Caput XXVIII* eſt de hiſtoria naturali, regimine, & incolis, Syriæ.

Liber III enarrat peregrinationem Autoris per totam

tam *Cyprum.* *Cap. I* habetur deſcriptio inſulæ Cypri generalis, deinde de urbibus *Limeſol* & *Larnica* diſſeritur. A *Limeſolia*, quo Autor primum appulit, duabus tantum leucis diſtat *Limeſolia vetus*, ubi conſpiciuntur ruinæ antiquæ *Amathuntis*, *Veneris Amathuſiæ* & *Adonidis* templo inclytæ. Templi illius locum, cui poſtea Chriſtiani aliud ſuperſtruxerunt templum veræ religioni ſacrum, ſeſe vidiſſe, conjicit Autor. Septem fere ab hoc loco leucis ad orientem ac ſeptentrionem proficiſcendo, acceditur ad montem, *Olympus* veteribus dictum. Dum hinc Autor iter ſuum *Larnicam* proſequitur, ruinæ ſe ipſi obtulerunt urbis, quam auguratur *Straboni* dici *Palaam*, & fluvium, uti putat, *Tetium*. A Lernica non ita longe abſunt reliquiæ urbis *Citii*, quam ortus *Zenonis*, Philoſophi, & obitus *Cimonis* Athenienſis, in hiſtoria percelebrem reddidit. In lapidibus, qui muris hujus urbis fundamenta olim præbuerunt, paſſim leguntur Inſcriptiones, quarum ſpecimina hic edita ſunt, ſed literis plane ignotis exarata. Sed recte omnino & vere conjicit *Pocockius*, literas iſtas eſſe vetuſtas Punicas. Nam, Citium coloniam fuiſſe Phœnicum, docuit *Bochartus*. Et, literas ipſas, uti hic delineatæ cernuntur, perſimiles eſſe literis Palmyrenis, & Punicis, quæ in nummis viſuntur, quivis qui comparationem inſtituet, non poterit non confeſtim animadvertere. *Cap. II* Autor, verſus Orientem profectus, venit primo Famaguſtam, urbem, quam Veneti quondam & templis & munimentis egregie ornarunt; inde vero ad obſervanda rudera Salaminis antiquæ, quæ non longe abſunt, proceſſit, poſtquam fluvium, quem judicat eſſe *Pedium*, ponte trajeciſſet. In ruderibus illis ſuperſunt monumenta antiquitatis eximia, viſuque omnino digna. *Cap. III* exſtant judicia Autoris noſtri de locis variis, quorum meminere veteres, & quæ ipſe oculis uſurpavit, dum iter fecit per illas partes Cypri, quæ maxime Orientem ſpectant. *Cap. IV* agitur de *Nicoſia*, quæ ab aliquot Seculis totius Inſulæ caput exſtitit. Credunt autem eruditi, eam eſſe *Tremituntem* veterum. Sequitur portus *Gerines*, antiquorum nempe *Cerynia*, uti videtur Autori, & tum ruinæ veteris *Lapithi* memo-

memorantur. Inde proceditur ad promontorium, hodie *Cormachiti* vocatum, antiquis temporibus *Crommuon*. Decem circiter abhinc horas progreſſo, occurrunt rudera urbis quondam magnitudine inſignis, quam Autor vult haberi pro *Solis* veterum. Idem autumat, in ruinis illis adhuc notari reliquias templi, *Veneri* & *Iſidi* hic olim dedicati. Oppidum recentius, illo loco conditum, *Aligoram* appellant. *Cap. V* exponuntur reliqua Cypri memorabilia, quæ inter eſt *Baffa*, urbs prope eum locum ædificata, quem olim occupavit *Paphos nova*, cujus reliquias, rudera cumprimis templorum, *Veneri*, ut credere par eſt, dedicatorum, attentis oculis Autor inſpexit. De ſitu *Curii* veteris etiam nonnulla obſervantur. *Cap. VI* traditur hiſtoria naturalis Cypri, ac inſuper de illius incolis, moribus, & regimine, diſſeritur.

Liber IV continet ea, quæ Autori relatu digna in Candia, vel Creta, Inſula viſa atque obſervata fuere. *Cap. I* iter Autoris deſcribitur, Alexandria in Candiam ſuſceptum. *Cap. II* de Candia in genere diſſeritur, deque locis, quæ in itinere ad Caneam urbem occurrunt. *Cap. III* de *Canea*, quæ caput eſt partis inſulæ hujus auſtralis, crediturque locum occupare veteris *Cydoniæ*, cujus ruinæ, ut exiſtimat Autor, quinque fere paſſuum millibus ab hac urbe ſpectandæ ſuperſunt. Inde verſus ſeptentrionem tendens, obſervavit Autor exiguum quendam ſinum maris, & prope eum reliquias urbis pariter tenuis, quam vocant incolæ *Magneten*, vel *Magniam*. Hic Autor putat ſtetiſſe *Dictamnum Ptolemæi*. Ipſa vero rudera, attenta contemplatione non indigna, copioſe exponuntur. Pervenit hinc profectus ad urbem portumque *Chiſamo*, olim *Cyſamum* nomine, a quo loco quinque millium paſſibus diſtat *Aptera*, dicta nunc *Paliocaſtro*, quod tamen hodie urbibus antiquis & munitis pleriſque nomen adhæret. Quæ hic ſuperſunt antiquitatis reliquiæ, ab Autore pro ſolita induſtria curate deſcribuntur, et in effigie exhibentur. *Cap. IV* exponitur de *Gortynia*, aliiſque locis in partibus inſulæ auſtralibus. Habetur hic deſcriptio montis illius Poetarum carminibus clariſſimi, *Idæ*, et urbis *Gortyniæ*, in cujus ruderibus & monumen-

mentis diligenter deſcribendis Autor noſter multus eſt. Neque vero idem neglexit oculis curioſis conſiderare id, quod peregrinatores vocare conſueverunt Labyrinthum Creticam, quam Autor cum eruditorum plerorumque turba habet pro loco latomiarum, unde lapides, exciſi ad ædificandam ac ornandam Gortyniam, deportati fuerint, quod tamen *Tourneſortius*, poſt ſollicite inſpectum eundem locum, perſuadere ſibi non potuit. *Caput V* præcipue verſatur in deſcribendis tenuibus ruinis veteris *Gnoſſi*. Portus ejus, qui veteribus *Heraclea* audiit, nunc *Candia* nominatur, diuturna tot annorum Turcica obſidione nobilis. *Caput VI* præter alia continet deſcriptionem montis *Idæ*. *Cap. VII* exponuntur reliqua viſu in illa inſula digniora; ac denique *Cap. VIII* de hiſtoria illius naturali, de habitatoribus, moribus, ſtatuque tum politico, tum militari, agitur.

Nunc progrediendum nobis eſt ad *Voluminis Pocockiani II Partem II*, quæ exhibet Obſervationes de Inſulis Archipelagi, de Aſia minori, Thracia, Græcia, aliiſque Europæ partibus, *Libris V* comprehenſas.

Liber I continet obſervationes Autoris de Inſulis Græcis Archipelagi. *Cap. I* & *II* diſſerit de *Chio*, quæ nunc dicitur *Scio*, Græcis hodie *Χιο*. Eſt in hac inſula locus, quem ſcholam *Homeri* appellant; in ea cathedra viſitur, cui Poeta inſidet. De hoc antiquitatis monumento loquuntur etiam peregrinatores alii. Omnia vero, huc ſpectantia, pulchre delineata, oculis hic uſurpari poſſunt. *Cap. III* agitur de Inſula *Ipſara*, olim dicta *Pſyra*; *Cap. IV* de Inſula *Lesbo*, quæ ab urbe quondam principe nunc dicitur *Mitylene*. Urbs *Mytilene*, ſita eodem loco, quo urbs antiqua ejuſdem nominis, vocata etiam *Caſtro*, olim viros plures & fœminas etiam valde illuſtres produxit, & nunc quoque monumenta antiquitatis non pauca, & prorſus egregia, rerum harum ſtudioſis oſtendit. Inter alia Autor vidit in introitu domus Epiſcopalis Cathedram marmoream, affabre ſculptam, quæ æri etiam inciſa additur. In ea legitur hæc Inſcriptio: ΠΟΤΑΜΩΝΟΣ ΤΩ ΛΕΣΒΩΝΑΚΤΟΣ ΠΡΟΕΔΡΙΑ, id eſt, *Prima ſedes Po-*

tamonis, *Lesbonactis filii*. Τῶ, quod omnes intelligunt, eſt genitivus dialecti Æolicæ, quæ dialectus inſulæ Lesbi, pro τῦ. Obiter hic monemus, credibile eſſe, Mitylenæos *Potamoni* Rhetori, *Lesbonactis* filio, viro non parum illuſtri, hunc primæ ſedis honorem decreviſſe, poſtquam Roma rediiſſet in patriam, literis *Tiberii* Imperatoris, affectus & benevolentiæ plenis, inſtructus, quod de eo memcrat *Suidas*. Unde etiam patet, egregium hoc antiquitatis monumentum ætatem *Tiberii* Imperatoris attingere. Superſunt porro, duobus ab urbe paſſuum millibus, rudera aquæductus cujusdam prorſus magnifica, quæ hic in icone repræſentata cernuntur. Sed & alia illic occurrunt, conſideratione lectoris eruditi digna. *Caput V* eſt de Inſula Tenedo; *Cap. VI* de Inſula Lemno; *Cap. VII* de Inſula Samo, quod cum itinerario *Tournefortii* conferri meretur; *Cap. VIII* de Inſula Patmo.

Libro II Lectori offeruntur obſervationes *Pocockii* de Aſia minori. *Cap. I* de Aſia minori generatim, ſigillatim vero de urbe *Smyrna*, diſſeritur; *Cap. II* de *Vourla*, ſive *Clazomenis* veterum, de urbe *Segigieck*, a qua ſpatio dimidiæ leucæ diſtant rudera *Tei*, hodie dictæ *Bodrun*. Superſunt ibi etiam reliquiæ Amphitheatri, in effigie hic delineatæ. *Cap. III* deſcribitur *Scala nuova*, atque *Epheſus*. Poſterioris hujus urbis monumenta antiqua, quæ ſuperſunt, & quæ de priſtino ſplendore etiamnum teſtantur, poſt plurimos alios, Autor noſter curioſe deſcripſit, & ex parte delineata repræſentavit. *Cap. IV* de *Guzelhiſſar*, antiquorum *Magneſia ad Mæandrum*; *Cap. V* de Caria in genere, ſigillatim vero de *Alabanda*, cujus rudera antiqua & loci vicini deſcribuntur; *Cap. VI* de *Mylaſa* antiquorum, quam nunc vocant *Melaſſo*, ubi non pauca & perpulchra etiamnum priſci ævi monumenta conſpiciuntur, quæ cura Autoris delineata hic inſerta ſunt; *Cap. IX* (ita per errorem, ſed continuatum poſtea editum eſt pro *VII*,) de *Eskibiſſar*, ſive *Stratonicea* vetuſta, deque *Lagena*, & *Alinda*; *Cap. X* de *Trallibus*, urbe, quam ſplendidis ac ſumtuoſis ædificiis ornatam fuiſſe, rudera, quæ adhuc exſtant, ſatis teſtantur, & reliquiis urbis *Nyſæ*; *Cap. XI* de *Antio-*

tiochia ad Mæandrum, atque *Aphrodiſiade*, Cariæ urbibus, & monumentis antiquis, illic adhuc reſiduis; *Cap. XII* de *Laodicea ad Lycum*, urbe celebri, in qua fuit una ex ſeptem Eccleſiis Apocalypticis, ejusque vetuſtis ruderibus; *Cap. XIII* de *Pambouk-Kaleſi*, veterum *Hierapoli*, Phrygiæ majoris civitate, cujus *Paulus* in *Epiſtola ad Coloſſenſes* meminit, illiusque monumentis antiquis; *Cap. XIV* de *Coloſſis*, ubi hodie eſt vicus nomine *Koxous*, non procul a Laodicea diſtans, præclara multa docemur. Et ſane a temporibus Seculi IX & X teſtantur Scriptores plurimi, *Coloſſas* tum appellatas fuiſſe *Chonas*, & id ſitus quoque vici illius plus ſatis confirmat. Urbs *Isbecleb* ſita eſt ad fontem fluvii, qui non poteſt eſſe alius, quam *Marſyas*, incolis nunc dictus *Ochieuſe*, ex quo apparet, urbem illam eſſe *Apameam Cibotum*. Non procul hinc aberant *Celanæ*, ædificatæ, ut videtur, in colle, ad cujus radices incipiunt campeſtria, in quibus ſita erat illa Apamea. De fontibus *Mæandri* & *Marſyæ* afferuntur talia, quæ penſitatione Lectoris digna ſunt. De urbibus quoque in vicinia ſitis conjecturæ adducuntur, ſpecie ſua non deſtitutæ. In quo argumento verſatur etiam *Caput XV* (vel, uti vitioſe editum eſt, *XX*). *Cap. XVI* eſt de *Galatia* generatim, cumprimis vero de *Ancyra*, quam nunc *Angoram* vocant, ubi occurrunt res omnino memorabiles, ſed nunc non ignotæ. Idem dicendum pariter de reliquis *Libri* huius *Capitibus*, quibus deſcribitur via, Conſtantinopolin ducens, qua Autor noſter uſus eſt, etſi tamen, de his omnibus, quæ in aliorum Itinerariis ſæpe deſcripta leguntur, etiam Autoris obſervationes legere, operæ pretium ſit.

Liber III complectitur obſervationes de Thracia & Græcia. Agitur autem *Cap. I* de Thracia, ac ſigillatim Conſtantinopoli; *Cap. II* de locis quibusdam Conſtantinopoli vicinis; *Cap. III* de *Selivrea*, veterum *Selymbria*, & *Adrianopoli*; *Cap. IV* de *Demotica*, *Rodoſto*, quæ eſt veterum *Biſanthe*, & *Gallipoli*, quæ eſt veterum *Callipolis*; *Cap. V* de monte *Atho*, quem nunc vocant *Montem Sanctum*. In eo cernuntur Cœnobia viginti, in quibus Autor offendit Archiepiſcopos et Epiſcopos complures, qui muneribus geſtis ſe abdicaverant,

 ut

ut in his Cœnobiis vitam tranquillam agerent. *Cap. VI* diſſeritur de *Theſſalonica*, & locis, quæ illuc proficiſcentibus adeunda ſunt. Quæ Theſſalonicæ, quam *Salonam* nunc vocant, etiammum ſuperſunt, ex priſco ævo monumenta, pauca illa quidem, ſed magni pretii, hic & curate deſcribuntur, & delineata cernuntur. *Cap. VII* agitur de Theſſalicis *Tempe*, quorum verus ſitus non ita facile nunc determinari poteſt, etſi ſuper ea re conjecturas Autor proponat, de *Lariſſa*, *Pharſalia*, & prælio, in campis Pharſalicis *Pompejum* inter & *Cæſarem* commiſſo; *Cap. VIII* de urbe *Zeitoun*, quæ eſt antiqua *Lamia*, de *Thermopylis*, aliisque locis, in via, ad *Livadiam*, veterum *Lebadiam*, ducente, occurrentibus, ubi Autor in permultorum locorum, veteribus celebratorum, ſitum genuinum diligenter inquirit; *Cap. IX* de Lacu *Copiade*, *Thebis* Bœoticis, *Phile*, & locis quibusdam in Attica; *Cap. X* de *Athenis*. Urbs hæc, mater quondam & nutrix optimarum artium & ſcientiarum, hodienum tot pretioſa antiquiſſimæ ætatis monumenta peregrinantibus offert, ut ſine magna & admiratione & voluptate conſpici non poſſint, utque ex iis judicium ferre liceat de magnitudine & potentia celeberrimæ hujus urbis, atque intelligere, ad quantum perfectionis apicem ſculptura & architectura hic loci perducta fuerit. Plura dabit ipſa Autoris diligens deſcriptio, ac additæ illi icones perquam elegantes. Quæ ſi conferantur cum obſervationibus *Jac. Sponii*, in Itinerario ejus reperiundis, nihil amplius a quoquam in argumento hoc deſiderari poterit. *Cap. XI* Autor pergit nos docere de *Eleuſi*, *Megara*, & *Iſthmo Corinthiaco*; *Cap. XII* de *Morea*, ſpeciatim vero de *Corintho*; *Cap. XIII* de *Sinu Lepantico*, olim dicto *Corinthiaco*, atque *Patris*; *Cap. XIV* de *Cephalenia* Inſula, ab *Homero* ac veteribus aliis nuncupata *Same*. *Caput XV* continet obſervationes quasdam Autoris, factas, dum a Liburno portu Italiæ navi iter maritimum Alexandriam in Ægypto ſuſciperet. *Cap. XVI* delineantur pariter ac deſcribuntur monumenta quædam antiqua, ſtatuæ, aut ſtatuarum partes, ſive fragmenta, lucernæ, annuli, pateræ, gemmæ, & ſimilia, ex Oriente in Angliam advecta.

vecta. *Cap. XVII* traditur notitia Plantarum quarundam, in Oriente et aliis quoque regionibus repertarum.

Liber IV continet memorabilia, in quibusdam Europæ partibus obſervata: et quidem Meſſinæ in Sicilia *Cap. I;* in regno Neapolitano, et quibusdam illius inſulis, *Cap. II, III, IV;* in aliis porro Italiæ regionibus *Cap. V & VI;* in quibusdam Germaniæ et Helvetiæ partibus *Cap. VII, VIII, & IX.*

Liber V complectitur memorabilia, viſa in Germania, Bohemia, Hungaria, Iſtria, et quibusdam Italiæ partibus.

Liber denique *VI* exhibet obſervationes geographicas.

SYNESIUS DE FEBRIBUS, QUEM NUNC primum ex Codice MS. Bibliothecæ Lugduno-Batavæ edidit, vertit, notisque illuſtravit, JO STEPH. BERNARD. Accedit Viatici, CONSTANTINO AFRICANO interprete, Libri VII pars.

Amſtelodami, apud Gerard. de Groot, & Lugduni-Batavorum, apud Philippum Bonk, 1749, 8 maj.

Alph. 1 plag. 2½.

Non ignotum eſt literatis Medicis *Bernardi* nomen, qui aliquot abhinc annis varios minoris molis Græcos Scriptores Medicos, rarius in tabernis librariis obvios, ut *Demetrium Pepagomenum de Podagra, Palladium de Febribus, & Anonymi* cujusdam *Introductionem in Anatomiam*, de quibus ſingulis proxime ex inſtituto dicemus, edidit, & ex eo videtur etiam ceteros, adhuc ſuperſtites, cum tempore edendi conſilium, laudabile profecto, & optimis ſucceſſibus dignum, cepiſſe. Quem autem nunc orbi literato donat, libellus ille novus eſt, et e Codice MSto, quondam *Thevenoti*, dein *Iſaaci Voſſii*, nunc Bibliothecæ Academicæ Leidenſis, primum prodit. Quis ille fuerit *Syneſius*, cui Cl. Editor eum, poſt Catalogi librorum *Voſſianorum* Autorem, tribuit, non conſtat; neque id ipſum conſtat, Autori nomen id fuiſſe. Forte aliunde nata ea opinio non fuit, quam ex eo, quod in-

Digitized by Google

volucro Codicis *Syneſii* nomen inſcriptum a librario fuit. Certius id eſt, enim ſua pæne omnia & verbotenus ex Arabe quodam, illo ipſo, qui ſub *Conſtantini Africani* & *Viatici peregrinantium* nomine Latine proſtat, deſcripſiſſe, ita tamen, ut pauca quædam de ſuo addiderit, & rectius fideliusque nonnulla, quam *Conſtantinus*, reddiderit. Conſtituit hoc *Syneſii*, cujus fertur, *de Febribus* opuſculum *octo* priora *Capita Libri ultimi de Viatico peregrinantium Conſtantini Africani;* qui liber cum rarior eſſet inventu, viſum fuit Cl. Editori, *octo* illa *Capita* ex ejus ſemibarbara interpretatione in fine adjicere. Ex Arabico Græce converſum hunc librum eſſe, dudum ſuboluerat Viro Clariſſ. cum ex dictione ipſa, tum ex immiſtis duabus Arabicis vocibus; & ex eo, quod, *Syneſio* ſuo magnam cum *Conſtantino* affinitatem intercedere, deprehenderat. *Conſtantini* autem jam laudatum opus ex Arabico translatum eſſe, neminem latet. Clarius deinceps res evicta fuit. Scilicet, cum de *Syneſio* ſuo in lucem edendo conſilium agitaret, conſulebat per literas amicum ſuum Academicum, & ratione communis patriæ, Germaniæ, civem quoque, *Reiskium* noſtrum, de duabus vocibus, apud *Syneſium* proſtantibus, Arabicis, ἐλμȣ́θελ & 'ιντεχὶ, quarum illa debet *tertianam febrim*, hæc *ſtatum morbi*, ſeu ſummum vigorem & tempus criticum, notare. Reſpondebat hic amico, priorem vocem corruptam eſſe, & pro ea debere ἐλμȣθέλλεθ المثلث legi, alteram bene habere; & Arabice انتهي ſcribi; ſignificare, *pervenit ad finem*, vel *terminum*, *ſuum*. Ita ſtatum morbi appellari ab Arabibus, didiciſſe ex libro Arabico, cujus uſum e Bibliotheca eruditiſſimi viri, octogenarii pæne ſenis, *Seebiſchii*, Bibliothecarii Regii Dresdenſis, habuerit. Eum librum Arabice *Zad al Moſafer*, quod Latine reddas *Viaticum peregrinantis*, inſcribi, & a *Conſtantino Africano* ſeu Græce, ſeu potius Latine, converſum eſſe. Exhilaratus eo nuntio Cl. *Bernardus*, mittebat amico ſuo indicem & initia Capitum *Syneſii* ſui. Liquebat itaque *Reiskio*, Græcum illum particulam Arabis ſui fuiſſe interpretatum; &, cum de probitate Latinæ verſio-

Digitized by Google

verſionis, quæ ſub *Conſtantini Africani* nomine fertur, dubitare, conficiebat ipſe, mittebatque Clariſſ. *Bernardo*, novam ſuam ejus particulæ interpretationem, quam ſibi perutilem ad emendanda corrupta Græci Codicis loca fuiſſe, profitetur Vir Clariſſimus, & paſſim citat in notis, atque cum *Conſtantiniana* confert. Miſerat ipſi *Reiskius* etiam brevem de Arabis vita & fatis notitiam, quam *Bernardus* in Præfatione reddidit. Sed, cum uno in loco, dubium, quo caſu, cujusve culpa, ſic turbatum ſit, ut ſenſus ſibi non conſtet, neceſſe putat, eum locum hic emendare, & alia quædam ſcitu digna de celebris hujus Arabis Medici fatis, quæ ipſum tunc præteribant, breviter addere. *Pag. 5* itaque Præfationis *l.n. 12* erit ſic legendum: *Elgzezer autem, aut Eltſchezer, dicitur lanio.* الجزار *Verum Elgzezeri, vel Eltſchezeri,* الجزري *dicitur, qui ab Algzazirah,* الجزيرة *urbe Meſopotamiæ, eſt oriundus.* Ait idem *pag.* 7 ejusdem Præfationis *lin. 4*, ſe apud *Abu Oſaibam* in *Vitis Medicorum* nihil de eo viro reperire. At reperit ejus vitam deinceps; & inde didicit, *Herbelotum* partim non ſufficientia, partim prava, de illo tradidiſſe, & integro pæne Seculo, & alio loco ſeſquiſeculo, eum recentiorem facere. Vixit hic *Abu Gzafer Ahmed, filius Ibrahimi, filii Chaledi, al Gzazzar*, aut *Ibn ol Gzazzar, lanio*, aut *filius lanionis*, (nam perinde eſt,) cognominatus, *ol Afriki*, ſeu *Africanus*, aut civis urbis *al Mahdiæ*, quæ alias etiam *Africa* ſolet appellari, vixit, inquam, ſub finem dynaſtiæ Aglabitarum, (nepotum illius *Abraami Ammirati Africi*, quem *Rhegino* refert anno Chriſti 801 legatos ad *Carolum M.* miſiſſe,) & ſub initia dynaſtiæ Fathemidarum, qui Aglabitas deſtruxerunt. Contigit hæc Libycarum rerum converſio circa A. C. 909. Circa hæc tempora igitur vixit hic Medicus, & ſcripſit peculiari libello hiſtoriam ortus dynaſtiæ alFathemidarum in Africa; cui rei ipſe interfuit. Librum hunc citat *Herbelotus pag. 433, 6, v. Akhbar al Daoulat àl Mahadiah, Hiſtoire — compoſée par Abou Giafar Ahmed Ben Ibrahim Benal Harar, ſurnommé*

ne Al Afriki. In his verbis vitioſum eſt *al Harar.* Legit nempe vir orientalium rerum peritiſſimus in vitioſo Codice الحرار abſque ullo puncto: id ipſi fraudi fuit; cum debuiſſet الجزار cum gemino puncto *al Giazzar* exaratum eſſe. Idem vir doctiſſimus *pag. 66, a,* ex uno hoc viro duos facit, alium nempe *Giazarum,* alium *Ibn Harrar.* Sed, ut modo demonſtravimus, poſtremum hoc eſt librarii error; at de cetero unus & idem homo eſt. In opere poſthumo, non perfecte elaborato, & eo quidem tam vaſto, quam eſt *Herbelotii Bibliotheca,* aut, ut Galli appellare ſolent, *Moreri Orientalis,* non pauca inveniri, fœda quoque quædam, vitia, nemo æquior mirabitur.

Hæc de Autore Arabico integri operis, cujus hic particula Græce converſa prodit. Codex Leidenſis, e quo prodit, peſſime cum multis ſcripturæ compendiis, ſignis, qualia ſunt Chemicorum, &, quod maximum, plurimis & immanibus in orthographiam Græcam peccatis, exaratus erat; eaque de re, ut ſibi valde moleſta, vehementer queritur Clariſſ. Editor. Sic ſolent libri recentis Græciæ; orthographiam omnem ſusque habent, creantque tractantibus haud parum tædii. Continebat ille Codex quoque Lexicon medicamentorum, quæ ἀντιβαλλόμενα, ſeu *ſuccedanea,* ſolent appellari.

Jam de præſtantia hujus Autoris dicendum nobis eſt. Brevibus tamen in ea prædicanda eſſe licet. Conſtat enim hodie, quantum commodi medicina ſibi ab Arabum ſcriptis promittere queat. Et præterea jam a longo tempore verſatur *Conſtantinus Africanus* in manibus doctorum hominum, cujus tantummodo particulam Græce verſam hic habemus. Dictio digna & ſimilis eſt Seculo, quo vivebat *Syneſius;* quod definiri quidem certo nequit. Intra decimum tamen & decimum tertium vixiſſe, probabiliter conjicitur. Per ſe aſperam & barbariei ſordibus inquinatam dictionem adhuc magis corrupit Autoris ſtudium, Arabica verba ſtricte interpretandi. Sæpe tam ſerviliter adhæret Arabi Medico, ut ejus verba velut annumeret, incertum, qua de cauſa, niſi forte Arabice non

ſatis

ſatis, & paulo minus, quam Græce, calluiſſe putetur. Quod nemini æque perſpicuum eſt, ac qui Græca cum Arabicis comparat. Juvat exemplum unum alterumve apponere. Non ibimus per multa, neque ſtudioſe loca exquiremus. Ipſum protinus initium abunde demonſtrat, dictionem Græcam, qua conceptus eſt hic libellus, perfecte a nemine intelligi poſſe, qui Arabice non calleat, & Arabicum textum coram non habeat. E. c. verba Præfationis: φράσαντες τὴν ὁδὸν τῆς θεραπείας ἁπλῶς (ex Arabico apparet, αὐτῶν debere legi,) ἐν εὐθύτητι τῆς ὁδοῦ ταύτης καὶ πλησιαιτέραν καταλήψεως αὐτῆς καὶ τὸ ἴσον τῆς τρίβου παρ' αὐτὸν — tenebras offundunt lectoribus. Paulo clarior erit locus illis, qui, battologiæ Arabicæ aſſueti, hæc ipſa barbari Medici verba legent: شرحنا طريق مداواتها في اهون سبيلة واقرب ماخذه واقصد طريقة. Quod ſtatim ſequitur, ὃν τοῦτο (leg. τοῦτον) τέθηκα, *quem illum poſui*, eſt purus putus Arabiſmus التي جعلنا ها, pro *quem conſtitui, quem juſſi eſſe*. *Pag.* 8 habetur locus, ex bono et elegante Arabico peſſime Græcus factus; ut mirum non ſit, ſi Cl. Interpres ibi rem acu non tetigerit. Οὗτος ὁ πυρετὸς, ait, διαιρεῖται διχῶς, καὶ ἐστὶν ἐξ αὐτοῦ ὅπερ ὑπάρχει καθ' ἑαυτὸ ἡ νόσος, καὶ ἐξ αὐτοῦ γίνεται συμβεβηκὸς ἑτέρας νόσου προηγησάσης. Si quem verbi προηγέω elegantia percellat, ſciat, ſibi rem cum ſcriptore medii ævi eſſe. Sed hoc in tranſitu. Audiamus nunc Arabem, cujus verba tantum non annumeravit hic Græculus: وهذه الحمي تنقسم ضربين، لان منها ما يكون المرض نفسه، ومنها ما يكون عرضا تابعا للمرض قد تقدمه. *Febris hac eſt duplicis generis; interdum enim eſt morbus per ſe ſubſiſtens, idiopathicus; interdum comitatur alium morbum, ſe anteriorem, ut ſymptoma.* Talia plura poſſent exempla proferri.

F f ff Facile

Digitized by Google

Facile judicium hinc fiat, quantas moleſtias devoraverit, qui Scriptorem tam horriſonum Latina civitate donavit; præſertim cum librarius abnormibus ſcripturæ vitiis Codicem, quo ille uſus fuit, fœdaverit; quæ cum Vir eruditiſſimus in Notis indicat & eluit, occaſio naſcitur ipſi, alios quoque Autores Græcos, ſimilibus modis affectos, integritati reſtituendi. Egregium ea in re acumen Muſasque non invitas ſibi obtigiſſe, paſſim monſtravit. Quod paucis quibusdam ſpeciminibus allatis conſtabit. E. g. *pag. 18* tentat illud *Ariſtæneti Lib. I Ep. 6*, ἀμελήσω τῷ πόθῳ, pro quo eum putat ἀμιλλήσω τῷ πόθῳ ſcripſiſſe. Non improbabiliter. Quamvis enim puriores Scriptores ἀμιλλᾶσθαι in medio, non in activo, & πρός τινα, non τινί, dicant; non tamen dedecet ea dictio *Ariſtænetum*, ejusque ſeculum. *Pag. 31* emendatur fragmentum *Callimachi*, quod apud *Galenum* in *Lexico Hippocratico* v. πολυγρέω exſtat, & vulgo ſic habet: καὶ γόνος αἰρηῶν ἔγρας κηδεμόνα. Noſter pro ſecunda voce γάνος legit, & interpretatur de hyæna, quam ſic a quibusdam olim appellatam fuiſſe monſtrat. Felicior certe conatus is eſt, quam fuit *Bentleji* ad hunc locum. Magnus idem Criticus *pag. 45* reprehenditur, meritoque id ſuo. Exſtat apud *Joannem Malalam*, *Pelopem* ἐλαίαν *in humero habuiſſe*. *Bentlejus*, accipiens eam vocem ſenſu vulgari, *pecudem* propterea appellat *Malelam*, quod ἐλαίαν, *oleam*, pro ἐλέφαντα, *ebur*, ſcripſerit. *Cui enim fando auditum*, addit, *oleagineum humerum Pelopi fuiſſe.* Vindicat Noſter Græculum a ſtuporis ignominia, & præcipitati judicii arguit Anglum Ariſtarchum, non recogitantem, ἐλαίαν in Græca lingua non tantum *oleam*, ſed etiam *nævum in corpore*, ſignificare. Perquam elegans eſt emendatio loci in *Theophraſti Character. Cap. 16*, quam *pag. 243* proponit, ἰχθύσασθαι legendum ibi eſſe pro vulgato ἐκδύσασθαι. Quam profert *pag. 260 Aretæi Cappadocis*, emendatio, pro ἰνδεῶς *Lib. II de Cauſ. acutor. Cap. 9* reponens ἐνδῷ ὡς, ea certa eſt & indubitata. Admodum quoque placet lcita *Lyſiæ* correctio, apud quem in prima Oratione pro vulgatis ἀφικνῦμαι εἰς τὸν καὶ τὸν, Noſter εἰς τὸν κοιτῶνα reponit.

Adji-

Adjiciamus nunc unum alterumve exemplum conjecturarum ejus, quibus (ut eſt genus hoc multis controverſiis obnoxium) nos quidem non ſubſcripſerimus. *Pag. 51* tractat locum *Dionis Chryſoſtomi pag. 537*, poſt clariſſimos Viros, *Caſaubonum*, *Elſnerum*, & *Anonymum*, ut appellatur, *Wolffianum*. Putat Noſter, φησὶ delendum eſſe, ut ſcholion verbi ἀδεῖ, quod in duas voces ἃ δεῖ diſcerptum it. Ingenioſe magis, quam vere. Procul dubio rectum vidit *Anonymus*, quisquis is eſt, *Wolffianus*, ſive *Seldenus*, ſive potius *Duportus*, pro ἃ δεῖ legendum eſſe ἀεὶ. Cui ſi addatur, προσκεῖσθαι ſcribi oportere pro προσδεῖσθαι, perfecte ſanatum habebimus illum locum. *Pag. 74* ſub limam vocat *Pſelli de operatione dæmonum* libellum, pro ætate ſua perelegantem & lectu jucundum. In eo legitur *pag. 30:* ἥτις τὰ αὐτῶν οὐκ ἀργῶς ἐποίει. Suadet Clariſſ. *Bernardus* pro ultima voce ἐπίῃ, *ſi quis eorum* (Sanctorum Patrum) *ſcripta non perfunctorie legat*. Nobis tamen videtur *Pſellus* potius εἰ τις αὐτῶν οὐκ ἀργῶς ἐπαΐει ſcripſiſſe. *Pag. 50* agitat locum *Æliani* ex *Lib. II Cap. 37 Hiſtor. Animal.* vexatum certe, ad quem, ut in univerſum ad totum illud opus, nova ejus ſplendida Londinenſis editio non valde multum præclaræ opis attulit. Putat Noſter, πέπλασται verbum e margine in textum irrepſiſſe, & adſcriptum fuiſſe a docto quodam poſſeſſore Codicis, qui ſignificare voluerit, figmentum eſſe, quod *Ælianus* ibi tradit. Id ſi verum ſit, mirum profecto erit, quare doctus ille, quisquis fuerit, vir huic ſoli loco judicium hoc adſcripſerit, cum potuerit aliis multis, imo integris paginis & libris *Æliani*, ſeverum hoc πέπλασται, *mendacium id eſt*, craſſo calamo appingere. Fugit Eruditiſſimum Virum, ut nobis quidem videtur, vera emendandi ratio; ne id commemoremus, adhuc gravius vitium, in voce ὕλης cubans, eum non attigiſſe. *Ælianus*, ut nos quidem cenſemus, non ΠΕΠΛΑΣΤΑΙ πέπλασται, ſed ΠΈΠΑΣΤΑΙ, ſcripſit. Significat ea vox idem, quod ſequens ἔχει, quæ, ut Scholion iſtius, expelli debet. Senſus eſt: *Mygale*, (*animal ſic dictum, quia eſt* ποίημα μυὸς καὶ γαλῆς, ita ibi legendum, *e mure & fele compoſitio*,) *nactum eſt* πέπασται

Ff ff 2 (hoc

(hoc eſt, ἔχει *habet*) ζῆν, *facultatem vivendi*, &c. Alium ejusdem *Æliani* locum e *Lib. XVI Cap.* 25 *Hiſt. Animal.* ventilat *pag.* 242, in quo narratur modus, quo Perſæ equos, bello deſtinatos, perferre magnos tumultus, & adſpectum cadaverum ſtratorum, docuerint. Ἤχοις χαλκοῖς προσεθίζουσι καὶ κωμῳδοῦσι, ait Autor, *fragori*, vel *clangori*, *æris aſſuefaciunt*, & *comice exagitant*, *eos*. Offendit, ut par eſt, poſtrema vox; & propterea ſuſpicatur Vir Clariſſ. *Ælianum* dediſſe κωδωνοῦσι. Haberet hoc ſpeciem, ſi conſtaret, veteres æque dixiſſe κωδωνεῖν, atque dixerunt κωδωνίζειν, quod notat *tintinnabulis, coram equo diu valideque pulſatis, eum aſſuefacere ferendo clangori*. Præſtabit itaque, veterem lectionem, donec certior lux affulgeat, retinere, cum ſatis commode, analogia certe non obſtante, ſic exponi queat: *modis mimicis ductitant* & *ludificantur equos*. Eſt quidem ea nova verbi κωμῳδεῖν τινα ſignificatio; patet tamen e ſequentibus, *Ælianum* id dicere voluiſſe. Modus profecto, quo Perſæ docuerunt equos cadavera absque metu calcare, & ſuper ea transſilire, comicus eſt, ridicularis, mimicus, digna equo, bruto animali, pædagogia.

Supereſt, ut, antequam Lectorem dimittamus, unam memorabilem obſervationem ex Præfatione adhuc repetamus. Recenſetur inter *Michaelis Pſelli* ſcripta inedita *Medicinale ad Conſtantinum Porphyrogennetum.* Clariſſ. *Bernardus* obſervat, *Pſellum* Medicum non fuiſſe; librumque medici argumenti, qui ipſi tribuitur, nihil differre ab illo, qui ſub *Noni* nomine proſtat. Non poſſumus hoc elegans inventum, ceterasque doctas Eruditiſſimi Viri obſervationes, & in univerſum præclarum ejus rarumque hodie in medicis ſtudium bene de Græcis literis, & præſertim medicis, merendi, non laudare, conatibusque ipſius, & præcipue novæ, quam inſtituit, editioni *Thomæ Magiſtri de Vocabulis Atticis*, proſperos ſucceſſus non comprecari.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE &c.

hoc eſt,

ACA-

ACADEMIÆ REGIÆ SCIENTIARUM ET elegantiorum Literarum Berolinenſis Hiſtoria. Annus MDCCXLVI.

Berolini, apud Ambroſium Haude, 1748, 4.
Alph. 2 plag. 14, Tabb. æn. 8.

Hiſtoria primo noviſſimam Academiæ formulam, a Sereniſſimo Boruſſiæ Rege, qui ipſum *Protectoris Academiæ* titulum ſuſcipere dignatus eſt, præſcriptam, deinde *Maupertuiſii* Orationem, in natalibus Regis anni 1747 habitam, denique nummos aliquot, in victorias Regis cuſos, exhibet. Commentariorum prima claſſis *Philoſophiæ experimentali* dicata eſt. *Ellerus* Diſſertationibus duabus de elementis, ſeu primis principiis, corporum, docet, dari elementa, variis illa quidem mutationibus, imo transmutationi totali, ſubjecta, elementorum vero nomen ſolum elementarem ignem & aquam mereri. *Prima Diſſertatio* tota recenſendis Philoſophorum barbarorum, Græcorum, Chymicorum, ſententiis occupatur, grata iis futura, qui, quæ Hiſtoriæ philoſophicæ ſcriptores fuſe enarraverunt, hic in compendio legent. In *altera* Autor ſub initio *Carteſii* cogitata exponit, deinde *Leibnitii*, quæ vero Metaphyſicis examinanda relinquit, ea, quæ ſenſus feriunt, inveſtigaſſe contentus. Deinde ad ipſa elementa inveſtiganda progreſſus, de igne varia, ex vulgatis jam experimentis nota, producit, notans, materiam inflammabilem, ſeu φλόγιϛον, omnibus corporibus ineſſe, & eadem natura ineſſe, ut non niſi diverſis involucris, quibus ſit, ut magis, vel minus, in ſenſus incurrat, diſtinguatur, cum, addendo φλόγιϛον calcibus metallicis, eæ in priſtinam metalli formam reducantur. Dignum autem omni Phyſicorum attentione eſt vitrum, quod materia ignea, quam continet, experimentis electricis elicita, Phyſicos exercuit, hominesque ut ſtupentes hoc contemplarentur, effecit. Oritur autem vitrum, quando, deflagrantibus vegetabilibus, acidum, in iis ſemper contentum, particulas aliquas terreſtris materiæ diſſolvit, illisque φλόγιϛον forma ſalis alcalici implicat, quod cineribus fu-

ſone redditum, cum iis in corpus novum & pellucidum abit. Cetera talia omnia elementaris hujus activæ & igneæ materiæ partem continent, quæ, in iis latens, virium, quibus agunt, cauſa exiſtit. Id nitrum, quod plus ejus materiæ aliis ſalibus continet, ſubita deflagratione probat. Neque phosphori & pyrophori aliter effectus ſtupendos edunt, quam ope principii inflammabilis materiæ ſalinæ, ex acidi cum terra ſubtiliſſima mixtura ortæ, involuti. Ita progreditur, ignis præſentiam in fermentatione, putrefactione, & ſimilibus, oſtendendo. Dum evaporationem attingit, ejus cauſam aerem non eſſe, experimento probat. Aquam, recenter deſtillatam, antliæ pnevmaticæ ope ab aere purgavit, eaque deinde exiguam phialam, collo longiori, transverſim ſecto, inſtructam, replevit. Deinde os phialæ, aqua omnino repletæ, charta obtexit, ut illa ſuperficiei aquæ congrueret, phialam autem poſt invertit, chartam digito ſuſtinens, & collum aquæ, eodem modo purgatæ, immerſit. Vaſculum, quo aqua hæc continebatur, igni impoſuit, remota charta. Quamprimum aqua ebullire inciperet, veſiculas per collum phialæ in corpus ejus adſcendentes vidit, cumque ſummam attigiſſent, per poros vitri, ut radii lucis per vitrum transeunt, evadentes. Has ergo particulas igneas eſſe, cognovit, quæ, impediente vitro, nihil aquæ ſecum abripere poterant. Gradus autem caloris, qui, ut data magnitudine gutta, plano impoſita evaporet, efficiunt, reciproce eſſe ut tempora, invenit, evaporationemque hanc fere eodem tempore in vacuo contingere narrat. Aquam vero in aerem mutari, probat inde, quod ignis, in alcali fluido contentus, ſub antlia pnevmatica acido affuſo liberatus, aquoſam materiam ita in aerem elaſticum commutet, ut pes circiter cubicus aquæ, antea alcali junctæ, recipientem evacuatum, 900 pedes cubicos aeris continentem, ab antlia ſejungere valeat, reſiduum vero ſit ſal medium formæ fere ſiccæ, cryſtallinæ, & transparentis, tartari vitriolati natura. Deinde notiſſimum *Boylii* experimentum de arboribus, ſolius aquæ ope nutritis, enarrat, quod bulbis hyacinthi in aquam poſitis imitatus eſt, ita quidem, ut eos poſtea cremaverit, ne ſcilicet aqua ſabulum, aut terreſtres particulas, in plan-

tas

Digitized by Google

tas introduceret. Reperit vero, duorum bulborum, initio æquiponderantium, alterum, in aqua poſitum; floribus etiam protruſis deinde comatum & calcinatum, reliquum, qui in aquam poſitus non fuerat, 7, vel 8, granis ſuperaſſe. Id effecit, ut, aquam, in canales plantarum capillares adſcendentem, a frictione materiæ igneæ paulatim in ſolidum corpus abire, crederet, idque, aquam in vaſe vitreo, mortario item vitreo, triturando, experiundo comperit. Nam, trituratione 20, vel 30, minutis continuata, pars aquæ ſubſedit, & in terram ſubtiliſſimam leviſſimamque abiit. Hanc terram, ex aqua ortam, ignisque vi ita reſiſtentem, ut ne minimam quidem diſſipationem patiatur, virginem appellat, ſed naturam ejus, tempore prohibente, jam non exponit. Itaque ignem pro elemento activo, aquam pro paſſivo, habet, quod ope ignis agitatum, in aerem abit, ope frictionis autem, ab eodem igne productæ, terram conſtituit.

Marggravius, Zincum quomodo ex minera ſua, Cadmia ſcilicet, extrahatur, exponit. Novum eſt, quod docet, etſi a *Pottio* jam ſubindicatum, pſeudogalenam (*Blende*), in Saxoniæ noſtræ fodinis reperiundam, Zincum continere. Sumantur hujus pſeudogalenæ, ex fodina Freybergenſi, *Kühſchacht*, erutæ, a pyrite flavo et arſenicali, qui ei commixtus eſt, ſollicite purgatæ, in pulverem redactæ, & ad ignem, paulatim auctum, donec nullus amplius odor ſentiatur, omnemque ſplendorem perdiderit materia, crematæ, unciæ IV, additis duabus drachmis carbonum. Hæc eodem modo tractando, ac lapidem Calaminarem ad eliciendum Zincum, quemadmodum ante Autor docuerat, Zincum verum habet, etſi minori copia, quam ex minera Rammelsbergenſi. Ex doſi prædicta ſcilicet obtinuit *Marggravius* 6, vel 8, grana Zinci puri, & 4, vel 5, grana florum Zinci.

Idem *Marggravius* in ſequenti Diſſertatione facilem modum tradit, Argentum & Mercurium in acido vegetabili ſolvendi. *Pottius* vero Talci, & deinde *Marggravius* ſalis urinæ cujusdam notabilis, acidum phoſphori continentis, chymica examina ſiſtunt. *Ellerus* autem ganglii formationem & originem

nem anatomice exponit. Reperit eam in vagina illa membranacea, quæ ex membranis ſubtiliſſimis, ſingulas fibras muſculares inveſtientibus, eo in loco, ubi muſculus in tendinem abit, conjunctis, oritur, tendinem vero perpetuo comitata, ad inſertionem muſculi inter articulorum ligamenta ſe perdit. Hæc quidem vagina plus impedimenti, quam utilitatis, tendinibus afferret, niſi ſimul in ea viſcoſa aliqua humiditas ſecerneretur, quæ tum fibras tendinoſas, tum hujus vaginæ internam ſuperficiem, obducit, lubricatione motum tendinis faciliorem reddendo. Hujus vaginæ originem uſusque quod non ſollicite ſatis inveſtigaverint Anatomici, in cauſa fuit, ut formationem ganglii non recte intellexerint. Ponamus, tendinem vim externam, ictus puta, compreſſiones violentas, nimias extenſiones, &c. pati, ut vel rumpatur, vel findatur vagina hæc, continuo humor ille, quem continebat, extravaſatus tunicam adipoſam cutis intrabit, in illiusque cellulis ſubſiſtens, evaporante parte ſubtiliori, in viſcoſam craſſamque materiem abibit, qualem *Ellerus* ſæpe in gangliorum diſſectionibus reperit.

Hæc de Phyſicis. Inter *Mathematicos* princeps *Eulerus* de cauſis, unde Cometarum caudæ, aurora borealis, & lumen zodiacale, producantur, diſſerit. Sumit, radios ſolares particulas ſubtiliſſimas ex atmoſphæris planetarum propellere poſſe. Nam, radios ſolis, in foco vitri cauſtici condenſatos, leviora corpora in motum comitaſſe, facti eſt. Caudam ergo Cometæ pro congerie particularum habet, ab actione radiorum ſolarium ex atmoſphæra cometæ projectarum, indeque phænomena explicat. Eandem originem auroræ boreali aſſignat ingenioſe, præcipua, quæ de illa obſervantur, inde deducens. Sol autem ſi atmoſphæra circumdatur, ea ob vim centrifugam circa æquatorem Solis maximam ſphæroidis lati figuram induet, unde lucis zodiacalis apparentiæ conſequuntur. Hæc omnia diagrammatibus illuſtrat, & calculo explicat. Idem Vir ſummus, qui ſint propagationis ſucceſſivæ lucis in planetarum cometarumque apparentiis effectus, ſequenti ſcripto exponit; qua de re quidem olim Petropoli diſſeruerat, ſed orbibus pla-

planetarum circularibus poſitis. Jam, cum, aliter, quam crediderat, eccentricitatem orbium magni eſſe in his correctionibus momenti, reperit, rem omnem denuo pro orbibus ellipticis explicat. Reducit autem omnia ad motus alicujus apparentiam inveſtigandam, quæ ex motu telluris in orbita ſua & motu lucis componitur, totum vero negotium ita tractat, ut res mathematicas tractare ſolet, ut univerſalitati, ſoliditati, perſpicuitati, elegantiæ, nihil addi poſſit.

Poſthæc *D'Alembertius* de Fractionum rationalium integratione commentatur. Scilicet, ut, methodo *Bernoulliana* ſummas ad circuli, vel hyperbolæ, quadraturam generatim reduci poſſe, clare oſtendatur, demonſtrari oportet multinomium rationale, & per quantitatem, ex variabili x & conſtantibus compoſitam, non diviſibile, ſi gradus paris ſit, in factores trinomios, ut $x^2 + fx + g$ coefficientibus f, g, realibus exiſtentibus, reſolvi poſſe, ut ſaltem pro formula $x^{2m} + Ax^m + B$ oſtenderunt *Hermannus*, *Coteſius*, *Moivræus*. *Smithius* in Commentatio, *Harmoniæ menſurarum* addito, pro multinomiis gradus quarti oſtendit. *Eulerus* in *Tomo VII Miſc. Berol.* generalem theoriam ſibi eſſe, indicat, ſed nihil adhuc ea de re publicavit. Igitur *D'Alembertius* in genere oſtendit, quantitatem $x^m + ax^{m-1} + bx^{m-2} \ldots + fx + g$, ſi talis ſit, quæ a nullo poſſibili ipſius x valore ad o reducatur, diviſibilem eſſe in factores trinomios, ut $x^2 + hx + i$, omnesque adeo fractiones differentiales rationales ad quadraturam ſectionum conicarum reduci. Altera Diſſertationis *D'Alembertianæ* pars in differentialibus ad circuli & hyperbolæ quadraturam reducendis occupatur, ubi varia, præcipue a *Maclaurinio* in Tractatu *de Fluxionibus* tradita, ulterius perficit. *Eulerus*, quibus in orbitæ locis maxima fiat planetæ æquatio, diſquirit; *Kraftius* vero meteorologicas obſervationes, Tubingæ A. 1745 habitas, exhibet. Notatu dignum eſt in illis, acum magneticam poſt violenta tonitrua, fulminaque frequentia, d. 31 Aug. h. 3 pom. declinationem, quam pluribus diebus conſtantem habuerat, 15′ imminuiſſe. *Lerchii*, Doctoris Medici, Aſtracani factæ obſervationes meteorologicæ, quas de l'Iſlius

eum Academiæ communicavit, colophonem *Claſſi mathematicæ* imponunt.

In *Philoſophia theoretica* leges motus & quietis Ill. *Maupertuiſius* ex metaphyſico principio deducit. Primo quidem argumenta aliqua pro Numinis exiſtentia, quæ ex mirandis naturæ operibus deducuntur, examinat. *Newtonus*, quod planetæ omnes in eandem plagam, & in orbibus fere concentricis, moveantur, ſapienti id creatoris conſilio factum eſſe, infert. Notat *Maupertuiſius*, id argumentum ea de cauſa ſaltem *Newtono* tanti ponderis videri, quod cauſam phyſicam in ſuo ſyſtemate reddere non valeat. Qui, planetas in fluido deferri, credunt, hinc non magis creatorem colligent, quam ex quovis alio motu, materiæ impreſſo. Similiter alia argumenta examinat, & ei, quod ab ordine in rerum natura conſpicuo deſumitur, deformitates varias apparentes opponit. Notat vero, in Deo ex natura cognoſcendo, non tam facta, quam factorum rationes, contemplari nos debere. Parum eſt, ſcire, planetas omnes in eandem plagam, fereque in eodem plano, moveri, niſi, melius hoc eſſe, quam ſi aliter factum fuiſſet, perſpiciamus. Poſt hæc, leges generales naturæ argumenta continere pro evincenda exiſtentia Dei, oſtendit, legesque, ſecundum quas motus conſervatur, diſtribuitur, & deſtruitur, attributis ſupremæ alicujus intelligentiæ inniti, neque in ſcrupuloſa minutarum rerum contemplatione, ſed in generalibus naturæ regulis, tam inſignis inveſtigationis, quam ea de exiſtentia divina eſt, fundamenta eſſe ponenda, quæ & ab exceptione libera ſint, & ob ſimplicitatem ſuam totæ viſui noſtro exponantur. Leges illæ motus ſunt, ut Matheſis, quæ vel corporis neceſſitatibus, vel inutilibus ſpeculationibus, huc usque inſerviit, jam ad ſublimes maxime contemplationes nos ducat. Harum legum principium hoc enuntiato complectitur: *In ictu corporum ita motus diſtribuitur, ut quantitas actionis, quam mutatio ſubſecuta poſtulat, omnium poſſibilium minima ſit. In quiete corpora æquilibrata in eum ſitum ſe componunt, ut, ſi exiguus motus oriretur, actionis quantitas omnium minima ſit.* Hinc leges motus deducit. Speciminis loco exhibebimus

mus Problema I: *Invenire leges motus pro corporibus duris.* Sint maſſæ duorum corporum durorum A, B, velocitates a, b, moveantur autem in plagam eandem, A vero ipſo B velocius. Velocitas, utrique poſt ictum communis, ſit $x < a$ & $> b$. Mutatio, quæ in univerſo contigit, ea eſt, quod corpus A, quod velocitate a certo tempore ſpatium a percurrebat, jam velocitate x ſpatium x percurrat, B vero, ante velocitate b per ſpatium b motum, jam velocitate x ſpatium x abſolvat. Idem ergo contigit, ac ſi corpus A, dum velocitate a ſpatium a percurrebat, retro ſuper plano immateriali velocitate $a - x$ moto latum ſpatium $a - x$ abſolviſſet, B vero, dum velocitate b ſpatium b abſolvit, promotum fuiſſet verſus anteriora ſuper plano immateriali, velocitate $x - b$ per ſpatium $x - b$ moto. Sive autem propriis velocitatibus corpora ſuper planis mobilibus moveantur, ſive ibi quieſcant, motus horum planorum, corporibus oneratorum, idem exiſtet, actionumque, in natura productarum, quantitates erunt $A.(a - x)^2$ & $B.(b - x)^2$, quarum ſummam oportet eſſe minimam, unde $- 2Aadx + 2Axdx + 2Budx - 2Bbdx = 0$ & $x = (Aa + Bb) : (A + B)$. Similiter, ſi corpora ſint elaſtica, manentibus reliquarum literarum ſignificationibus, velocitates poſt ictum ſint α, β, reducitur res in *Problemate II* ad motum ſuper planis immaterialibus velocitatibus $a - \alpha$ & $\beta - b$, retrorſum & antrorſum *reſpective* motis, actionum autem quantitates erunt $A.(a - \alpha)^2$ & $B.(b - \beta)^2$, quarum ſummam minimam ponendo, eſt $- 2Aad\alpha + 2A\alpha d\alpha + 2B\beta d\beta - Bbd\beta = 0$, cumque pro corporibus elaſticis velocitatis reſpectivæ poſt ictum eædem ſint, quæ ante, eſt $\beta - \alpha = a - b$, & $\beta = \alpha + a - b$ & $d\beta = d\alpha$, unde fit $\alpha = (Aa - Ba + 2Bb) : (A + B)$ & $\beta = (2Aa - Ab + Bb) : (A + B)$. Denique *tertio Problemate* legem quietis in corporibus eodem modo inveſtigat. Exhibuit autem horum fontem jam in *Comm. Acad. Paris. A.* 1744.

Sequitur *altera Pars* examinis Spinoſiſmi & objectionum *Baelianarum* contra eum, Autore *de Jariges*, cujus *prima Pars*

 in

in *Anno præcedente* Monumentorum exhibita eſt. Denique *Formejus* ſomniorum ſpecies legesque ex imaginationis regulis profundè & ſolide explicat.

In ſcriptis, ad humaniores literas ſpectantibus, principem locum tenent Commentarii ad hiſtoriam domus Brandenburgicæ facientes, in quibus geſta Electorum inde a *Friderico I* usque ad *Georgium Guilielmum* exponuntur, liberius quidem, nec virtutibus preſſis, nec vitiis celatis, & ita, ut ſublimiorem Autorem, quam ſcholaſticum aliquem Hiſtoriæ doctorem, aut Politicum, ex Muſei ſui angulo ſummorum Principum facta, rerumqne, quas maximas homines credunt, viciſſitudines, e longinquo quaſi contemplantem demonſtrent. Prælegit hos Commentarios in generali Academiæ conventu ipſis Calendis Jun. A. 1747 Conſiliarius intimus *Darget*, præſentibus regiis Celſitudinibus Principibus Fratribus Regiis, nec non Principe *Amalia*. Adjecta eſt *Maupertuiſii* reſponſio, elogium Regis, ex comparatione præſentium temporum cum iis, quæ *Georgio Wilhelmo* acciderunt, ductum, continens. Eſt illa ſimilis reliquis omnibus ſcriptis Viri, in quo Philoſophi acumen, Geometræque ſoliditatem, Poetæ ingenio ornata admiramur.

Poſthæc *Elsnerus* de Diis Pataicis commentatur. De his *Morinus* in *Tomo I Academiæ Inſcriptionum* diſſeruit, ſed *Elsnero* non ſatisfecit. Hic ergo a *Morino* dicta, & potiſſimum, quæ *Herodotus*, primus, qui illorum mentionem fecit, narrat, curatius magnoque eruditionis apparatu examinat. *Heinius* deinde *Oenopidæ Chii* vitam factaque ex monumentis veterum deſcribit, variis, ad cultiores literas in univerſum ſpectantibus, interſperſis. Nam, ubi, *Oenopidem Chium* in Ægypto ſcientiarum myſteria didiciſſe, ex *Diodoro Siculo* memorat, de omni Ægyptiorum literatura diſſerit, monſtratque, hieroglyphica illarum rerum figuras fuiſſe, ad res deſignandas, antequam literæ reperirentur, adhibitas. Quod in hiſtoria *Moſaica* habetur, frumenti, a *Joſepho* coacervati, copiam tantam fuiſſe, ut non amplius illam menſuraverint, ita explicat, figuras numericas, quibus ſcribi tanta multitudo poſtulaſſet, Ægyptiis defuiſſe, &, in *verſu 6 Pſalmi XXXIX* non ſatis accurate expoſuiſſe *Lutherum* ſenſum divini vatis, notat, quando, latitudini

ma-

manus æquari dies ſuos coram Deo, regem dicere fecit, cum non ſpithamis menſurentur dies, ſed numerentur. Sed, quod digitis veteres numeraverint, aliquot palmas, vel digitos manus, aliquoties repetitos, paucitatem dierum notare, monet. Ceterum de *Oenopida* nos docet, eum lunulam quadraſſe, quod *Hippocrati* vulgo adſcribitur. Id certe *Proclus* ad *Eucl.* expreſſe *Oenopidæ* adſcribit, &, in iis veterum locis, qui eam gloriam *Hippocrati* tribuunt, nominis errorem commiſſum eſſe, probabile reddit. De duodecim Zodiaci ſignis credit, ea non tam a ſenſibilibus ſolis in terra noſtra effectibus, v. g. Arietem, quod, ſole id ſignum tenente, oves primum in campos educantur, ſed ab iis, quæ ſoli ipſi, in his ſignis verſanti, accidunt, eſſe nominata. Id ſane *Cancer*, *Capricornus*, *Libra*, *Leo*, aperte docent. Cumque *Oenopidas*, viam lacteam olim ſolis ſemitam fuiſſe, docuerit, monet, *Burnetum* in *Theoria Tellur.* & *Archaeolog. Philoſ.* docuiſſe, veterum ſententiam fuiſſe, aliquando eclipticam cum æquatore coincidiſſe. Cumque id *Burnetus* diluvii tempore ob facinora hominum mutatum fuiſſe contendat; *Heinius* ejus opinionis veſtigium in ſole, ob cœnam *Thyeſtis* currus reducente, reperit.

Sequitur hæc Marchionis *Argenſonii* Sermo de neceſſitate, peregrinos in ſocietatibus literariis admittendi, habitus, cum in Academiam reciperetur, addita *Maupertuiſii* reſponſione. Poſtea *Condaminius* antiqua quædam monumenta Peruviana inde a temporibus Regum, quos *Incas* vocant, ſervata, deſcribit, ædificii etiam cujusdam tum ichnographiam, tum orthographiam, exhibet. Peruviani, tantæ in rebus artificioſiſſimis ex auro agentoque fuſo conficiendis induſtriæ, ſimpliciſſimo ædificiorum genere uſi ſunt, quod architecturam excolendi nulla neceſſitas erat. Finem operi, *Jordani*, *Naudai*, *Keiſerlingii*, *Wagneri*, & *du Hanii*, Elogia imponunt.

INSTITUZIONI ANALITICHE, &c.

hoc eſt,

INSTITUTIONES ANALYTICÆ IN USUM Juventutis Italicæ, Autore Domina MARIA GAETA-

NA AGNESI, Mediolanenſi, Academiæ Scientiarum Bononienſis Socia.

Tomi II.

Mediolani, in Curia Regia Ducali, 1748, 4 maj.
Tom. I Alph. 2 plag. 10, Tabb. æn. 35, Tom. II Alph. 2 plag. 4, Tabb. æn. 24.

Quas nunc manibus verſamus, Inſtitutiones ita comparatæ ſunt, ut, ſive Autorem, ſive ipſum librum, ſpectemus, nullæ ſint laudes, quibus ea nobis non prædicandæ eſſe videantur. Autorem enim agnoſcit Fœminam doctiſſimam, quæ non ſolum ſui ſexus eſt unica, a qua exaratus ad hunc diem eſt liber analyticus, ſed & procul dubio unica, quæ unquam ad id ſcientiæ & doctrinæ faſtigium pervenerit. Non enim in hoc ſpecimine continentur vulgaria tantum, & in quovis hujusmodi Curſu trita; ſed & exhibentur plurima, ad ſublimiorem analyſin ſpectantia, quæ, quantum *Agneſia* in recentioribus methodis artificiisque analyticis verſata ſit, abunde teſtantur. Verbo: Nemo eſt Virorum in republica mathematica clarorum, cui, has Inſtitutiones conſcripſiſſe, honori cedere non debeat. Eſt præterea liber ipſe Analyſeos ſtudioſorum uſui egregie accommodatus. Non enim ſolum omnia bono ordine ſummaque cum perſpicuitate ſunt expoſita, exemplisque clariſſimis iisque ſelectis, abunde illuſtrata; ſed & hinc inde, præſertim vero in Analyſi infinitorum, permulta talia reperiuntur, quæ in aliis Analyſeos Elementis nequicquam quæſiveris. Certe, integram tam finitorum, quam infinitorum, Analyſin in eodem Curſu eo ambitu, quo hic, pertractatam, haud unquam alibi meminimus. Sed, quæ diximus, clarius patebunt, ſi ipſius libri contenta curatius exponemus, ut videant, quid de eo promittere ſibi debeant, Analyſeos cultores.

Tom. I pag. 1. Totus in *quatuor Libros* diſpeſcitur. *Primus Analyſin finitorum* complectitur. Primo occurrit calculus literalis, conſuetæ nempe operationes circa quantitates integras, fractas, potentias, radices, nec non inventio diviſorum formulæ datæ. Sequi-

Sequitur doctrina de æquationibus: ubi primo methodus, quæſtiones mathematicas ad æquationes redigendi, variis exemplis clare explicatur; porro tractatur reductio æquationum, & reſolutio æquationum ſimplicium & quadraticarum, ubi varia notantur de duplicitate valorum, de problematibus determinatis, indeterminatis, plus quam determinatis, impoſſibilibus; methodus generalis pro eliminatione incognitarum; conſtructio geometrica æquationum unius duarumque dimenſionum; denique ſylloge exemplorum ſelectiorum, inprimis geometricorum, ubi in ſingulis proceſſus ſolutionis perſpicue exponitur. Hæc excipit conſtructio æquationum indeterminatarum primæ & ſecundæ dimenſionis per locos geometricos, quæ methodus clare exponitur, variisque exemplis illuſtratur. Poſt hæc traditur doctrina de natura æquationum in genere, variisque radicum affectionibus, de transformatione æquationum, reſolutio æquationum per diviſores, denique reſolutio generalis æquationum cubicarum & biquadraticarum, earumque conſtructio per duas æquationes locales, cum variis Problematibus, ceu exemplis. Porro conſtructio æquationum localium, ſecundum gradum excedentium, uti per varia exempla ample & diſtincte oſtendit, methodus, figuram & affectiones curvarum ex æquationibus eruendi, qua de re plerumque in hujusmodi libris pauca, vel nulla, reperiri ſolent. Finem huic Parti imponit methodus *Carteſiana*, maxima & minima, tangentes, puncta flexus contrarii, absque Analyſi infinitorum per æqualitatem radicum, inveniendi.

Secundus Liber Analyſin infinitorum orditur, & ſpeciatim *Calculum differentialem* tractat. Initio primæ de infinite parvis ideæ, inprimis de variis eorum ordinibus, ſatis diſtincte dilucidantur. Reliqua parum differunt ab iis, quæ in *Hoſpitalis* occurrunt; nec enim calculus differentialis huc usque ab ullo melius tractatus eſt. Tom. II pag. 431.

Tertius Liber Calculum integralem continet. Primo conſiderantur formulæ differentiales; harum integratio abſoluta; reductio ad logarithmos, vel ſtatim, vel facta prævia reſolutione in differentialia logarithmica; reductio ad arcus circulares; Tom. II pag. 613.

inte-

integratio formularum, radicalia continentium, per methodum ſubſtitutionis, (pro qua exhibentur formulæ generales,) nec non per methodum *Diophantaam*; integratio generalis formularum rationalium, quarum denominator eſt binomium $(x^n \pm a^n)^m$. Communicatur hic quoque methodus Comitis *Jac. Riccati*, nondum ad hunc diem publicata, pro reductione formularum, quarum denominator eſt polynomium. Res eo potiſſimum redit: Sit formula $dx : (x^{2n} + ax^n + b)^p$, ubi denominator eſt trinomium. Ponatur $x^n = z + A$, & fiet denominator $(zz + (2A + a)\, z + AA + aA + b)^p$. Capiatur A ita, ut ſit $AA + aA + b = 0$, & prodibit tota expreſſio hujus formæ: $z^{-p} dz : n(z+A)^{\frac{n-1}{n}} (z + 2A + a)^p$. Jam in caſu ſimpliciſſimo, ubi $p = 1$, hæc fractio reſolvitur in duas, quarum una habet denominatorem $(z + A)^{\frac{n-1}{n}}$, altera facto denuo $z + A = u$, & $2A + a = g$, naniſcitur, denominatorem $gg - gA + gu$, adeoque utraque ad formulas, quarum conſtat quadratura, reductæ ſunt. Similiter proceditur, ſi p ſit integer quivis, & ſi ſit quadrinomium, &c. Porro oſtenditur formularum differentialium integratio per ſeries. Hinc exhibentur horum omnium conſuetæ applicationes ad quadraturas, rectificationes, complanationes, cubaturas, pro quibus permulta exhibentur exempla. Denique calculus exponentialis & logarithmicus, tam differentialis, quam integralis, traditur, & formularum generalium, huc ſpectantium, integratio exhibetur.

Tom. II pag. 847. *Liber quartus* de *methodo tangentium inverſa* inſcribitur. Hic ſeſe offert integratio æquationum differentialium primi gradus, & primo quidem, quatenus ea abſque ſeparatione indeterminatarum per varias transformationes æquationis fieri poterit. Dein ea, quæ fit per ſeparationem, ubi traduntur methodi illæ maxime uſu venientes: per ſubſtitutionem novarum variabilium loco datarum, ut $x = yz$, $x = z^n$, &c. per ſuppoſitionem $dx = pdy$, &c. aliæque adhuc magis ſpeciales, at pro variis tamen caſibus apprime utiles. Omnia iſta artificia

Digitized by Google

ſicia analytica clare ante oculos ponuntur, & maximo exemplorum, tam ſimplicium, quam valde complicatorum, apparatu illuſtrantur. Tandem exponitur reductio æquationum differentialium ſecundi gradus. Hic explicantur variæ methodi ſubſtitutionum, methodus *Euleriana*, &c. Additur quoque aliquid de æquationibus differentialibus tertii gradus. Verbo, pulcherrimæ quæque methodi e *Bernoullianis* operibus, *Commentariis Petropolitanis*, aliisque ſcriptis analyticis, hic in unum collectæ reperiuntur; ut adeo nullus exſtet Curſus analyticus, quem Analyſeos ſublimioris addiſcendæ cupidis majori jure commendare poſſimus, quam hunc, quo intellecto, iis facile ad alia quoque ſublimioris ſcientiæ capita patebit aditus.

DE ACTIONE SOLIS IN DIVERSIS LATItudinibus Obſervatio, Autore JOS. STEPLING, Soc. Jeſu Prov. Bohemiæ Sacerdote, Matheſ. Profeſſore.

Clariſſimus *Edmundus Halley* olim propoſuit diſcurſum de proportionali Solis calore in omnibus latitudinibus, qui habetur in *Transactionibus Anglicanis A. 1693*, & inde in *Acta Eruditorum* translatus eſt, & legitur *Tom. II Supplement. Sect. VII pag. 329*. Statuerat tum vir hic celeberrimus, Solis actionem plus, aut minus, validam eſſe pro ratione ſimplici ſinuum angulorum incidentiæ radiorum ſolarium, in planum cadentium, dum tamen actio Solis, uti notum eſt, ſit in ratione ſinuum angulorum incidentiæ duplicata. Itaque actiones Solis diurnæ non per aliquam ſuperficiem ungulæ Cylindri circularis exprimi poterunt, quod voluit *Hallejus*, ſed per ſolidum aliquod, quod cujusmodi ſit, nunc inveſtigatum eo.

Certum eſt, actionem Solis durantem tempuſculo infinite parvo pro uniformi & æquabili haberi poſſe; exprimetur ergo per parallelepipedum, ortum ex ductu tempuſculi infinite parvi, ſeu, quod idem, ex ductu quantitatis differentialis

 arcus,

arcus circuli ſemidiurni Solis in quadratum ſinus altitudinis Solis. Et, ſi concipiatur hic arcus extendi in rectam, ac ſecundum illam ſtatui debite parallelepipeda, Solis actiones ſingulas, tempuſculo minimo peractas, exprimentia; habebitur ſolidum, cujus portio aliqua exprimere poteſt actionem Solis, tempore finito, e. g. hora, vel duabus, durantem, ſeu, ſi mavis, collectionem actionum illarum quaſi momentanearum. Et ſic Problema hoc geometrico-phyſicum reductum eſt ad pure geometricum. Exprimi autem debet ſinus altitudinis ſolaris per functionem ſinus arcus æquatoris, tempus, a meridie elapſum, vel ad meridiem reſiduum, menſurantis. Sit ergo $r =$ ſinui toti, $a =$ ſinui elevationis poli, ſeu latitudinis loci, $b =$ ſinui complementi latitudinis, $c =$ ſinui declinationis Solis, $f =$ ſinui complementi declinationis Solis.

TAB. VI Referat in *Figura prima* AB ſinum altitudinis So-
Fig. 1. lis, demittatur ex A perpendicularis AE ad planum æqua-
Fig. 2. toris, quæ erit ſinus declinationis borealis Solis. Sit (*Fig. 2*) in plano æquatoris MHN punctum E illud, in quod incidit illa perpendicularis; erit GE ſinus complementi declinationis, $HD = x$ ſinus arcus æquatoris, tempus, a meridie elapſum, menſurantis. Ducatur ex E ipſi HD parallela EI, & CE ipſi HG, quæ ad MN interſectionem æquatoris & horizontis normalis ſupponitur. In *priore* autem *Figura* (ubi BC repræſentat lineam, in horizontis plano ductam, EC vero eadem eſt cum EC in *ſecunda Figura*,) excitetur in C normalis, ſeu parallela, & æqualis ipſi AB, quæ ſit CL. Et erit:

$$r : f = \sqrt{(r^2 - x^2)} : \frac{f}{r}\sqrt{(r^2 - x^2)}$$

$$b : \frac{f}{r}\sqrt{(r^2 - x^2)} = r : \frac{f}{b}\sqrt{(r^2 - x^2)} = FC$$

$$= a : \frac{af}{br}\sqrt{(r^2 - x^2)} = FE.$$

Quare $AF = AE - EF = C - \frac{af}{br}\sqrt{(r^2 - x^2)}$.

Et,

TAB. VI ad Nov. Act. Erud. A. 1750.
Menſ. Octobr. pag. 610.

Fig: I.





Fig: II.



Digitized by Google

TAB. 1
Fig. :
Fig. 2

Digitized by Google

Et, quia $FC : FE = AF : FL$; erit

$$FL = \frac{ca}{r} - \frac{a^2 f}{r^2 b} \sqrt{(r^2 - x^2)}.$$

Sit brevitatis cauſa: $\frac{ca}{r} = \alpha$, & $\frac{a^2 f}{r^2 b} - \frac{f}{b} = \beta$: erit

$$FL + FC = LC = \frac{ca}{r} - \frac{a^2 f}{r^2 b} \sqrt{(r^2 - x^2)} + \frac{f}{b} \sqrt{(r^2 - x^2)}$$
$$= \alpha - \beta \sqrt{(r^2 - x^2)}.$$

Quadratum hujus quantitatis eſt $\alpha^2 - 2\alpha\beta \sqrt{(r^2 - x^2)} + \beta^2 (r^2 - x^2)$.

Et, cum elementum arcus, ſinui x reſpondentis, ſit, uti notum eſt, $\frac{rdx}{\sqrt{(r^2 - x^2)}}$, erit elementum ſolidi quæſitum $= (\alpha^2 r + r^3 \beta^2) \frac{dx}{\sqrt{(r^2 - x^2)}} - 2\alpha\beta r dx - \frac{r\beta^2 x^2 dx}{\sqrt{(r^2 - x^2)}}$. Cum ſit $a^2 - r^2 = - b^2$; erit $\frac{a^2 f}{r^2 b} - \frac{f}{b} = \frac{a^2 f}{r^2 b} - \frac{r^2 f}{r^2 b} = - \frac{fb}{r^2} = \frac{fb}{r^2} = \beta$, & $\beta^2 = \frac{f^2 b^2}{r^4}$, quo valore in expreſſione elementi noſtri ſubſtituto, uti & proprio ipſius α, obtinebitur ſequens:

$$\left(\frac{c^2 a^2}{r^2} + \frac{f^2 b^2}{r^2}\right) \frac{rdx}{\sqrt{(r^2 - x^2)}} + \frac{2cafbdx}{r^2} - \frac{f^2 b^2 x^2 dx}{r^3 \sqrt{(r^2 - x^2)}}.$$

Hujus autem integrale eſt:

$$\frac{2cafbx}{r^2} + \left(\frac{c^2 a^2}{r^2} + \frac{f^2 b^2}{r^2}\right) \int \frac{rdx}{\sqrt{(r^2 - x^2)}} - \frac{2f^2 b^2}{r^3} \int \frac{x^2 dx}{2\sqrt{(r^2 - x^2)}}.$$

Dependet ergo cubificatio hujus noſtri ſolidi a rectificatione arcus, ſinui x reſpondentis; hac enim admiſſa, abſolute integrabitur ſecundus expreſſionis terminus. Dependet præterea dicta cubificatio a quadratura circularis ſegmenti, cujus chor-

da ſit x, radius vero circuli, a quo reſciſſum eſt ſegmentum, ſit $= \frac{1}{2} r$. Hac enim quadratura data, abſolute integrabitur ultimum expreſſionis membrum.

Corollaria, quæ ex his pendent, in his ſtudiis verſatus facile deducet. Aliqua tamen adjungo. Sit itaque Solis declinatio nulla, ſeu $c = o$; erit $f = r$, & prodit $b^2 A - \frac{2b^2}{r} B$. (Notandum, A deſignare arcum circuli maximi, cujus x ſit ſinus, B vero $\frac{1}{4}$ ſegmenti circuli ejusdem, cujus ſubtenſa $= 2x$.) ſit jam latitudo loci, ſeu $a = o$, $b = r$; prodit $r^2 A - 2rB$. Sit $a = r$, $b = o$ pro polis, & expreſſio tota erit $= o$. Cum $\frac{rA - 2B}{r}$ ſit quantitas conſtans, ubi nempe etiam x ponitur conſtans & eadem in diverſis latitudinibus; erunt actiones Solis in diverſis latitudinibus tempore æquinoctii ut quadrata ſinuum complementi latitudinis.

Sit declinatio Solis aliqua, loci latitudo nulla, ſeu $a = o$, $b = r$, & prodit $f^2 A - \frac{2f^2}{r} B$. Si latitudo loci maxima, ſeu $a = r$, $b = o$. & prodit $c^2 A - \frac{2f^2}{r} B$. Conſideremus arcus ſemidiurnos, & erit ille in priore caſu quadrans, in poſteriore ſemicirculus, in quo $x = o$, unde etiam $\frac{2f^2}{r} B = o$. Eſt ergo expreſſio pro caſu poſteriore $c^2 A$. Calculo autem obiter ſaltem inſtituto, reperietur $f^2 A - \frac{2f^2}{r} B = 495196785$, & $c^2 A = 248694280$. Itaque actio Solis ſemidiurna minor eſt ſub polis, quam ſub æquatore; de quo dubitari poterat, cum parvitas actionis potuiſſet diuturnitate compenſari. Ceterum hic ſolam ſolarium radiorum actionem pro diverſa latitudine diverſam conſideramus, ab omni alio, quod vel actionem illam adjuvare, vel impedire, poſſit, abſtrahentes.

DIS-

DISSERTAZIONE TERZA INTORNO AD alcune Malattie, &c.

hoc eſt,

DISSERTATIO TERTIA DE QUIBUSDAM medicamentis, & morbis & medendi methodis, exhibita a LAURENTIO GAETANO FABBRI, occaſione Apologiæ, qua Præfationem ſuam, & Diſſertationes ſuas, a cenſura, ſuper illis facta, & ſub finem anni 1746, octavo Diarii Eruditorum Articulo, divulgata, vindicat.

Florentiæ, 1747, 4.

Plag. 19.

Priores Diſſertationes duæ, quas Clariſſimus *Fabbri* A. . 4. *de Febribus* luci publicæ dedit, bilem moverunt Cenſoribus, qui *Acta literaria Florentina* condunt. Sunt haud pauci eorum, qui nova literaria cum erudito orbe communicant, qui, cum ſatis eſſet, librorum argumenta, & ſumma doctrinarum capita, liberaliter fideliterque tradere, in judices ſeſe erigunt, & hac ſua ſeveritate optima ſæpe ingenia a ſcribendo deterrent. Invenit etiam Clariſſimus *Fabbri* inter cives ſuos, qui ipſum carperent, & ex dignitate tanti argumenti haud ſcripſiſſe arbitrarentur. Cauſæ ſuæ confidens *Fabbri*, & ſingulari aliquo animi candore compulſus, adverſariorum criminationes fronti hujus operis præfixit, quas, quando eas legimus, licet variæ ſint, aut eſſe videantur, eodem omnes redire deprehendimus, quod *nimium antiquorum placitis Diſſertationum Autor inſtiterit.* Reliqua ſcholaſtica ſunt, & controverſiarum nomine indigna. Communicanda ſunt cum Lectoribus atrocia illa, uti Cenſoribus Florentinis videntur eſſe, *Fabbri* facinora: *Autor ex* Hippocrate *contra Mercurii uſum argumenta conquiſivit, qui tamen ab illo nunquam vel nominatus, vel in uſum tractus, fuit; Mercurium ſolo ſuo pondere haud agere in corpora, male aſſer-*

tum fuit. nec debuit ille Mercurium adeo ſuſpectum reddere, cum tantorum morborum ſit domitor; Autor in exponenda Febris etymologia, quam ex fontibus antiquis, ipſisque Ebræis, repetiit, diffuſus nimium eſt. Objicitur Autori, *Febrem ei beneficam non videri, nec unquam ſalutarem, uti nec Podagram; eſſe tamen Febrem auxilium, quo natura ad expellenda corporis purgamenta utatur, unde & a februando, quod purgare eſt, Latinis dicatur.* Male etiam definiviſſe Febrem viſus eſt Autor, *dum eſſentiam ejus in calore præternaturali, diffuſo per totum corpus*, cum *Galeno* ponit, nec arridet Cenſoribus *Williſii* definitio, *Febrem eſſe fermentationem & immoderatam efferveſcentiam, inductam ſanguini;* nec *Laurentius Bellini* recte definivit, dum, *Febrem vitium ſanguinis vel quoad motum, vel quoad quantitatem, vel quoad qualitatem ejus, eſſe*, ſcribit, in cujus partes abiviſſe, Autori in crimen vertitur, quem decuerit *Bœrhaavii* ſententiam amplecti, quia recens illa eſt, & a pluribus recepta, dum ille Febrem *Velocitatem cordis auctam cum aucta illi reſiſtentia* appellat. Tandemque vitio ei vertitur, quod ex ſuo ingenio depromtam Febris definitionem dare auſus ſit, eamque, qualiscunque eſt, dixerit eſſe *contentionem naturæ cum principiis, corpus noſtrum facientibus, propter aliquam, quamcunque demum, ſpirituum in nobis corruptelam;* nec placet Cenſoribus Peſtis definitio, quod ſit *aeris defectus quoad ætherem, illi ingenitum, ejusque infarctus, corpuſculis naturæ inimicus.* Ut intelligeremus, quo jure, quave injuria, objecta hæc omnia Autori Diſſertationum a Cenſoribus Florentinis ſint, jam ante perlectos recenſitosque a nobis *Fabbri* libellos iterum perlegere juvit. Quantum ergo ad illud, quod Mercurio vis agendi in corpora denegata a *Fabbri* fuerit, nihil quidquam ejus invenimus, nec omnes ille Mercurio vires derogat, ſed illos ſaltem arguit *Præf. pag. 11*, qui febrem Mercurii ope curare audent, quandoquidem ejus cauſam in lentore humorum poſitam eſſe velint. Forte pauci erunt, qui aliter ſentiant. Deinde nil quidquam ex *Hippocrate* contra Mercurii uſum directe allatum ab Autore eſt, ſed, generali ſermone ad *Hippocratis* mentem moto,

quod,

quod, quæ a natura hominis aliena ſunt, eam juvare haud poſſint, illud ad Mercurium transfertur, nec proinde, quia ex Coo contra omne, quod degener eſt, & nihil ſimilitudinis cum elementis corporum habet, diſputatum fuit, ſapienter concluditur, eum, qui exempli cauſa Mercurium adducit, Mercurii cognitionem & uſum *Hippocrati* tribuere velle. Neque vero perſpici etiam poteſt, a *Fabbri* vim, *pondere ſpecifico agendi in corpora*, denegatam Mercurio eſſe, ſi recte eum percipimus, ita dicentem *Praf. pag. 18: Ipſi Mercurii fautores ſolo illo haud utuntur in morbo iſto admodum noto; non enim disjungunt eo ipſo tempore, dum id faciunt, ptiſanas & decocta lignorum, & hac occaſione ipſi non exiſtimant, omne pondus & agendi efficaciam in gravitate hujus foſſilis eſſe, cujus equidem gravitati ſoli attribuunt, ſed falſo, effectus illos miraculoſos, ſed illos tacent, qui tam frequenter intercurrunt, infelices & pernicioſos.* Eſt ergo ſententia hæc Autoris: Mercurius, niſi intercurrat decoctorum uſus, gravitate ſua ſpecifica nihil agit ſola; ſi gravitas Mercurii ſpecifica ſemel agit in Mercurio, poterit tam nocere illa, quam juvare. Eſtne hoc gravitatem ſpecificam, & vim, illa agendi, denegare Mercurio? Præterea novum eſt, ab Italis, quorum ſcripta antiqua eruditione turgent, quemquam carpi, qui flores ex antiquorum viridariis carpit. An facinus eſt, legiſſe *Platonem, Hippocratem*, & aliquam ſuper etymologia Febris Diſſertationem ſcripſiſſe? Nemo facile fuerit, qui Autorem ſerio vituperet, quod ex omnibus undique ſcriptoribus, ipſisque ſacris, collegerit ea, quæ Febris ſignificatum declarant plenius, &, quamvis videatur Febribus, dum, illas a *februando* purgandoque male vocatas eſſe, dicit, haud parum derogaſſe, quarum finis procul dubio nova eſt, ſi ſuperari cauſa morbi poteſt, ſanitas tamen, quam alienus ille ab hac ſententia ſit, docet *Diſſertationis primæ pag 24. Illud*, ait, *quod nunc cogitamus, poteſt ab illis, qui in illis antiquis temporibus vixerunt, ſimiliter cogitatum fuiſſe, quam nobis eſt. Exiſtimaverunt illi tunc, uti etiam nunc a multis perhibetur, febrem non eſſe noxiam in ſe ipſa, ſed tantum quoad ſymptomata, quæ ſuperveniunt,*

niunt, eamque comitantur. Quapropter, ſi tamen febri purgandi efficaciam *Fabbri* denegat, niſi de illis, quas ſymptomata acriora infeſtas homini reddunt, locutus eſſe haud potuit, cum adducta verba ejus mentem ſatis ſuperque declarent. In colligendis variorum eruditorum, tam antiquorum, quam recentiorum, quas de Febribus habent, definitionibus operoſus fuit Clariſſimus *Fabbri*, & hiſtorica fide ſingula tradidit, ſua ſuperaddita epicriſi, ita tamen, ut nulli, niſi illi, quæ *Bellini* eſt, de Febre, *uti motu humorum*, ſubſcriberet, quam ideo naturæ Febrium æquam eſſe putat, quod geometrica & ad rationes motuum ſit diſpoſita. Qua in re nec ſeverus quidam *Boerhaavii* ſectator diſſentiret; cum *vis illa vitæ, illa velocitas cordis aucta* Mechanicorum, *& illa reſiſtentia contra cor aucta*, nihil quidquam, niſi motus humorum auctus ac impeditus, poſſit eſſe aliud, niſi verba ſola aucupari quis velit. Ad ipſam, quam Clariſſimus *Fabbri* ſuggerit, Febris definitionem quod attinet, dum ille *in contentione mutua elementorum, corpus facientium, naturam febris ponit, unde ſit calor, æquilibrium auferatur, ipſumque corpus deſtruatur*, equidem arbitraria iſta eſt. Enimvero quid impedit, quo minus unusquisque rerum ideas ſibi ita, uti capit, ſiſtere poſſit, dummodo naturæ conveniant? Jam nihil quidquam cauſæ eſt, cur contentio, ſeu mutua contranitentium virium actio, idem ac velocior cordis contractio cum reſiſtentia aucta, eſſe haud poſſit. Res eadem manet, termini ſaltem diſcrepant. Veluti etiam, criminari eum velle, qui peſtis cauſam in aeris determinata aliqua corruptela ponit, idem eſſet, ac illum taxare, qui ſanitatis cauſam generalem, omnibusque communem, in aeris ſinceritate ſiſtit. Nobis, motas contra Clariſſimum *Fabbri* dubitationes legentibus, mirum viſum eſt, tam parvas lites a tantis ingeniis moveri potuiſſe. Sed noſtris vindiciis non indiget Autor, qui ſuam ipſe cauſam hac Diſſertatione, quæ *tertia* eſt, graviter perorat. Primo enim rationes, quibus ad ſcribendum compulſus ſit, exponit, ut & diſcipulis prodeſſet, ſuæque famæ contra malevolorum criminationes conſuleret; deinde ad objectiones contra ſententiam ſuam de *Mercurii uſu ſuſpe-*

cto

Eto in cura febrium, ex ipſius Cenſoris verbis probat, qui, cum diceret, Mercurium, eundem, qui ſumtus ab ægroto fuit, exire de corporibus, hoc ipſo largitus eſt, nihil huic foſſili ineſſe, quod aliquam cum elementis corporum ſimilitudinem habere poſſit, propterea etiam de hoc metallico valere ea, quæ *Hippocrates* protulit: *quæ fortiora ſunt, ab ipſa natura ſuperari haud poſſunt*. Nec fallitur Clariſſ. *Fabbri*, quando magnam illam, in qua nunc Mercurii uſus eſt, famam cœco illi impetui tribuit, quo plerique in ſententiam aliquam, a celebratiſſimo aliquo viro propoſitam, licet male illam intellectam, ferantur, docetque, ipſos illos, qui Mercurii uſum docuerunt, illi haud plurimum in omnibus fiſos eſſe. Non autem omnino abhorrere ab uſu Mercurii Clariſſimum *Fabbri*, *pag. 62* docet. *Mercurius*, ait, *aliquando in aliquo morbo juvat, aliquando in ſimili morbo non juvat, aliquando etiam maligne nocet*, ut propterea ratio nulla adſit, quare Cenſores illi medicamenti ſub certis conditionibus optimi contemtum imputare Autori poſſint, qui, ſe non oſorem hujus foſſilis, ſed cautum ſaltem ejus adminiſtratorem, eſſe, *pag. 67* ingenue ſignificat, ubi Cenſorem recte taxat, quod ille *Problemate octavo pag. 9*, *nihil intereſſe, qua ætate, quo climate, qua morbi conditione, Mercurius detur*, diſerte aſſerat. Neminem etiam inter providos Medicos diſſentientes habiturus eſt Clariſſ. *Fabbri*, quando illos caſtigat, qui, ex præoptata opinione, *Febrium omnium cauſam in lentore poſitam eſſe*, Mercurii uſum curæ Febrium inferunt. Mercurii uſus, quia metallicum illud fluidum plus quam decies ſanguine gravius eſt, viſcera vult robuſta, ſuccisque ſuis pervia. Hæc autem in plurimis Febribus anguſtia viarum laborant; proinde tanta eſt eorum contra Mercurium, ſpecifica gravitate ſuperiorem, reſiſtentia, ut illum violenter agere nunc oporteat, cum tranſeundi abeſt facilitas, veluti Mercurii in cellulas effuſi exempla *pag. 97, 98*, Autore *Mead* in *Tractatu de Venenis mineralibus*, afferuntur, ſimulque docetur *pag. 99*, etiamſi ſalubris eſt Mercurius, dum celeriter, ob bonitatem viſcerum, trajicitur per corpus, perque colatoria iterum egreditur, tamen ejus moram,

alicubi diutius actam, id ſecum afferre, ut in peſtiferum venenum abire poſſit. Præterquam autem, quod Clariſſimus *Fabbri* cauſam ſuam maſcule defendat, multa præterea addidit, & perquam utilia, & lectu jucundiſſima. Ad mentem *Swietenii* effectum Mercurii in vias ſalivales ita exponit: *cum in globulorum ſanguinis ſolutione uſus hydrargyri conſiſtat; propterea illud, quod, accepto Mercurio, in os confluit, ſaliva quidem proprie ſic dicta haud eſt, ſed ſerum quodvis corporis putridum.* Ob argumenti ſimilitudinem de ſalivæ animalium rabidorum noxis agit, &, quam parum Mercurialis unctio eos juverit, qui, his admorſi, deliraverunt, *pag. 134*, & ſequentibus, declarat. Quandoquidem enim omne venenum animale, adeoque & illud, quod morſu animalis rabidi in vulnus inditur, ſuam in acredine cauſtica naturam poſitam habet, uti ſecta ejusmodi rabidorum cadavera, quorum viſcera gangrænoſa viſa fuerunt, docuerunt; proinde a globoſitate minimorum etiam Mercurii globulorum, in rotunditate ſemper perſiſtentium, nihil quidquam eſſe, quod acre obtundat, vel corrigat, arbitratur. Licet enim varia hujus foſſilis producta ſint; omnia tamen vel rodunt, quare contra venena militare nequeant, vel, reſuſcitato in globulos Mercurio vivo, vaſis haud offenſis, iterum exeunt, obſtructa autem inflammatorum vaſcula, uti in phrenitide rabioſorum eſt, perterebrant læduntque, non ſolvunt, vel aperiunt. Cum etiam, de variorum medicamentorum uſu ſe acturum eſſe, in titulo Diſſertationis pollicitus ſit Clariſſ. Autor; in ipſo opere bene promiſſis ſtetit, habebuntque operæ ſuæ pretium lectores, ſi, præter Hetruſci ſermonis caſtitatem & nitorem, invenerint ſcientiæ copioſam ſupellectilem. Agitur ſcilicet de *Caſſiæ uſu in rabie canina, de effectibus acidi vegetabilis in fluida & ſolida corporis, de victu acutorum, de regimine frigido in variolis ad mentem* Sydenhamii, *quandoquidem etiam a* Freindio *&* Woodwardo *taxatus ille propterea fuit, haud inſtituendo.* Potiſſimum autem Autorum, tam antiquorum, quam recentium, de Mercurii uſu & noxis teſtimonia conquiruntur, ejusque agendi modus definitur, quod ſalubris, niſi cordis atque arteriarum vi ſupe-

riore

Digitized by Google

riore trajiciatur, eſſe haud poſſit. *Argentum vivum pag. 272, quacunque via immiſſum ſanguini vitali, cum ſit ſanguine ipſo decies & ter ponderoſius, agitur, vi cordis & arteriarum contractione, tanto majore impetu in compagem ſanguinis, ut eam penitus deſtruat, globulos rubros reſolvat, ſeroſas flavas ſphærulas imminuat, reliquasque etiam partes ejusdem in minutiſſimas frangat, & ita in laticem ſubtilem putridum, vaſis exeuntem, convertat.* Niſi hoc eſt, de Mercurii uſu apte dicere, quid hoc ſit aliud, ſane nemo videt.

DELLE VIZIOSE MANIERE DEL DIFENDERE le Cauſe nel Foro Trattato di GIUSEPPE AURELIO DI GENNARO, &c.

hoc eſt,

JOSEPHI AURELII DE JANUARIO Liber de Modis defendendi cauſas in foro vitioſis.

Neapoli, apud Felicem Carolum Moſcam, 1744, 4.
Alph. 1 plag. 16.

Laudavimus merito Cel. Autoris *Rempublicam Juriſconſultorum*, Neapoli A. 1731, 8, publicatam, in his quidem *Novis Actis Menſe Januario A. 1734 pag. 22 ſeq.* Poſtea ipſe id egit, ut nævos, quibus patroni cauſarum laborant, vel ſæpius laborare cupiunt, indicet fideliter, ſolideque oſtendat remedia, artibus male ſanis vel evitandis, vel tollendis, accommodata. Sacravit librum Pontifici Maximo, *Benedicto XIV*, qui dedicationem literis ad Autorem miſſis honorifice habuit ratam gratamque. Præmiſit tractationi *Joannes Antonius Sergius* Præfationem, *Januarius* vero ipſe Introductionem. Præfatio fatis Jurisprudentiæ, legum, & rei ſimul literariæ, recenſendis eſt addicta. In Introductione autem nævorum, qui cauſarum patronis paſſim jam inter oratores priſcos adhæſerunt, habetur ratio. Opus ipſum in *Capita decem* apparet diſtributum.

Primo diſſeritur de nudo ſtudio forenſi; *ſecundo* de de-
fectu artis cogitandi exponitur; *tertium* inſcriptum eſt
de affectatione; *quartum* de expoſitione cauſarum nimis
copioſa; *quintum* de audacia; *ſextum* de timiditate;
ſeptimum de inconſtantia; *octavum* de pertinacia; *no-
num* de fraude ac dolo; *decimum* de turpis lucri cupi-
ditate. Nudum ac genuinum candidumque legum opti-
marum ſtudium fontibus profluxit puris limpidisque, ac
Philoſophiæ profundæ fuit ſuperſtructum, e qua rationes
Pag. 21. legum, ac fluens inde interpretatio, emanarunt. Genuina
hæc ſtudii forenſis exercitatio, ſublapſo & exſtincto im-
perio Romano-Latino, exſtincta eſt. Romanorum impe-
rii apex & gloria fuit juſtitia, orbi terrarum ſpectata, &
apud nationes reliquas venerabilis. Studuerunt Romani
Græciam doctam legumque latricem ſuperare. Barbaries
tandem leges Romanas proculcavit. Interpretatio legum
conſiſtit in reſtrictione ejus, quod videtur nimium, & in
23. dilatandis eis, quæ videntur juſto anguſtiora. Excellue-
runt hac arte *Cujacius*, *Donellus*, *Hotomannus*. Erant
ei olim ſcholæ deſtinatæ, ac tandem mentes Profeſſorum
Academicorum, quorum innumerabiles ac intolerandæ
molis exſtant Commentarii, quibus ſæpe pauca evolvun-
tur, ad ſcopum & uſum collineantia. *Petrus Pellaper-*
26. *tica* in hunc cenſum referendus eſt. Et quid de eis
ſtatuendum eſt legum interpretibus, qui venuſtatem La-
tinam adulterinis deturparunt vocabulis? De eis juſte
jam conqueſti fuerunt *Hermolaus Barbarus* & *Joan-*
28. *nes Picus Mirandulanus.* Querelas querelis illis jun-
git Noſter de barbarie eorum, qui nunc vulgo per
Europæ regiones, ac ſpeciatim Italiam, philoſophantur.
De Enchiridiis, Eclogis, Compendiis, Commentariis,
Theſauris, Summis, Speculis, & Silvis legum, de Reſpon-
ſis ac Conſiliis, Deciſionibusque, jucunda lectu intexit, re-
40. ſpiciens tamen ad ætatem renatis literis priorem. Polyhi-
ſtorem *Paridem de Puteo*, *Matthæum de Afflictis* Theo-
logiæ ſatis peritum, *Barthol. Camerarium*, *Thom. Saler-
ni-*

nitanum, Scipionem Capecium, Marinum Frecciam, alioſque Juriſconſultos, ætati noſtræ propiores, breviter attingit. Elegantium Jureconſultorum in numero ponit *Cujacium, Jovianum, Hotomannum, Duarenum, Donellum, Hugonem Grotium.* Eadem eruditionis varietate affluunt & excellunt *Capita* ſingula. Dignus eſt liber, ſi quis alius, qui in Latinum transfundatur ſermonem, ut legi poſſit a compluribus eruditis. Pag. 42.

CONSEILS POUR FORMER UNE BIBLIOtheque, &c.

hoc eſt,

CONSILIA BIBLIOTHECÆ COLLIGENDÆ, SELEctæ potius, quam numeroſæ, ſuppeditata a Domino FORMEY. Editio altera, correcta & amplificata.

Berolini, apud Ambr. Haude & J. C. Spenerum, 1750, 8. Plag. 7½.

Præmittitur huic editioni celeberrimi *la Mothe le Vayer* ex *Operum* ejus *Tomo II* ed. 1564 fol. *pag. 454 - 458* Epiſtola, quæ rationem ſuppeditat, non niſi centum librorum Bibliothecam formandi. Incipit eandem *Seneca* vituperatio heluonum librariorum *de Tranq. an. I, 9*, cui quidem Gallus non aſſentitur, quo communius bonum, eo eſſe melius, exiſtimans, modum tamen ac mediocritatem commendans. Hinc incipiens a Lexicis, Bibliothecam, ut tunc erant tempora, proque locorum & ſacrorum conditione, ſelectam, ſed imperfectam, inſtruere laborat. Plenior eſt *Formeyana*, XII veluti loculos comprehendens. Primum occupant locum libri, ſanctiores literas, diſciplinam item & hiſtoriam ſacram, tractantes. Inter Gallicas divini Codicis interpretationes *Martinana* primas defert, obſervationibus illuſtratæ, inque folio *duobus Voluminibus* editæ. Addi tamen cupit, quas *le Cene* & *Oſterwaldus* dederunt, ut & Commentarios Anglorum, per partes editos, æque ac ſingulares, quos *Crinſoz de Bionens* exhibuit. Accedunt variæ Novi Teſt. editiones, obſervationes *Beauſobriana*, Commentarii *Cal-*

Digitized by Google

metiani, Dictionarium Biblicum Gallicum, Diſſertationes *Saurini*, *Roquii*, & *Beauſobrii*. Dogmata diſciplinæ ſanctioris illuſtrare debent *Reinbeckii* Commentationes in Auguſtanam Confeſſionem, Compendia *Stapferi*, *Wittenbachii*, *Oſterwaldi*, *Saurini*; religionis Chriſtianæ veritatem *Origenes* contra *Celſum*, *Minutius Felix*, *Abbadie*, *Houtteville*, *Burnetus*, *Turretinus*, *Vernetus*, *Sackius*, *Dittonus*; Hiſtoriam ſacram *Fleurius*, *Tillemontius*, *Dupinius*, *Caveus*, *Beauſobrius*; Conciliorum *Fra Paolo* & *Lenfant*; Reformationis *Beauſobre* & *Burnetus*; peregrina ſacra *La Crozius*, *Bower*, & alii. Secundum locum obtinet Philoſophia, ubi *Carteſius*, *Gaſſendus*, *Newtonus*, & *Wolfius*, regnant, quibus, poſt *Bruckerianam* Hiſtoriam, alii ſingularum Philoſophiæ partium libri ſubjunguntur. Sequuntur elegantiores literæ, ubi, præter Autores Latinos & Græcos, commendantur Memoriæ Academiæ Regiæ Inſcriptionum atque eleg. literarum, *Montfauconii* Antiquitates explicatæ, multis Voluminibus editæ, Dictionarium *Belianum*, excellentiſſimum opus, *Morerianum* malum neceſſarium, confuſum quippe chaos, ſed gemmis ſuis conſpicuum, *Bailleti* Judicia, *Goujeti* Bibliotheca Gallica, Curſus elegantiorum literarum per exercitia, Memoriæ *Niceroni*, *Pelliſſoni* & *Oliveti* Hiſtoria Acad. Gallicæ, ſcripta in *ana*, *Spanhemii* Cæſares per numos, *Jouberti Science des Medailles*, Epiſtolæ *Cuperi*, ſingularia plura & excellentia, rem numariam quæ ſpectant, complexæ; Mythologiam juvantia ſcripta *Banierii* & *Pluchi*, nec minus *Dictionnaire mythologique*, plures linguæ Gallicæ vocabulorum indices, obſervationes, grammatici libri, quos inter præcipue laudatur *Girardus*, qui fontes ipſos ac ſcaturigines linguæ perquiſiviſſe dicitur in opere excellenter ſolido, quod titulum habet: *Principes de la langue Françoiſe*, inque tractatione *de Synonymis*; adjunguntur verſiones Gallicæ, quibus *Ablancourtius* admodum ſuperaſſe dicitur anteceſſores ſuos; inprimis laudantur *Ilias* & *Odyſſea Homeri Daceriana*, tanquam perfectiſſima hujus eruditæ fœminæ verſio, *Demoſthenis Tourcilliana*, Epiſtolarum ad *Atticum* Abbatis *Mongaultii*, omnes *Oliveti*, *Diodori Siculi* Abbatis *Terraſſoni*, *Quintiliani* ac *Pauſaniæ Gedoyni*, & aliæ. Quartum locum occupant Ephemerides primariæ omnes, quarum veluti pater dicitur

citur *de Sallo*, in ſupremo Galliæ Senatu quondam Conſiliarius; quintum habent Hiſtorici Gallorum, quos ubique ſpectare videtur, primarii omnes, tam generales, quam ſingulares. Adduntur Romanenſia ſcripta, ubi tanquam heroica carmina libero exarata ſtilo conſiderantur *Aſtrèa Honorati d'Urfé*, *Polexander Gombervillii*, *Ariana Desmaretii*, *Caſſandra*, *Cleopatra*, *Pharamondus*, magnus *Cyrus*, *Ibrabim Baſſa*, & *Clelia*, quorum pleniorem notitiam nobis ſuppeditat *Gordoni de Percel Bibliotheque des Romans*. Eodem referuntùr libri, veras hiſtorias ſimulantes, fictas nihilo minus exhibentes. Dignius nobis videtur velut repoſitorium poeticum, ubi agmen ducit *Titon du Tillet*, cujus celebre, quod dicitur, monumentum oſtendit, quam differentes vix pateant in Parnaſſum, ad immortalitatem perducentes omnes, ibi qui emineant. Antiquos Gallorum Poetas noſſe cupientibus commendat Noſter *Recueil d'anciens & rares Poetes*, *IX Voluminibus* in 8 Pariſiis A. 1723 editum. Hic autem nominantur *Ronſardus*, *Malherbius*, *Desportes*, *Du Bartas*, *Theophilus*, *St. Amant*, & *Racanus*, quorum in operibus, ut adhuc inſignis imperfectio, ſic formati tamen jam quidquam, inveniatur. Ceteros autem tum ſuperaſſe putantur *Regnierius* & *Clemens Marotus*. *Bolæus* autem dicitur legislator atque inſtaurator Poeſis, qui ſuperet omnes, & cujus verſus, ſi multum operæ exhibuerint Autori, valeant etiam plurimum, ac longe poſt ſe relinquant felicem aliorum facilitatem. Proximus ipſi adjungitur *Rouſſeau*, quicquid fremat invidia, nunquam non immortali honore digniſſimus, quippe cui nemo, ad genera Poeſis diverſa reſpectu habito, lyricum nominatim, paria præſtiterit. Tertius accedit *Voltairius*, epici poematis gloriam Galliæ vindicans, ante ipſum conatu vano tentati, ut reliquas ejus laudes, quippe adhuc vivo conſecratas, ſileamus. Nos ad alios regredimur. De *Fontenellio* dicitur, quod ſuaviſſimum habeant Muſæ, cum eo conjunxiſſe, quod ſublimiſſimum ſcientiæ, id quod ex ipſius Eclogis atque aliis Carminibus, honoris ipſius ædificium condentibus, pateat. *De la Motte*, ſi non gratiis poeticis delectat, trahit certe robore, ſoliditate judiciorum, morumque doctrina, quibus potiſſimum ipſius Odæ æſtimabiles fiunt. *Des Houlieres* egregia femina miſcuit, utile dulci: quippe cujus Carmina omnes

Pag. 45. 46. 47. 48.

omnes harmoniæ gratias, omnes rationis virtutes, complectan-
Pag. 49. tur. Illuſtriſſima Comes *de la Suze* & *Peliſſonus*, quos librarii
conjunxerunt, eundem fere præ ſe ferunt characterem, hilarem
illum ac delicatum. Aliam ſocietatem æqualem conſtituunt
Poetæ illi, naturæ politæque aulæ ornamenta, *de la Fare*, & Ab-
50. bas *de Chaulieu*. *Grécourt* vere attraheret, ni tam crebro omni-
no Cynicis locis læderet pudorem. In theatro vel hodie præ
51. ceteris omnibus eminent *Corneille* & *Racine* Tragici, Comicus
52. *Moliere*, idque generali omnium conſenſu. *La Fontaine* inter
Poetas eſt ſui temporis maxime illuſtres, cujus fabulæ nunquam
invenient æquales. *La Motte*, qui funeſta hic fata reperit, ac *Ri-*
cherius, licet minus ab exemplari ſuo remotus, non ipſi dubiam
53. facient prærogativam. *Segrais* & *Brebeuf* gloriam ſibi acquiſi-
verunt, ille *Virgilium* interpretando, hic *Lucanum*. Bibliotheca
poetica, Carminum Gallicorum collectio, nominatur perquam
bene ſelecta & editione pulcherrima. Denique felices prædicat
Autor, qui legere queant, & cupidius luſtrare ſoleant, *Rapinum*,
Commirium, & *Vannierium*. Nos autem, hoc ſpecimine conten-
54. ti, loculos reliquos vel uno luſtrabimus obtutu. Sequitur elo-
quentia, ubi palmam refert *Maſſillonus*, cujus Opera XIV Volu-
minibus in octava forma prodierunt, quodque Noſter perfectiſ-
55. ſimum novit, continent. Nonum occupat locum doctrina mo-
56. rum, ubi *Bruyerii* Characteres Theophraſtici præ ceteris omni-
63. bus prærogativam occupant. Excipit eam ſcientia militaris &
mathematica, ubi plurimis ejusmodi ſcriptis celebri Præfecto
Humberto Noſter ſe non parum debere gratiſſimus fatetur.
Penultimum locum Geographia cum Itinerariis, ut poſtremum
Jurisprudentia & ars medica, ceperunt. ὕστερον πρότερον facturi,
duo ſaltem Præfationis momenta ſubjungemus. Alterum eſt, quo
Ciceronis philoſophica ſcripta, cum *Senecæ* libris & *Epicteto*, do-
ctrinæ morum amicis ita commendantur, ut eadem tanquam
ſemet ipſos adament, cum abunde diligere nequeant; alterum,
quo ratio redditur, cur nulli librorum claſſi *Plinius* major ad-
ditus inveniatur, quoniam omnes transſcendat, ac valeat ubique,
maximi ſemper pretii Hiſtoria ejus naturalis, quippe qua ſola
poſſeſſa, poſſideamus aliquatenus totam Bibliothecam.

✲ ✲ ✲

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris Anno MDCCL.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΙΟΥΣΤΙΝΟΥ φιλοσόφου καὶ Μάρτυρος τὰ εὑρισκόμενα ἅπαντα.

hoc eſt,

S. P. N. JUSTINI, PHILOSOPHI ET MARtyris, Opera, quæ exſtant, omnia. Nec non TATIANI adverſus Græcos Oratio; ATHENAGORÆ, Philoſophi Athenienſis, Legatio pro Chriſtianis; S. THEOPHILI Antiocheni tres ad Autolycum Libri; HERMIÆ, Philoſophi, Irriſio gentilium Philoſophorum. Item in Appendice ſuppoſita Juſtino Opera, cum Actis illius Martyrii, & Excerptis operum deperditorum ejusdem Juſtini, & Tatiani, & Theophili. Cum MStis Codicibus collata, ac novis interpretationibus, Notis, Admonitionibus, & Præfatione, illuſtrata, cum Indicibus copioſis, opera & ſtudio unius ex Monachis Congregationis S Mauri.

Hagæ Comitum, apud Petr. de Hondt, 1742, fol. Alph. 3 plag. 18, ſine Præf.

Egregia S. *Benedicti* inſtitutio cum per ſe ipſa magnam adepta eſt famam, tum hanc maxime S. *Maurus* in Gallia propagavit & amplificavit. Nemo eſt, quin putet hodie, benevolentiam Romanorum Pontificum, quorum gloriæ ac majeſtati totus hic Ordo unice ſervit, plurimum ad decus & amplitudi-

tudinem ejus cortuliſſe. Noſtra vero ætate Benedictini Monachi, qui in Congregationem S. *Mauri* adſcripti ſunt, alienis vix indigent ornamentis, cum propriis haud careant, quæ ſua ſibi comparaverunt virtute. Quo in numero inprimis eximia habenda eſt opera, quam in ſcriptis meritiſſimorum civitatis Chriſtianæ Præſulum, qui Patres nominantur, expoliendis, & ornate in lucem edendis, inde ab aliquot annis, magno applauſu, navarunt. Novum hujus, quam pro dignitate laudare nemo ſatis commode poteſt, diligentiæ hic teſtem citavimus *Juſtinum*, qui ob mortem, quam Chriſti cauſa oppetiit, *Martyr*, tum vero etiam *Philoſophus*, dicitur, quia, antequam nomen Servatori daret, omnes fere Philoſophorum familias deguſtaverat, virum pium, nec, ut arbitramur, indoctum, at incautum interdum, ut tum erant tempora, diſputatorem. Hic inter celebriores Seculi ſecundi doctores famam ſcriptis ad poſteros, ſi quis alius, protulit, quæ, quotquot inveniuntur, omnia Pariſiis cum cura ornavit Monachus ex eo, quem honoris cauſa nominavimus, Ordine, cujus nomen nos fugit. At vero mirum erudito videbitur lectori, quod in indice legat, *Haga Comitum* hæc nova *Juſtini* Opera formis deſcripta eſſe. Digna igitur hæc nobis res viſa eſt, in qua exploranda multi eſſemus. Nec fruſtra laboravimus, ſed hunc navatæ operæ abſtulimus fructum, ut certiſſimi ſimus, *Pariſiis* in lucem exiiſſe librum. Namque ad manum, ulla ſine acceſſione ac mutatione, eundem ipſum habemus *Juſtinum*, in cujus indice hæc leguntur verba: *Pariſiis, ſumtibus Caroli Oſmont*, 1742. Index etiam utrinque eſt unus & idem, & nihil hic offertur diſcriminis, niſi hoc, quod mercator librarius Hagenſis nomen ſuum & ſignum, abjecto utroque Pariſienſi, præmiſit. Conjectura nos ducit, eum, qui ſumtus in Gallia præbuit, maximam exemplorum partem Hagenſi vendidiſſe mercatori, qui, commodis ſuis ſerviturus, proprio ipſa indice inſigniri maluit. Hoc quidem ejusmodi eſt, ut nobis vix probari queat, qui omnes res, uti re ipſa ſunt, metiri ac penſare debemus. Viri enim doctiſſimi, qui editiones reverendorum Patrum amant Pariſienſes, a Benedictinis Mona-

chis

chis adornatas, harum quoque ſimilitudinem, nec immerito, deſiderant. Verum hi ſatis habere poterunt, ea, quæ in medium attulimus, non ignorare,

Sequitur, ut ad rem noſtram propoſitam accedamus, &, quid præcipuum hæc nova habeat editio, interpretemur, de quo quidem ipſe rationem ignotus Autor in præmiſſa ſatis longa reddidit Præfatione. Eſt enim hæc in *tres Partes* diviſa, in quarum *prima* de variis operum illorum editionibus, tum vero etiam de hac nova præſertim, exponitur, Nos autem non niſi lectiſſima delibabimus, officio noſtro ſatisfacturi. Opera *Juſtini* Græca primus edidit *Rob. Stephanus* Lutetiæ, regiis typis exſcripta, tum vero tres clariſſimi viri, *Perionius*, *Gelenius*, & *Langus*, Latine verterunt, quæ luci publicæ identidem expoſita ſunt, Eadem Græce & Latine *Frider. Sylburgius* Heidelbergæ A. 1693 exire juſſit, quæ & Pariſiis ſemel atque iterum orbi literato tradita ſunt. Sed his, præter *Sylburgii*, *Perionii*, *Billii*, & *Lanſelii*, notas, reliqui etiam *Apologiarum* ſcriptores, *Athenagoras*, *Theophilus*, *Tatianus*, &, qui cum his conjungi ſolet, *Hermias*, acceſſerunt. Editio Colonienſis, vel, ſi mavis, Vitebergenſis, A. 1686 in lucem emiſſa, non ſolum illa, quæ recitavimus, in ſe continet ſcripta, verum Commentarios etiam *Chriſtiani Kortholti* in *Baronium*, *Athenagoram*, *Theophilum*, ac *Tatianum*. At vero quædam S. *Juſtini* opuſcula ſeparatim quoque ſæpenumero prodierunt. Sic Londini A. 1722 *Styanus Thirlbius* Dialogum ejus cum *Tryphone* Judæo, binasque Apologias, quibus magnum merito pretium ſtatuitur, Græce & Latine curavit, eaque re egregie de ſacra meritus eſt civitate. Simili fortuna *Tatiani* Orationes uſæ ſunt, quas omnium nitidiſſime *Wilhelmus Worthus*, Archidiaconus Wigornienſis, A. 1700, 8, cum erudito communicavit orbe. Nec defuerunt, qui *Athenagoræ* librum de reſurrectione, & Apologiam, vel ſingulatim, vel utramque Commentationem uno volumine comprehenſam, publicæ conſecrarunt utilitati. Præſtantiſſima eſt utriusque operis editio, quæ Oxoniæ A. 1706, 8, prodiit, & *Eduardo Dechais* debetur, Optima *Theophili* editio illa eſt haud dubie,

bie, quam *Wolfius*, Theologus Hamburgenſis, cœli civibus hodie adſcriptus, A. 1724, in forma, quam vocant, octava, prelo ſubjectam emiſit. *Hermias* denique ſolus Oxoniæ A. 1700, 8, in lucem eleganter editus eſt, cum *Th. Galei* Codice collatus, additis ejusdem, & *Wilh. Worthi*, notis. Hi omnes, quos enarravimus, libri, immo etiam plures, ipſique ii, qui hiſce Autoribus falſo attribuuntur, in hac nova reperiuntur editione, quam Benedictinus aliquis ex Gallis paravit. Præmiſſa nimirum copioſa Præfatione, una cum *Capitum* ejus indice, ipſi ſequuntur libri, hoc quidem ordine: S. *Juſtini* ad Græcos oratio, Cohortatio ad Græcos, liber de Monarchia, Apologia prima & ſecunda, Dialogus cum *Tryphone*, Epiſtola ad *Diognetum*, *Tatiani* Oratio adverſus Græcos, *Athenagoræ* legatio pro Chriſtianis, ejusdem de reſurrectione liber, S. *Theophili* Libri tres ad *Autolycum*, *Hermiæ* gentilium Philoſophorum irriſio. Additur Appendix, cujus duæ nobis partes exhibentur. Prior complectitur opera ſpuria S. *Juſtini*, ut Epiſtolam ad *Zenam* & *Serenum*, Expoſitionem rectæ confeſſionis, Quæſtiones & Reſponſiones ad orthodoxos, Quæſtiones Chriſtianas ad Græcos, Quæſtiones Græcorum ad Chriſtianos, & quorundam *Ariſtotelis* dogmatum confutationem. Altera continet Martyrium S. *Juſtini* & ſociorum, Fragmenta operum deperditorum S. *Juſtini*, eademque ex libris deperditis *Tatiani*, & *Theophili* Antiocheni.

Multas magnasque in his veterum monumentis difficultates offerri, eorum, qui in iisdem legendis haud ſegniter verſati ſunt, præterit neminem. Librarii, homines parum curioſi, alia omiſerunt, alia mutarunt, alia denique in alienum transtulerunt locum. S. *Juſtinus* nec dictione utitur concinna, nec verborum delectu: imo etiam in egregio, quem compoſuit, Dialogo, ubi cauſæ Dei tuendæ ſtudio fervet, interdum conſtructionem conturbat, ut nec ornatui ſerviat, nec perſpicuitati. *Tatiani* lepores elegantesque picturæ, multis de cauſis, multum nobis hodie faceſſunt negotii. Ut alia taciti prætereamus, quæ ſcriptoribus antiquis, & ab ætate noſtra remotis, propria eſſe ſolent, impedimenta, quibus nos, qui

cos

eos hoc tempore legimus, non facile expedimus. Autor meliora, quæ ars critica præbet, ſubſidia in auxilium vocavit, in quibus MSti Codices, quos ad manum habuit, primum merentur locum. Uſui ejus inſervierunt duo recentes, quibus omnia, quæ nominavimus, *Juſtini* opera continentur, alter e Regia Bibliotheca, alter ex Claromontana. Ad Cohortationem perantiquos itidem regios adhibuit Codices, itemque *Colbertinum*, hodie itidem Bibliothecæ Pariſienſi regiæ inſertum. Ad Epiſtolam ad *Zenam* & *Serenum* bini etiam regii, & duo Claromontani, qui vero ejusmodi ſunt, ut perfectam inter ſe ſimilitudinem habeant, profuerunt. Iidem Claromontani, duoque regii & *Coisliniani*, quorum primus decimi Seculi eſſe creditur, ad Expoſitionem fidei emendatius proferendam, plurimum attulerunt adjumenti. Regius adeſt, cum quo Confutatio dogmatum *Ariſtotelis* conferri & contendi potuit. *Athenagoræ* Legatio cum binis itidem regiis, tribusque Romanis, comparata fuit, quorum duo ex *Ottoboniana*, tertius vero ex Vaticana, ſumtus eſt Bibliotheca. His acceſſit Claromontanus, & alius ex Bibliotheca Inſtitutionis Oratorii Pariſienſis. Ejusdem ſcriptoris de Reſurrectione liber cum iisdem regiis collatus eſt Codicibus, ac binis Claromontanis, quorum acceſſionem multum variæ illæ adauxerunt lectiones, quas literatiſſimus *Bigotius* e MSto Codice olim collegerat, quæque in Bibliotheca Sangermanenſi hodie ſervantur. *Liber tertius Theophili* cum regio quodam comparatus eſt, *Hermias* cum duobus Romanis, altero Vaticano, & altero *Ottoboniano*. Eruditus Monachus noſter varias Romanorum Codicum lectiones duobus doctiſſimis rerum Societatis ſuæ in curia Romana procuratoribus, D. *Etiennoto*, & D. *Petro Maloeto*, debet, quorum primus Apologiam *Athenagoræ* cum binis *Ottobonianis* ipſe contulit. Quod ad *Juſtini* teſtimonia attinet, quæ ab *Euſebio* referuntur, ad ea quidem varias adhibuit lectiones, ex Codicibus MStis excerptas, quas ſecum unus ex eadem Benedictina familia communicavit, is nimirum, qui *Euſebii* Hiſtoriam nunc perpolire molitur, prelo committendam. Sed eruditus Monachus noſter hos manu

 exa-

exaratos Codices in uſus ſuos prudenter convertit, mutavit, ſenſu flagitante, interpunctionem, parentheſin, ubi opus fuit, appoſuit, locos paulo difficiliores cum cura conſideravit, &, quo eos facilius explicaret, alias aut ejusdem, aut diverſi, ſcriptoris ſententias in conſilium adhibuit. Obſervationes, quibus hæc illuſtravit opera, inſignem lectoribus rerum peritis utilitatem ſpondent. In iis, quæ ab aliis petiit, delectum habuit, verboſius ab iis dicta in pauca contulit, &, quæ minime probare potuit, ea delevit, illuſtri uſus brevitate. Veteres probatiores operum interpretes eo voluit loco eſſe, quo diu fuerunt. Novas non molitus eſt verſiones, niſi eorum librorum, qui eas deſiderarunt, ut ſunt ſequentes: utraque S. *Juſtini* Apologia, liber ejus de Monarchia & Dialogus, nec non *Athenagoræ* liber de reſurrectione, ac *tres Libri*, quorum *Theophilus* Autor eſſe dicitur. In Oratione vero *Juſtini* ad Græcos, Epiſtola ad *Diognetum*, & *Hermiæ* opuſculo, ſatis habuit, receptam interpretationem pluribus locis corrigere atque emendare. Verum is fidi interpretis functus eſt officio, nihilque ſibi ſumſit, quod in eum minime cadat. Autores ſuperiorum editionum ordinem operum unice ex arbitrio duxerunt. Is vero, qui denuo illa edidit, temporis notas ante oculos poſitas habuit; neque tamen is Apologias S. *Juſtini* ſecrevit & ſegregavit. Epiſtola, ad *Zenam* & *Serenum* ſcripta, falſo tribuitur *Juſtino*, ſed tempus, quo literis mandata fuit, definiri nequit, quanquam nonnulla pietatis præcepta tradat. In Expoſitione rectæ confeſſionis hæreſis ſpirat *Neſtoriana*, & Quæſtionibus ac Reſponſionibus ad orthodoxos Pelagianæ maculæ inuſtæ ſunt. Ut vel ex his indiciis perſpicuum ſit, hæc bina opera a S. Martyre haud eſſe profecta. Acta Martyrii Græce ac Latine poſt *Papebrochium* hic edidit ignotus Benedictinæ familiæ Sodalis.

In Præfationis *altera Parte*, quæ *tredecim Capita* complectitur, nonnulla horum & aliorum Patrum expenduntur ſcita, quæ paucis adhuc probata ſunt. Hæc etenim viris eruditis ejusmodi eſſe viſa ſunt, quæ excuſari minime queant. Novus autem Operum, quæ nos ad ſe vocarunt, Editor advocatio-

Digitized by Google

tionem illis præſtare conatus eſt; qua quidem in re ingenium mirifice ipſum juvit. Alii vero, qui acutius videbunt, dicent fortaſſis, non multum artis requiri, ſenſus concinnos minus concinnis obtrudere verbis. Diſtinguent veras veteris cujusdam Autoris ſententias a falſis, quæ ipſi affinguntur, quo mala ejus cauſa juvetur. Monebunt, prudentis explanatoris eſſe, ut non, quid ipſe ſentiat, in antiquos ſcriptores inferat, ſed ut, ſuarum opinionum tanquam oblitus, quid veteres ſenſerint, ulla ſine verborum contorſione, declaret, etiamſi nonnullæ iſtæ ſententiæ veritati haud conſentaneæ reperiantur. Verum aliter viſum eſt Monacho Benedictino, utpote qui, quæ de λόγῳ, quæ de materiæ perennitate, quæ de ſiderum & angelorum cultu, quæ de ſtatu, in quo creatus fuit *Adamus*, quæ de peccato originali, quæ denique de ſalute quorundam ex Deorum cultoribus Philoſophorum, & eorum, qui legem *Moſis* cum fide in Chriſtum colligarunt, a *Juſtino*, ab *Athenagora*, a *Theophilo*, & *Tatiano*, parum accurate diſputantur, ea omnia emollit, talesque eis ſententias ineſſe ſpondet, quales hi doctores fortaſſis ipſi, ſi reviviſcerent, easque legerent, ſuas agnoſcere dubitaturi eſſent. Negat contra, quæ, ipſi ſine mora faſſuri eſſent, ſe credere. Hoc enimvero eſt, violentis interpretationibus antiquos Autores in ſuas partes obtorto tanquam collo rapere, atque, ut noſtri fiant, eos, quod miſerandum ſit, excarnificare. Inprimis eruditus ex Benedictina natione Monachus adverſus eos *Cap. I* diſputat acerrime, qui, S. *Juſtinum Platoniſmum* in civitatem Chriſtianam Pag. 10.
intuliſſe, arbitrantur: atque in his *Jo. Clericum*, & Celeb. *Moshemium*, nominatim profert. Hic, ait, fundamenta jecit omnium nugarum, quas in Diſſertatione de turbata per *Platonicos* Eccleſia devolvit. Iis, qui hac in opinione verſantur, reſpondet, *Platonis* notiones a Chriſtianis infinito intervallo disjunctas fuiſſe. Sic, verbi cauſa, ὁ λόγος *Platonis* longe alius fuit, atque is eſt, quem Chriſti amici profitentur. Quid? 12.
quod filius Dei, de quo *Plato*, & aſſeclæ ejus, loquuntur, is 15.
Dei filius haud eſt, quem noſtra ſuſpicit ac reveretur religio.
Trias etiam *Platonica* non eſt ea Trinitas, cui ſanctiſſima 16.
noſtra

noſtra favet diſciplina. Ex quo concludit, eos erroris opinione aliquid fingere, qui, Patres ex *Platonis* ſchola doctrinas ſuas hauſiſſe, ſciſcant. At vero ſequitur is, atque fugientibus, ut mitius dicamus, oculis inſpexit eos, contra quos arma ſumſit. Vocabulo enim *Platoniſmus* ambigua ſubjecta eſt poteſtas, quam, cum res ita poſcat, enodabimus. Aut ipſa *Platonis* Philoſophia, prout & *Plato*, & veteres ejus ſectatores, eam intellexerunt, aut eadem, nova quadam arte diſtorta, ut Chriſtiano dogmati ſimilis, primo ſaltem adſpectu, eſſe videatur, hoc ſignificatur nomine. Priori ſenſu nemo dixit intelligentiorum, Philoſophiam *Platonis*, in ſe quidem ſpectatam, cum doctrina Chriſti convenire, aut Patres hoc ſibi re ipſa perſuaſiſſe. Omnes autem, quotquot veritatis cauſam, abjecto partium ſtudio, agunt, in eo conſentiunt, quod adoleſcentiores *Platonici* plurima, quæ *Plato* quondam præcepit, Chriſtiano more adornaverint, intempeſtive gentibus placendi cupiditate impulſi. Tot exſtant ejus rei teſtimonia, ut eam in dubium vocare minime audeant, qui cultiori omnia judicio ponderare valent. Exorta hæc eſt nova Philoſophorum familia ſub exitum Seculi poſt natum Servatorem ſecundi in Ægypto, & in ea Alexandriæ, quæ dudum literarum & omnis ſapientiæ ſedes ac domicilium fuit, autore *Ammonio Sacca*, quem *Clemens Alexandrinus*, vel, ſi mavis, *Pantænus*, erudivit. Manifeſta jam in ſcriptis Seculi ſecundi doctorum, *Juſtini M. Athenagoræ*, *Tatiani*, *Pantæni*, *Clementis*, quem Alexandrinum vocant, & aliorum, hujus Philoſophiæ, quoquo nos vertimus, perſpicimus veſtigia. Sectatores ejus *Platonici* nominari volebant, quia, ut ex omnibus Philoſophorum ſectis optima quæque deligerent, *Platonem* tamen inprimis magiſtrum ſequebantur. Hos igitur *recentiores Platonicos* qui novit, is facile dabit, illos, quorum nomina recitavimus, doctores eorum numero jure meritoque haberi. S.
Pag. 17 *Juſtinus* non dubitavit præ ſe ferre, Chriſtianæ doctrinæ aliquam imitationem apud *Platonem* reperiri. Qui nimirum Philoſophiæ *Platonis*, ac religionis Chriſtianæ, concordiam olim moliebantur, hac pia utebantur fraude, ut, *Moſis* fun-

fontibus *Platonem* hortulos ſuos irrigaſſe, credulæ perſuaderent multitudini. Sit igitur ὁ λόγος *Platonis*, quemcunque eſſe tu cupis; at S. *Juſtinus* eum illum eſſe voluit λόγον, quem divini ſcriptores humano generi nuntiarunt. Atque hanc in rem reliqui Patres, *Clemens Alexandrinus*, *Origenes*, *Euſebius Cæſarienſis*, & *Cyrillus Alexandrinus*, S. *Juſtinum*, ſecunda veritate, teſtem citare poſſunt. Hinc &, Philoſophos olim, *Socratem*, *Heraclitum*, & alios quosdam, τῦ λόγυ beneficio ſalutem impetraviſſe, cenſuit. *Amphiboliis* nititur haud dubie opinio hæc, quam nimium Philoſophiæ ſuæ, & gentibus placendi, ſtudium pepererunt. Luſit *Juſtinus* voce λόγος, & de Chriſto interdum ita locutus eſt, ut hoc nomine nihil aliud, quam ipſam *rationem*, intelligere videatur. Hunc enim eum dicit eſſe λόγον, ὃν πᾶν γένος ἀνθρώπων μέτεσχε. *Apol. I*, *p.* 71. Alio Chriſtum loco ἔμφυτον παντὶ γένει ἀνθρώπων σπέρμα vocat, &, profanas gentes, ſcribit, κατὰ σπερματικῦ λόγυ μέρος, vitæ ſuæ rationem compoſuiſſe; eos autem, qui Chriſto nomen dederunt, κατὰ τὴν τῦ παντὸς λόγυ, ὅ ἐστι Χριστῦ, γνῶσιν καὶ θεωρίαν, *Apol. II pag.* 94. Nemo eſt, quin perſpiciat, errori hic faviſſe *Juſtinum*, ac docuiſſe, per lumen rationis plurimn cultores numinum, horumque inprimis ſapientes, ſalutem adeptos eſſe. Idem alii falſi ſunt priſcæ Eccleſiæ doctores, *Origenes*, *Clemens*, qui *Alexandrinus* dicitur, *Tertullianus*. Legat, qui hoc in dubium vocare audet, *Richardum Montacutium*, *Apparatu I ad Orig. Eccleſ. pag.* 20 *ſeq.* Error hic eſt, quo haud eſt capitalior alter, quique nullam accipit excuſationem. Eſt vero hæc propria *Juſtini*, & aliorum, ſententia, non autem publica totius Eccleſiæ recte docentis confeſſio. Sed hoc mirum nemini videri debet, quod hanc *Platoniſmi* maculam iſtis doctoribus eripere novus ejus defenſor ſtudeat, Monachus Benedictinus. Eccleſia etenim Romana, pro cujus aris ac focis hic militat, eundem hodieque profitetur errorem. Quare indignum haud eſt hujus Eccleſiæ cive, in omnes ſe vertere partes, quo iſta excuſet; præſertim cum, Patribus ſuppetias ferendo, ſuæ ipſius cauſæ ſerviat. Mavult de-

Pag. 32.

defenſor iſte veritatem violare, quam, a vero aliena Patres protuliſſe, præ ſe ferre. Rectius ſentiunt, qui ſic ſtatuunt, *Juſtinum*, & alios, bona mente, nimio Philoſophiæ, cui dediti erant, ſtudio, interdum erraſſe; neve committunt, ut iſti errores ſacræ Scripturæ, aut Chriſtianæ religioni, tribuantur. His vero errantibus multi etiam alii veteris Eccleſiæ antiſtites, qui ſibi ab illis erroribus caverunt, ac veriora profeſſi ſunt, opponi queunt. Atque hac ratione nec nimis excelſe, nec exiliter nimis, de Patribus, qui juniores *Platonici* fuerunt, ſentimus, & veram nativamque pulchritudinem diſciplinæ Chriſti, quæ in ſanctiores literas relata eſt, relinquimus. Sed nolunt nobiſcum hac in re concinere viri docti, qui Romani Pontificis caſtra ſequuntur. Satius illi ducunt, *Juſtinum*, & reliquos Patres, ab omni *Platoniſmi* ſuſpicione liberare, quoniam ipſis in hoc campo feritur ac metitur. Is, quo ſignifero ac duce utuntur, *Franciſcus Baltus* eſt, Jeſuita nec indoctus, nec rerum veterum expers, in volumine, magna & orationis & eruditionis copia referto, quod inſignitur indice: *Défenſe des SS. Peres accuſez de Platoniſme*, Pariſ. 1711, 4. Ubi ille pro iis, qui hæc nobis ſcribendi cauſam dederunt, verba fecit *Lib. I pag. 21 ſeq. Lib. III pag. 456.* Verum commoda hic nobis offertur occaſio, de ipſo hoc libro noſtram ferendi ſententiam. Doctiſſimus Ordinis *Ignatiani* ſodalis non pugnat nobiſcum, etſi pugnare videatur. Negat enim, Patres uni Philoſophorum nationi deditos fuiſſe. Diſputat, eos ex omnibus eorum familiis meliora ſelegiſſe; vid. *Lib. I pag. 18 ſeq.* Utrumque nos etiam ultro libenterque damus. Quod vero inde cogit, Patres idcirco *Platonicos* citari minime poſſe, in eo quidem noſtram ab eo ſejungimus opinionem. Hæc etenim bina optime cohærent, non unius in ſectæ verba jurare, & *Platonicum* eſſe. Erant re vera, qui *Platoni* ſtudebant, *Eclectici*, quin ex omni ſchola, quæ inprimis placebant, deligebant. Erant vero iidem etiam *Platonici*, & jure dicebantur, quia *Platonem* præ ceteris, quem ſequerentur, adoptaverant. *P. D. Huetius* ſibi flagitat dari, *Origenem* potius *Potamonicum*, quam *Platonicum*, nominari debere, *Origenian.*

Lib.

Digitized by Google

Lib. II Cap. I pag. 27. Nos vere dicere poſſumus, hanc ſententiam ejusmodi eſſe, ut ad eam accedere, re bene putata, nobis liceat. *Potamon* aliqnis, *Auguſti*, Imperatoris, ætate, hanc novam philoſophandi rationem Alexandriæ inibat, quæ meliora ex omnibus factionibus ſeligebat, at ceteris *Platonem* ſapientibus anteferendum arbitrabatur. A qua re inſtituta Philoſophi, qui ab eo erant, & *Eclectici* & *Platonici* jure dicebantur. Is igitur Patrum *Platoniſmum* non abſterſit ac delevit, qui, eos *Platonicos* vocari debere, negat. Erunt & manebunt Patres *Platonici*, ſive *Eclectici*, ſive *Potamonici*, nominentur. Omnis res tandem ad verbi pugnam revocatur, & in eam evadit. Nec ſciunt accurate, in quo *Platoniſmus* Patrum conſtiterit, qui, hos ab eo alienos fuiſſe, diſputant. Itaque nos eum omni, qua fas eſt, accuratione interpretabimur. *Platonis* amici inter eos, qui civitati Chriſtianæ olim præfuerunt, tantum abeſt, ut omnem Philoſophiam hujus approbarint magiſtri, ut potius multa ejus capita, cœleſti diſciplinæ adverſa, rejecerint & oppugnarint. Iidem ab aliis quoque ſcholis plurima petierunt. At *Platonem* in divina ſapientia, & morum doctrina, inprimis ſectabantur, atque hæc illius ſcita Chriſtianis præceptis conciliare, quo gentes a Chriſto averſas ei redderent amiciores, moliebantur. Rerum veterum, in civitate Chriſti geſtarum, ignarus ſit, oportet, qui de his dubitat. Multis verbis nihil egit ipſe Monachus Benedictinus in notis ſuis, quas antiquæ hiſtoriæ objecit. Surripuit S. *Juſtinus* e *Platone* λόγον, eique ſenſum Chriſtianum attribuit. Nonne ergo, his poſitis principiis, ὁ λόγος *Platonicus*, Chriſtiano more ornatus, e *Platonis* ſchola, duce *Juſtino*, qui Seculo ſecundo, hoc eſt, non diu poſt exordium novæ Philoſophiæ, vixit, in Eccleſiam manavit? Sit præterea toto cœlo diverſa *Platonica* & Chriſtiana Trinitas, ſint tria *Platonicorum* principia, tresque Chriſtianorum in Deo uno perſonæ, eo, quo nihil majus fingi poteſt, diſcrimine disjuncta. Nemo enim, niſi ſtilum *Platonicum* ignoret, iſtam maximam in dubium vocat diſtinctionem; quandoquidem tres animi ſui notiones cum ipſe *Plato*, tum amici ejus recentiores, trium principiorum

 nomi-

nomine deſignaſſe videntur. Sint hæc omnia certa; quid vero inde? Anne hinc efficere poteris, *Juſtinum*, & alios, Triada *Platonicam* Chriſtiano more minime effinxiſſe? Nemo noſtrum, qui rerum veterum peritus eſt, usquam dixit, *Juſtinum*, & antiquiores Chriſtianos, dogma ſuum de Trinitate *Platoni* debere. Hæc loquendi ratio, doctrinam aliquam e ſchola *Platonis* haurire, non caret ambiguitate. Aut enim idem denotat, ac dogma *Platonis* quoddam a vero alienum in Chriſtianam inducere civitatem, aut illud proprio ſenſu orbare, & Chriſtianum ei ſubjicere. Prius quidem Patres, qui *Platonici* Philoſophi erant, minime fecerunt; alterum vero ſæpius, nimio piarum fraudum capti amore. Notum eſt, æternitatem materiæ nonnullos defendiſſe *Platonicos*. Quodſi *Juſtinus Martyr* & *Athenagoras*, id quod vult novus ejus
Pag. 17 ſeq. patronus ex Benedictinis *Cap. II*, orbem a Deo ex nihilo effectum eſſe credidit; homines, rerum antiquarum varietate atque uſu ipſo perdocti, ſine mora præ ſe ferent, ex Chriſti diſciplina eos *Platonem* emendaſſe. Noſtro autem judicio, loci, quos doctiſſimus e Gallis Monachus teſtatur, ejusmodi ſunt, ut eos legentes, ipſa *Platonis* verba nobis legere videa-
19, 21. mur. Nec ea, quæ *Cap. III* de ſiderum, & *Cap. IV* de angelorum cultu, ad defendendos Patres enarrantur, omni ex parte veritati conſentanea ſunt. Recipiebant enim *Platonici* juniores naturas a materia ſecretas, quas in Dæmones & varios alios genios diſtribuebant. Horum aſtra ſciſcebant eſſe domicilia. His, docebant, ſummum Numen partem aliquam adminiſtrationis hujus rerum univerſitatis commiſiſſe. Atque eam ob cauſam hos dæmones ac genios tali honore affici volebant, qui naturæ ipſorum conveniens eſſet. Quæ cum ita ſint, nec de ſideribus, nec de angelis, nec de veris horum reverentiæ cauſis, recte docuerunt *Platonici*. Digna ergo hæc res exploratu foret, quænam his de rebus vera & germana *Juſtini Martyris* & *Athenagoræ* fuerit opinio.

Intus ſibi canunt Romanæ Eccleſiæ doctores, quoties nonnulla Patrum verba inveniunt, quæ ad opem erroribus ſuis ferendam in auxilium vocare poſſunt. Vir præclarus, qui *Juſtini*

Juſtini Martyris Opera in Gallia edidit, *Cap. IX* Præfationis Pag. 36.
ſuæ, campum ſibi aperit amplum de ſacra Cœna diſputandi. Reperit in *Apologia I pag. 83* inſignem locum, in quo ſuam, ab omni ratione alienam, panis & vini converſionem ſe exiſtimat venatum eſſe. Sacra nimirum Cœna illic 37.
τοῦ σαρκοποιηθέντος Ἰησοῦ καὶ σάρξ καὶ αἷμα eſſe dicitur, ὃν τρόπον ὁ σωτὴρ ἡμῶν, καὶ σάρκα καὶ αἷμα ὑπὲρ σωτηρίας ἡμῶν ἔσχεν. Sed ubinam, obſecramus, vel unica hic litera appareret, quæ intempeſtivam illam fulciat commutationem? Sola veritas præſentiæ & *κοινωνίας* maximum hinc conſequitur robur ac firmamentum. Vis comparationis huc redit: ſicut in humana Chriſti natura ſanguis & caro vere adeſt; ita in Euchariſtia idem ſanguis & eadem caro re quoque ipſa præſens
eſt, & una cum ſymbolis euchariſticis, quæ locus *Irenæi* pro- 39.
bat, exhibetur. Hæc eſt fides antiqua et genuina Eccleſiæ Chriſtianæ, nulla vero alia. Iſto confecto ariete, falſum erit, *Juſtinum* uſquam ſanctius epulum pro vero ac proprie dicto
ſacrificio habere potuiſſe; pro qua tamen ſententia *Cap. X* 42.
pugnatur. Locus ex *Dialogo cum Tryphone pag. 137 ſeq.* ductus eſt, qui ad teſtimonium dicendum advocatur. In hoc *illa ſimila oblatio, pro iis, qui a lepra* olim purgabantur, præſcripta, *typus panis Euchariſtiæ* fuiſſe dicitur. Tum vero *Euchariſtia* inter ſacrificia Novi Fœderis expreſſis verbis numeratur, præeunte *Malachia I, 10.* Hæc ſumit principia Monachus, & concludit: ergo, proprium Euchariſtiam ſacrificium eſſe, *Juſtinus Martyr* faſſus eſt. Nunc ſedeant judices, qui, quid quamque rem conſequatur, acute perſpiciunt, num hæc diſputandi ratio artis ratiocinandi legibus conveniat. Nos alter, atque hanc quidem in ſententiam, rationes ſubducimus: *Juſtinus* nil docuit de converſione illa teſtatiſſima corporis & ſanguinis Euchariſtici in panem ac vinum conſecratum. Ergo Euchariſtia, ſi hunc Martyrem audias, non eſt ſacrificium proprium. Oblatio illa ſimilæ eſt typus panis Euchariſtici. Ergo hic non eſt proprie dictum ſacrificium. Prodeat ipſe *Juſtinus*, & cauſam ſuam oret! Is *pag. 136* præcedente agnum Paſchalem typum Chriſti vocat. Anne hinc ſequitur, Chri-

ſtum etiam agnum proprie dictum eſſe? Sic idem *pag. 138*, quæ conſequitur, illam V. Teſt. circumciſionem typum nominat illius novæ, qua animos noſtros circumcidere jubemur. Tune hinc colliges: ergo hæc N. Teſt. circumciſio proprie dicta eſſe debebit? S. *Juſtinus*, exemplo *Malachiæ*, vatis a Deo acti, ſacrificia V. Teſt. ſpernit, & ſacrificia N. Teſt. atque in his in primis Euchariſtiam, laudat & commendat. Tune hinc coges: ergo ſacrificia N. Teſt. ſunt proprie dicta? Nos potius, ex vi oppoſitionis, hoc putamus ſequi: in Vet. Teſt. uſitatæ erant oblationes externæ. Has Deus ſub œconomia Nov. Teſt. non deſiderat amplius. Ergo illæ, quæ ipſi hodie probantur, internæ erunt. Vox *typus* eſt *Juſtino Martyri* ſimilitudo, quam binæ res inter ſe habere poſſunt. Hæc eſt omnino in iis exemplis, quæ in locis indicatis S. *Juſtinus* inter ſe comparavit. Sacrificia vera & propria Deus præſcripſerat credentibus Vet. Teſt. At fidelibus Nov. Teſt. mandavit ſpiritualia, hoc eſt, improprie dicta, cultum interiorem, quem ſacræ quoque Cœnæ dignior requirit uſus. Quare vis argumentationis, qua Reverendus utitur Pater, hæc eſt: in Vet. Teſt. erant ſacrificia typica valde tenuia, in Novo autem Teſtamento multo ſunt præſtantiora. In ſanctioribus divinorum hominum commentariis de Chriſtianæ religionis præcipuis partibus ejusmodi adhibita leguntur vocabula, quæ propria olim cultui fuerunt, per *Moſen* Iſraelitis præſcripto. Hunc morem veterum cœtuum præfecti mature imitabantur. Jure quidem ac merito iſtud feciſſe videntur. Voces *Pontifex*, *Sacerdos*, *Levita*, & alias, ſine vitio ſacrorum poterant miniſtris applicare. Poterant etiam cultum Nov. Teſt. & Euchariſtiam inprimis, cum *ſacrificiis*, *oblationes* cum iisdem, ac victimis, contendere. At ſequentibus temporibus accidit, ut una cum vocabulis res ipſæ, ratione licet paulisper commutata, ad Chriſtianos tranſirent. Initio improprie iſta adhibebantur vocabula; deinde vero ſacrorum miniſtri proprie ſacerdotes, & oblationes, una cum divino epulo, proprie ſacrificia, dicta ſunt. Cujus corruptæ ac depravatæ antiquitatis in Romana Eccleſia hodieque reliqua ſunt veſtigia, quæ probe

be ſciunt harum rerum conſulti. Doctiſſimus Monachus de hoc Patrum ſtilo ne cogitavit quidem. Immo etiam in ea ſanctioris Theologiæ parte, quæ controverſias tractat, non multum, ut videtur, verſatus eſt. Cui quidem rei hæc ipſius verba argumento eſſe videntur: *Neque enim aliud cauſæ Lutheranis & Calviniſtis ſletit, cur, Euchariſtiam ſacrificium eſſe, negarent, niſi quod* iſti, *Chriſtum omnino in Euchariſtia non adeſſe,* hi, *ante uſum non adeſſe, pertenderent.* Proprietas enim Latinæ linguæ poſcit, ut unum pronomen *iſti* ad *Lutheranos*, alterum vero *hi* ad *Calviniſtas*, referatur. Quis autem *Lutheranorum*, quos Monachus inficete etiam *Leutheranos* vocat, unquam docuit, Chriſtum in ſacra Cœna non adeſſe? Et quis *Calviniſtarum* profeſſus eſt, Chriſtum ante uſum non adeſſe? At vero mentem hominis, non verba, ſpectabimus. Poſſet enim is alium nobis teſtari, aut probatum, aut minus probatum, Autorem, qui pronomen *iſti* ad propius itidem, *hi* vero ad remotius, retulerit nomen. Neque hoc modo verba ejus ſenſum recipiunt veriorem. *Calviniſtæ* enim, vel, ſi mavis, Reformati, quem vocant, cœtus Theologi, non tantum, ante uſum Chriſtum, ſecundum humanam, qua indutus eſt, naturam, adeſſe, ſed eum omnino in terra præſentem eſſe, inficiantur. Ex quo ſequitur, ut eum & in ſacra Cœna prorſus negent adeſſe, cum in uſu, tum extra uſum. Nos contra *Lutherani*, Chriſtum, etiam ſecundum humanitatem ſuam, his terris ſemper adeſſe, publice docemus maxime in Euchariſtia, & in uſu, & ante uſum ejus. Hoc vero addimus, Euchariſtiam in uſu ſacramentum eſſe, extra uſum autem minime. Dum pane & vino conſecratis jam utimur, cum illis etiam ſimul corpore ac ſanguine Chriſti, cum iisdem, arcana quadam ratione, conjunctis, fruimur. Ceſſante uſu, ceſſat arcana illa colligatio, ſive κοινωνία. Hanc autem Romanæ fidei Theologi in eſſentialem utriusque materiæ, cœleſtis ac terrenæ, permutationem, eandemque ſemper perpetuoque manſuram, convertunt, quo varios inde ritus ducant, quibus rei Chriſtianæ nil accidit capitalius. In reliquis, quæ hic ſuperſunt, *Capitibus* ſingulares nonnullæ *Juſtini* conſiderantur opiniones, Pag. 47.

in

Pag. 53. in quibus regnum illud millenarium medium occupat
locum.
63. In *Parte III Præfationis* de rebus geſtis & ſcriptis horum
Patrum exponitur. *Juſtinus Martyr* natus eſt circa A.
64. 114, docente *Cap. I. Oratio ad Græcos* breviſſima, & ab hoc
Autore, non diu poſtquam in Chriſti civitatem adſcitus eſt,
68, 69. profecta eſſe videtur, *Cap. II. Cohortatio* vero *ad Græcos* ejus
70. eſt haud dubie, & primis *Antonini* annis confecta. In hac S.
Martyr ſuperſtitionem concinne debellavit, & conjecta in
Chriſtianos convicia disjecit, at minori felicitate religionis no-
74, 75. ſtræ naturam ac veritatem enodavit & corroboravit. *Epiſtola*
ad *Diognetum*, ſi quidem ſcripta a *Juſtino* fuit, antiquior eſt
Apologiis, & ad exordia receptæ ab ipſo religionis Chriſtia-
næ referenda. Sed, quoquo modo hæc ſe res habet, Autor
antiquus, quem nos S. *Juſtinum* eſſe minime dubitamus,
eximium nobis de fide *ſola* ſalvante exhibet teſtimonium,
μόνῃ τῇ πίστει Θεὸν ἰδεῖν συγκεχώρηται. Chriſtianis tria olim
objiciebantur crimina, *Cap. IV.* Namque dicebantur *ἄθεοι*
eſſe, & *Thyeſteis* epulis ac *Oedipodeo* ſeſe concubitu *commacu-
lare*. Ab his S. *Juſtinus* eos in *Apologia prima* vindicavit, ut
80. *Cap. V* docetur, quam *Antonino* Imp. tradidit, circa A. 150
81, 82. exaratam; quæ & *Tillemontii* fuit ſententia. In hac prima
Apologia ſcribit *Juſtinus*, ſtatuam *Simoni Mago*, tanquam
Deo, Romæ erectam eſſe. Sed inter fabulas hanc narratio-
nem retulerunt duumviri clariſſimi, *Julius Jacobonius* atque
Muretus, de quorum mutuis hac de re Epiſtolis hæc *Acta*
ad *A. 1713 pag. 268* evolvi poterunt. Statua nimirum illa, quam
in inſula Tiberina olim S. *Juſtinus* viderat, A. C. 1574 Ro-
mæ effoſſa, *Semoni Sanco* Deo Fidio ſacrata fuit. Itaque ve-
ro ſimile fit, *Juſtinum*, linguæ Romanæ non ſatis peritum,
deceptum fuiſſe, atque Deum aliquem populi Sabini, *Semo-
nem Sancum*, cum *Simone Mago* confudiſſe. Huic omnes fa-
vebunt opinioni, qui, hiſtoricam veritatem Patrum autoritate
majorem & ſanctiorem eſſe, putant. Quorum vero in nu-
mero nonnulli ex Anglis haud ſunt, qui, cum Pontificis Ro-
mani ſectatoribus ſeſe conjungentes, nimia erga primorum
Secu-

Seculorum ſcriptores utuntur voluntate. Atque hi pro iſta dimicant ſtatua. In his eſt clariſſimus Britannus, *Styanus Thirlby*, in Notis ad *Juſtini M. Operum, pag. 40.* Duo inprimis Romanæ Eccleſiæ doctores, *Tillemontius* & *Maſſuetus*, vacillantem illam & tantum non collapſam *Simonis* ſtatuam rurſus erigere moliuntur; quorum veſtigia accurate ſecutus eſt Benedictinus ille Monachus, qui nobis hæc ſcribendi cau- Pag. 86. 87.
ſam dedit. Sed conciliant hi, quæ minime cohærent, paulo fortaſſis animoſius, quam res ipſa patitur. Dant enim, id quod veteres etiam narrarunt, infami morte publice Romæ interiiſſe *Simonem*, & hunc tamen a Romanis, *Claudii* Imperatoris & Senatus autoritate, in Deorum Concilium cooptatum, & publico monumento honeſtatum eſſe. De exi- 87.
mio *Juſtini M. cum Tryphone Dialogo Cap. VII*; de *Apologia* 92.
ejusdem *Cap. VIII;* de Martyrio *Cap. IX*, differitur. *Juſti-* 95.
nus M. contra Judæos haud dubie felicius pugnaſſet, ſi rerum & literarum Hebraicarum peritus, nec juſto levior, fuiſſet. De *Juſtino Cap. X, XI, XII*, de *Athenagora Cap. XIII, XIV*, de 97.
Theophilo denique *Antiocheno Cap. XV*, plurima in chartam 110.
conjecta leguntur, ſed ubique fere accuratio illa, quam le- 120.
ges artis criticæ requirunt, deſideratur. Namque doctiſſimus Monachus illud, quod librarii ſolent, egregie præſtitit, ac veteres libros manu exaratos, quibus alii carent, deſcripſit. At vero aliorum quoque obſervationes in medium attulit, & communem ſuperſtitionem cum cura defendit. Cavit etiam atque etiam, ne multa ipſe de ſuo adderet, & ſui ingenii divitias profunderet. Adjunxit, finitis operibus, quædam *ad-* 602-606.
denda & emendanda; verum hæc & pauca ſunt; & non ni- 604.
mis præclara ac ingenioſa. In *Dialogo cum Tryphone pag. 149* hæc inveniuntur verba: ὁ πῶς ἐπεπροφητεύετο διαῤῥήδην γεννήσεσθαι ὑπὸ τῦ χριςῦ, γενόμενον ὑπ' αὐτῦ καὶ γνωσθὲν κ. τ. λ. Ubi notula ſubjecta ita ſe habet: Si *legamus* ὁ ὅπως, *nihil ſupererit difficultatis.* Tum vero miſſam hanc facit emendationem, & τὸ πῶς hic vult idem, quod *ſicut*, ſignificare. Quam in rem *Deut. XII, 13*, & *Marc. IX, 11*, teſtatur. Verum hæc obſervatio non in ejus ingenio nata eſt, ſed ab

 eru-

erudito, ut ipſe loquitur, defenſore *futuri Eliæ reditus pag. 270* eam petiit. Nobis hoc inconcinnum videtur, quod ſegniter nimis, & tanquam præteriens, illam cum ad verba Martyris, tum ad locum ſacri Nov. Teſt. hiſtorici, accommodaverit. Ad illa enim quod attinet, ἔλλειψις τῦ ὅτως commodo loco addi debuiſſet, hanc in ſententiam: ὁ πῶς ἐπεπροφητεύετο - - ὅτω γενόμενον κ. τ. λ. quam omiſſionem Latina quoque probat converſio. Verborum autem S. *Marci* ea eſt ratio, ut, quomodo is, qui præfatus eſt, ea capiat, vix perſpicuum eſſe videatur. Is enim, in his verbis, inquit: Ἠλιος μὲν ἐλθὼν πρῶτον, ἀποκαθιςᾷ πάντα, καὶ πῶς ἐπὶ τὸν ὑιὸν τῦ ἀνθρώπυ, ἵνα πολλὰ πάθῃ καὶ ἐξυδενωθῇ, agnoſcenda *Eliæ* adventus prædictio, ut reſtituat omnia, *& quomodo ſcriptum eſt in filium hominis, multa patiatur & contemnatur.* Nos quidem ex his nondum intelligere valemus, quæ hujus loci, ſecundum regulas artis criticæ, interpretatio eſſe debeat. Itaque nos, quæ deſunt, addemus, ſperantes, nullam nos Monacho docto facturos eſſe injuriam, qui eruditus ſacrarum literarum explanator videri noluit. Dixerat Servator, ſe ex morte in vitam revocatum iri, *v. 9.* Hoc qui audierant, iis de ſcito quodam ſcribarum in mentem venerat, cujus hæc erat ſententia, *Eliæ* adventum prius, quam id fiat, exſpectandum eſſe, *verſ. 11.* Reſpondet Dominus ad hæc duplici ratione: primum quidem, hanc veritatem, a Deo quippe promiſſam, concedendo & explicando, *verſ 12,* deinde vero, accurate docendo, omni jam de *Elia* prædicta re ipſa uſu eveniſſe, *verſ. 13.* His præfultis, Græca, quæ recitavimus, verba ita Latine vertimus: *Elias quidem,* hoc eſt, *Joannes,* veniet prius, & omnia reſtituet, *Matth. XXVII, 11, 12,* id eſt, ἐπιςρέψει, omnium animas ſalutariter emendare conabitur; *at vero etiam,* ſicut de filio hominis ſcriptum eſt, *eo eventu* veniet, ſacroque ſuo fungetur officio, *ut* multa patiatur, & nullo loco ducatur. Cujus quidem converſionis reddemus rationem. Voculæ μὲν καὶ, hac quidem, quam iis tribuimus, poteſtate veſtitæ, identidem reperiuntur, ut *Act. XXVII, 21, 1 Theſſ. II, 18, Malach. IV, 5.* Enar-

Enarratores verbo *ἀποκαταϛήσει* utuntur, *τϐτέϛι ἐπιϛρέψει*, interprete *Luca I, 17*. Τὸ ἵνα in ſanctis Nov. Fœd. tabulis eodem quoque ſenſu adhibetur. Vid. inprimis *Jo. IX, 39*. Ita vero verba S. *Juſtini* a loco divini ſcriptoris aliena erunt & ſejuncta. Ac particulæ *πῶς* in his non alia vis erit, quam in hoc *Platonis* loco, *Alcibiad. I pag. 30, E*: *μνημονεύεις ἐν περὶ τῶν δικαίων, πῶς ὡμολογήσαμεν* Sed illuc referri *Marci* poterunt verba, hoc modo: *καὶ πῶς γέγραπται ἐπὶ τὸν υἱὸν τϐ ἀνθρώπϐ, ὅτω ἵνα πολλὰ πάθῃ κ. τ. λ.* ut *1 Cor. IX, 24*, at vero etiam, *ſicut* de filii homine ſcriptum eſt, *ita* veniet *Elias*, *ut* multa ſuſtineat mala.

Quod reliquum eſt, triplex adiungitur Index: unus quidem vocabulorum, alter locorum S. Scripturæ, ac tertius denique rerum, quæ ante Appendicem inveniuntur.

HISTOIRE DE L'ACADEMIE ROYALE, &c.

hoc eſt,

HISTORIA ACADEMIÆ REGIÆ SCIENtiarum & elegantiarum Literarum, Annus MDCCXLVII.

Berolini, 1749, 4.

Alph. 2 plag. 18, Tabb. æn. 9.

Non diſſimiles ſunt hi illuſtriſſimæ Academiæ labores prioribus, quibus poſt feliciſſimam, a potentiſſimo Pruſſiæ Rege ſuſceptam, inſtaurationem orbis eruditi oculos admirationemque in ſe convertit. Breviſſima eſt Hiſtoria, & omnis Pag. 3. fere deſcriptione numorum duorum, honori Regis deſtinatorum, abſolvitur, qui & æri inciſi exhibentur. Uterque imaginem Regis exhibet: converſus alter, has voces corona laurea incluſas oſtendit: *Scientiarum & literarum incremento;* alter Juſtitiam oſtendit, cujus bilancem Rex ſceptro æquat, cum epigraphe: *Emendato jure.* Memoratur etiam ædibus, quæ a militibus vulneratis habitantur, addita inſcriptio: *Læſo & invicto militi.* Oden Gallicam de Academiæ inſtauratione ſe- 5.

Pag. 9. quuntur elogia *Golzii*, ducis bellici, *Borkii*, amici Regis, &
Jo. Bernoullii, ſæpius argutarum dictionum & ſententiarum
gemmis diſtincta, quas *Fontenellius* adhibere non eſſet dedi-
gnatus. Ita de *Borkio*, omnis antiquæ eruditionis peritiſſimo,
dicitur: *Il eut pu être miniſtre de Ceſar ſans acquerir de nou-
velles connoiſſances, & presque ſans s'appercevoir qu'il change-
roit de Maître.*

3. In *prima Claſſe Philoſophiæ experimentalis Ellerus* au-
rum ab argento præcipitatione, quam *ſiccam ſeparationem*
vocant, ſejungere docet. Plena eſt hæc Diſſertatio experimen-
torum curioſorum & utilium, quæ cum nimio conſtent, quam
ut repeti a quovis poſſint, ſolicite ab Autore deſcribuntur, ut
accurate & magno cum judicio ab eo erant inſtituta; nemi-
nem enim inſignis hujus Viri in omni naturæ cognitione pe-
33 ritia latet. Deinde *Marggravius* docet ſtannum in acidis
vegetabilibus diſſolvere, experimentaque affert, quibus arſeni-
46. cum ſtanno contentum oſtenditur. *Pottius* Topaſium Saxo-
nicum igne vehementiſſimo examinavit, & in calcem rede-
git, &, aliis corporibus additis, fluere fecit, quæ omnia accura-
57. tius ab eo deſcribuntur. *Idem* poſtea lapidem Steatitem
(*Speckſtein*) contemplatur, cujus locos natales, genera varia,
& quæ in igne vel ſolus, vel aliis corporibus junctus, patiatur,
79. recenſet. *Marggravius* ex variis plantis, quæ noſtris in regioni-
bus creſcunt, verum ſaccharum educere tentavit, adhibendo
præcipue *Betam albam*, ſeu *Ciclam offic.* C. B., *Siſarum Dodonæi*,
& *Betam rubram*, quæ, plantæ radicibus in fruſtra diſſectis &
exſiccatis, dulcedinis ſenſum guſtanti exhibent, & præcipue mi-
croſcopio ſpectatæ, particulas albas cryſtallinas, ſaccharinis ſi-
miles, oſtendunt. Ex his quidem, ſpiritu vini ſuperinfuſo,
ſaccharum extrahere conatus eſt ſatis feliciter; poſt idem mi-
noribus impenſis obtinere laboravit; denique alias plantas re-
cenſet, quæ ſaccharum, ſed minori copia, præbent.

93. *Claſſis mathematicæ* contenta hæc ſunt: *Prima* eſt Disqui-
ſitio *Euleri de motu corporum cœleſtium in genere.* Ante omnia
oſtendit, motum planetarum non ita eſſe comparatum, ut
legibus virium centralium *Keplerianis*, vel *Newtonianis*, qui-
bus ſtatuuntur verſus ſolis, vel primarii ſui Planetæ, centrum

ſoli-

ſolicitari in ratione diſtantiarum reciproca duplicata, in omni rigore obſequatur. Sola enim planetarum attractio mutua jam hancce regulam turbare valet, in ſuperioribus inprimis ſatis conſpicua; quæ vero ſi in theoriam introducenda eſſet, difficultatem ei afferret prorſus inſignem. Verum enim vero, etiamſi hæc aberrationis cauſa penitus abeſſet, aliæ ſeſe manifeſtant, ex ipſa virium, qua planetæ ſolicitantur, natura oriundæ. Poſito enim rigide attractionis univerſalis principio, vis, qua corpus cœleſte planetam attrahit, non niſi e viribus ſingularum ejus partium ſimul reſultat; tum vero, ſi illud nec eſt ſphæricum, nec homogeneum, vis ipſa nec ad centrum ejus exacte dirigetur, nec variabit omnino in ratione reciproca duplicata. Sed præterea vis illius, qua planeta afficitur, directio, & quantitas media, pendent ab omnibus ejus partibus ſimul; quare, ſi planeta inſuper eſt nec ſphæricus, nec homogeneus, iterum vis nec per centrum ejus tranſibit, nec dictam rationem exacte ſequetur. Hos vero caſus in corporibus cœleſtibus & attrahentibus, & attractis, locum habere, quis non videt? Ratiocinium illud quoque experientia comprobatur. Inſtitutis enim ſumma cum cura de motu lunæ disquiſitionibus, invenit Cel. Autor, theoriam nequaquam cum obſervationibus congruere, ſi ea exacte legem *Keplerianam* tenere ſupponatur; idemque e motu Jovis & Saturni arguit. Multum ergo a perfectione adhuc abeſt Aſtronomia. Si enim lex eſſet cognita, qua planetæ verſus alia corpora cœleſtia ſolicitentur, eaque a recepta diverſa, tum res ad meram Analyſin quidem reducta eſſet, attamen per ſola huc uſque cognita hujus ſubſidia, motus exinde generatim determinari non poſſet; cum vero inſuper lex illa ipſa nondum perfecte conſtet, longe major exinde oritur difficultas, non niſi plurimis novis in ipſa Aſtronomia detegendis ſuperabilis. Interim, cum ſubſidia, quæ Mechanica & Analyſis huc conferre poſſunt, in eo conſiſtant, ut, poſita lege, qua planeta ſolicitatur, verſus punctum fixum unum, vel plura, determinetur motus; ſicque omnia, quæ hactenus in Aſtronomia definita ſunt pro lege ſola *Kepleriana*, definiantur generatim pro quavis; Cel. Autor huic

 Pro-

Problemati ſolvendo præſentem Commentationem deſtinavit. Qua in re ita verſatus eſt, ut, cum in vulgaribus Problematibus virium centralium inverſi ſolutionibus erui debeat velocitas corporis, curvatura orbitæ, aliaque, antequam ad omnimodam loci poſt datum tempus determinationem pervenire liceat; ipſe contra ſingularem adhibuerit methodum, quæ ſtatim ad locum apparentem deducit, eumque per ipſum angulum expreſſum, quippe quo immediate in Aſtronomia opus eſt. Hoc modo definit motum corporis, ad punctum fixum attracti lege quavis, ſpeciatim vero lege a ratione reciproca duplicata parum aberrante, tum vero generatim corporis ad

Pag. 144. puncta quotvis ſolicitati. Sequitur *Solutio quorundam Problematum Aſtronomicorum*, Autore *d'Alembert*. Primum reſpicit correctionem meridiei, de qua traditur methodus, trianguli nullius ſphærici reſolutionem requirens, locisque polo propioribus, vel ab eo remotioribus, æquali modo inſerviens. Alterum in determinandis planetarum orbitis verſatur; ibique e quinque obſervationibus, in conjunctione, vel oppoſitione, factis, invenire docemur omnia, ad cognitionem orbitæ neceſſaria, in hypotheſi elliptica. Utrumque formulis analyti-

154. cis eleganter ſolutum eſt. *Methodum, verum momentum tam novilunii, quam plenilunii, inveniendi* tradit *Eulerus*. Cel. Autor, qui indefeſſo ſtudio theoriæ lunari perficiendæ adhuc inſudavit, inter varios, qui in hac Aſtronomiæ parte occurrunt, defectus, etiam hunc reperit, quod momenta oppoſitionum & conjunctionum ſint nimis incerta, adeo ut optimæ tabulæ ſemiquadrante horæ & amplius aberrare poſſint, quod uſum eclipſium in definiendis longitudinibus valde reddit ancipitem. Ad elementa itaque motus lunaris certius ſtabilienda, collegit, quot potuit, obſervationes eclipſium, quas ſummo cum ſtudio inſtitutas eſſe, certus fuit, earumque ope formulas ſuas analyticas paulum correxit, ita ut error calculi non ad duo minuta prima temporis aſſurgere poſſit. Haſce correctiones in præſenti exhibet. Quæ cum autem in calculis maxime conſiſtant, plura de iis exponere vix nobis licet; ideoque ad alia duo Schediaſmata progredimur, quorum alterum

Digitized by Google

rum *methodum, verum locum lunæ geocentricum per obſervationem occultationis fixæ determinandi*, alterum *methodum, differentiam longitudinis duorum locorum per obſervatam occultationem fixæ a luna definiendi*, docet. Utrumque Problema, ad formulas reductum, ſimplici analyſi ſolvitur. Idem V. C. Diſquiſitionem mechanicam *de vi remorum* inſtituit. Si motus remorum levi ſaltem attentione conſideretur, videtur facile ad principia vectis reducendus. Certe eo ex fundamento *Ariſtoteles* jam vim remorum determinare conatus eſt. Poſt eum nemo hac de re penitius inquirenda cogitavit, usque dum nuper Clariſſ. *Bouguerus* in eleganti *Tractatu nautico* id argumentum curatius examinandum ſibi ſumſerit, de quo *Bougueri* libro nos proxime dicemus. Verum enim vero nondum omnibus numeris abſoluta eſt ejus theoria, id quod ex hoc ſolo patere poſſet, quod, longitudinem remi intra navem majorem eſſe debere, invenerit, ea, quæ eſt extra navem, contra quam omni experientia comprobatum eſt. Non igitur inutile duxit Noſter, tum hoc caput denuo reſumere, ſepoſitaque prorſus vectis applicatione, (quippe quæ, curatiori examine facto, cum veritate conſiſtere nullo modo poteſt,) rem ex ipſis Mechanicæ primis principiis repetere. Satis autem intricata eſt quæſtio, haudque mirum ideo, eam a nemine adhuc eſſe tractatam. Primo enim conſiderari debet navis moles, velocitas, & reſiſtentia, ab aqua ipſi facta; dein remi pondus, figura, varia longitudo, area palmulæ; porro remigis vis, unde pendet remi velocitas, hincque oriunda reſiſtentia. Quæ elementa cum omnia inter ſe ſint permixta, & continuo unum in alterius determinationem intret, hoc argumentum quam ſubtile ſit, palam eſt. Noſter vero, pro ſingulari ſua dexteritate, ita ſe e tricis hiſce evolvit, ut rem reduxerit ad formulas, e quibus tam Tabulam computavit, quam & varia in applicatione utilia derivavit; ut: ad maximam navi velocitatem conciliandam requiri, ut pars remi intra navem ſit brevior exteriori, idque eo magis, quo major requiritur velocitas; celeritatem navis non eſſe in ratione numeri remigum, ſed in paulo minori, quam duplicata; aliaque. Integer

Pag. 174. 178. 180.

teger ſolutionis proceſſus eſt longior, quam ut eum hic ſuccin-
cte exhibere queamus; notatu vero eo magis eſt digna illa ſo-
lutio, quod varia in ea occurrant artificia ſingularia, præſertim
cum vis hominum, motusque inde oriundus, in computum
duci debeant. *De Curva, quam efficit chorda vibrans*, com-
Pag. 214. mentatur *d'Alembert*. Problematis hujus ſolutionem tradit
generalem, &, infinitas Curvas, præter eam, quæ dicitur ſocia
cycloidis protractæ, propoſito ſatisfacere, oſtendit, contra ſen-
tentiam *Taylori*, qui, hanc ſolam in omnibus caſibus ſufficere,
voluit. Ex iisdem principiis motus chordarum vibrantium
definitur. Varia quoque notanda circa rectificationem cur-
250. varum in genere afferuntur. Sequuntur *Euleri Meditationes
circa eclipſin ſolarem d. 25 Jul. A. 1748.* Hæc etſi ſatis exa-
cte reſponderit Tabulis Cel. Autoris; non tamen abs re eſſe
putavit, ſingula calculi elementa denuo repetere, ut pateat
origo exiguæ, quæ fuit in magnitudine & duratione annuli,
differentiæ; id quod inprimis conducere poterit ad fixandam
certius veram lunæ parallaxin, de qua Aſtronomos adhuc ſa-
tis incertos eſſe oſtendit. Integrum itaque calculum hic
exhibet. Exiguam quandam correctionem in Tabulis
ſuis lunaribus circa anomaliam mediam, longitudinem
nodi mediam, & parallaxin, faciendam, inde derivat. Hoc
modo paulatim ad maximum perfectionis gradum deduci
274. poterunt dictæ *Tabulæ*. Idem V. C. adhuc *de vitris objecti-
vis teleſcopiorum perficiendis* cogitata exponit. Quanto labo-
rent lentes tuborum objectivæ defectu, e diverſa radiorum
refrangibilite oriundo, nemo eſt, qui ignoret. Tanta eſt iſta
aberratio, ut ſpatium, in quo omnes foci diverſorum colorum
diſperguntur, ſit $\frac{1}{27}$ totius diſtantiæ foci a lente, adeo ut v. g.
in lente 27 pedum jam integrum pedem efficeret; ex quo fa-
cile patet, in lentibus majoribus, ut centum pedum & am-
plius, confuſionem inde enaſci tantam, ut illæ optatum effe-
ctum reſpectu longitudinis ſuæ præſtare nequeant. Pendet
vero diffuſionis hujus quantitas unice a diſtantia foci, idemque
cum longitudine tubi inſeparabiliter conjungitur. Hæc con-
ſideratio eo deduxit *Newtonum*, ut, repudiatis prorſus tubis
dio-

dioptricis, in catoptricis ſolis ſubſidium quæreret. Verum enimvero, etſi ſpecula lentibus in eo palmam præripiant, quod omnis generis radios exacte in idem punctum colligant; inficias tamen iri nequit, illa his contra in eo multum cedere, quod magnam radiorum copiam abſorbeant, qui a lentibus transmittuntur. Quodſi itaque lentes a ſupradicto incommodo liberari poſſent; ipſorum uſus ſpeculorum uſui procul dubio longe præferendus eſſet. Eſt vero ta'e remedium, quod jam indicavit *Newtonus*, ad aberrationem a figura ſphærica corrigendam; ſed cujus uſum ad errores e diverſa refractione emendandos introſpexiſſe non videtur. Conſiſtit hoc in duabus lentibus conjunctis, quarum interſtitium aqua replendum. Hoc itaque ad tollendam poſterioris generis aberrationem adhiberi quoque poſſe, docet in præſenti Cel. Autor; putatque, eundem in finem humores oculorum a ſummo opifice ita eſſe diſpoſitos, ut radii exacte in eodem puncto uniantur. Generatim itaque quærit, quomodo diſponi poſſint quatuor ſuperficies ſphæricæ refringentes, ita, ut foci radiorum cujusvis generis in unico puncto colligantur, qualiscunque ſit objecti diſtantia. E cujus Problematis ſolutione analytica infinitæ habentur figuræ duorum meniſcorum, cum aqua interjecta ita combinandorum, ut a vitio communium lentium ſint prorſus immunes, radiosque omnes in unico foco colligant. Si e. g. unum vitrorum ſtatuatur planum, (qui eſt caſus ſimpliciſſimus,) habetur alterius radius anterior = *519, 08*, poſterior = *225, 80*, poſita diſtantia foci = *10000*. Si duo meniſci ſtatuantur æquales, quorum radius alter = *1038, 16*, alter = *451, 60*; unde patet, pro diſtantia foci ſatis magna radios fieri admodum mediocres, ideoque tales lentes haud difficulter, quin imo facilius, quam communes paulo majores, fore elaborandas. Ut praxi eo magis conſuleret Autor, non modo pro quavis refractionis menſura radios quæſitos facile determinare docet, ſed & Tabulam exhibet, qua pro diſtantia focorum ab *1* usque *400* pollices reperiri poſſunt radii duorum meniſcorum æqualium. Novarum itaque ejusmodi lentium præſtantia erit ea, quod non ſolum

lum objecta multo magis diſtincte ſint exhibituræ, ſed &
(quod maximum eſt,) ocularia cum iis conjungi poſſint mul-
tò minora, quam cum communibus, ideoque effectus talium
teleſcopiorum mirum quantum augeantur. Inventum hoc
Cel. Autoris tam eximium eſt, ut non ſatis commendare poſ-
ſimus omnibus rerum mathematicarum, inprimis aſtronomi-
carum, amatoribus, quo id ad praxin, quod tam facile fieri pot-
eſt, deducant, ejusque præſtantiam ipſi experiantur. ***Claſſi***
Pag. 297. huic finem imponunt *Obſervationes* ***duarum Eclipſium luna-***
rium *A. 1746 & 1747*, a Clariſſ. *Kieſio* habitæ.
303. *Philoſophicam Claſſem* ducit *Heinius* Diſſertatione ***de Phere-***
cyde, Philoſopho Syriaco, cujus patriam, vitæ tempus, & geſta
omnia, quantum fieri poteſt per ea, quæ antiqui de hoc Philo-
ſopho literis conſignarunt, exponit. Contra ***Bruckerum*** defen-
dit, potuiſſe terræ motum a Philoſopho ex phyſicis principiis
prædici. Occaſione ab ***Heliotropio***, quod *Pherecydes* primus pa-
triæ intuliſſe fertur, ſumta, de ***gnomonibus*** luculenter agit, & ad
ipſum *Achaſi*, Judaici Regis, Sciaterium progreditur, miraculo,
Hiskiæ tempore facto, celebre, deinde omnia, quæ de ***Phere-***
cyde exſtant, accurate perſequitur, pedicularique morbo ſenem
obiiſſe, a ***Pythagora*** diſcipulo religioſe humatum, idoneis Au-
340. toribus confirmat. *Formeius* demonſtrationes exiſtentiæ di-
vinæ ad notiones communes reducit, &, quæcunque in dedu-
cenda exiſtentia attributisque divinis occurrunt, notiones ***in-***
365. ***dependentiæ, immutabilitatis, æternitatis***, &c. dilucide expli-
cat, omniumque nexum oſtendit, deinde de iis, quæ pro evin-
cenda Dei exiſtentia adducuntur, argumentis variis, ab ordine
univerſi, a finibus, &c. deſumtis, judicium fert, oſtenditque,
unde illorum vis omnis pendeat.
387. *Elegantiorum literarum Claſſis* primo loco oſtendit ***Friderici***
Wilhelmi Magni vitam; hiſtoriarum domus Brandenburgicæ,
quarum initium prius ***Volumen*** exhibebat, continuationem.
Non opus eſt, de ſcripto hoc plura dicere, quod dudum ab
omnibus legitur, ſeparatim etiam editum, & in linguam Ger-
429. manicam bis converſum. Etſi vero omnia in hoc opere, Au-
torem, indicent, non ſcribere magis, quæ legantur, quam facere,
quæ

quæ ſcribantur, digniſſima, aſſuetum; habet tamen præcipue, quo Germanos, patriæ ſuæ amore flagrantes, afficiet pluriinum, comparatio *Friderici Wilhelmi Magni* cum *Ludovico Magno*. Neque enim illam legenti cuiquam obſcurum eſſe poteſt, *Magni* nomen Electorem ſibi ſoli debuiſſe, Regem pluribus, quæ non fecerat ipſe. Excipit ſcriptum hoc reſponſio Ill. *Maupertuiſii*, cum præcedens ſcriptum in publico Academiæ conventu lectum eſſet, brevis, ſed acuminis plena, ut omnia ſummi Viri, qui, quod proprium fere ſibi habent magna ingenia, Geometriæ ſublimitatem elegantiorum literarum cultui feliciſſime jungit. *Ejusdem* additur Relatio de itinere, in Lapponiam ſeptentrionalem facto, cum expeditionis ejus, donec terra durabit, celebris futuræ, cauſa in illis regionibus degeret. Viſebat ſcilicet monumentum antiquum, Lapponibus pro ſummo terræ ſuæ miraculo habitum. Lapis eſt lineis quibusdam inſignis, unde nemo mortalium ſenſus quidpiam exſculpat (nam figuram fideliter ipſe *Celſius*que, ſinguli ſeparatim, delinearunt, ſuamque hic Noſter exhibet,). Ne quidem decidi poteſt, ſitne tota res fortaſſe naturæ aliquis luſus. Si vero inſcriptio manu hominum facta ſit, antiquiſſima omnium, quæ exſtent, procul dubio eſt. Cum enim in horrido illo, quale jam eſt, climate nunquam vel politiores fuiſſe gentes, vel facta, quæ, poſteritati ut transmitterentur, digna exſtiterint, contigiſſe ſupponi queat, non potuit hæc inſcriptio, niſi in alio plane telluris ſtatu, ubi melior fuit Lapponiæ ſors, exarari. Habet vero *Maupertuiſii* relatio plura alia, ad naturalem præcipue Lapponiæ hiſtoriam, modumque, itinera ibidem peragendi, ſpectantia, notatu digniſſima. Finem *Voluminis* huic imponit pereruditа *Elſneri* Diſſertatio ad *XL Taciti de M. G. Caput, de Hertha*, Dea, a ſeptentrionalibus, maxime Germanis, culta. Ut excellentis ſcripti ſpecimen ſaltem unicum adducamus, nomen Deæ *Erdamm*, recte a *Tacito* per *terram matrem* redditum, ex *Erd* & *Amm* compoſitum notat, ultimamque vocem non ſaltem Germanis antiquitus matrem ſignificaſſe voce *Hebamme*, cui æquipollet *Webemutter*, probat, ſed & Hebræos matrem אם appellaſſe, & Chaldæos

Pag. 432.

446.

Syrosque *Amma*, *Metropolin*, *Matrem reliquarum urbium*, vocaſſe notat. Deinde Deæ cultum accuratius perſequitur, & ſimiles, qui apud alias gentes obtinuere, cultus comparat. Sed non poſſunt tantæ eruditionis copiæ in breve ſpatium contrahi.

RESPONSA, SEU CONSILIA, PRÆSTANtium Medicinæ Doctorum de Morbo, qui Cardinalem A. M. QUIRINUM per quinque & amplius menſes lectulo affixum detinuit.

Brixiæ, ex typographia Joannis Mariæ Rizzardi, 1750, 8 maj. Plag. 8.

Tanta eſt Venerabilis & eruditione ſua Clariſſimi Purpurati, *Quirini*, penes omnes, quicunque bonis literis favent, exiſtimatio, ut, cum nuper ex hiſtoria morbi, quam ipſe, propriæ calamitatis ſenſu excitatus, conſcripſerat, varii, qui literario aliquo commercio cum Illuſtri ægroto utuntur, quam debilis illi, quoad pedes, ſenectus eſſet, intellexiſſent, nemo eſſet ex omnibus, quin præſtantes aliquos Medicos, ad opem magno huic Viro, cum quo tantæ eruditionis volumina interitura eſſent, ferendam inſtigaret. Hiſtoria morbi, quam ipſe ægrotus contexuit, & ſchedulis, hunc in finem impreſſis, ſuperiore anno, propalavit, hæc erat: *Elabitur quintus jam menſis, ex quo affigit me lectulo dura compes, ita devinciens crurum meorum extremam partem, ut iisdem inſiſtere omnino prohibear, &, contra conari ſi velim, diſcrucier, imo deficiam. Comparent præterea in iisdem cruribus partim crocei, partim violacei, coloris maculæ quædam, præſertim prope malleolos, atque in iisdem etiam levis tumor aſſurgit. Gingivas pariter invaſit, primo tamen duntaxat, & altero, mei decubitus menſe, inflatio, quin laceratio quædam, intacta manente ea unica parte, quæ dentibus vacat. In præſens, a tribus ſcilicet hebdomadis, muſculus, tendo, & nervus, calcaneo adhærentes, inprimis tentantur, atque adeo obduruerunt, ut abſque ſpaſmate fas mihi non ſit pedem ad calcandum ſolum extra lectulum*

Digitized by Google

ctulum ponere. Vitia omnia hujuſmodi, nemini dubium eſſe poteſt, ex ſanguinis acore, ſeu acrimonia, proficiſci, cujus apertum indicium bilis haud raro excrementis ſuffuſa. Veruntamen ea vitia, Deo favente, tanti non ſunt, ut valetudinis meæ integritati officiant. Quare bene valet caput, bene pectus, bene ſtomachus; nulla unquam febris acceſſit, vaco prorſus dolore, vultui ineſt color ſincerus, demum, hoc maxime tempore, ceu ſanius, dormio, & comedo, literariis autem occupationibus, aliisque meis muneribus, ita horis omnibus alacriter & vegete me dedo, ut omnes agnoſcant & fateantur, me nunquam magis negotioſum fuiſſe, quam poſtquam ægroti ſpeciem præbens, cubilis quieti & otio me tradidi. Invidioſum ac deteſtabile Summo Viro Scorbuti nomen eſt, quem ſibi ineſſe nollet, quia turpem putat morbum eſſe. Sciat autem eruditiſſimus ille Purpuratus, omnium morborum parvam aliquando particulam eſſe poſſe; plus etiam ignominiæ in nomine, quam re ipſa, eſſe. Verba valent, ſicut nummi, ex arbitrio dantis & accipientis. Medicis ſane ſcorbutus non ſemper morbus eſt, ſed ad varios morbos quædam diatheſis ac veluti proluſio. Plurium certe ſuffragiis ſcorbuto dedicatus eſt Cardinalis, ſed nihil illud officit, dummodo ſalus ex conſiliis conſequatur. Fuerunt tamen etiam, qui aliter ſenſerint. Salutaris materiæ, morbum graviorem facturæ, ad extrema translatio & benefica metaſtaſis, ac podagra forte ſenilis, aut res non multum abſimilis, quibusdam dicta eſt. Fuerunt, qui intra abdomen & hepar mali cauſam quærerent, & hæmorrhoidum ſubeſſe, putarent, molimina. Deſtillationem ſeroſam, ſunt, qui recte putent eſſe, quod itidem ſalutare eſt, & bene cedit, haud enim raro ex morbo ſalus eſt. Fuerunt, qui, cominus pugnare, ſatius eſſe, putarent; evibrarunt adeoque tela in hunc morbum, & pharmaca transmiſerunt. Fortunata ſint iſta Eminentiſſ. Cardinali conſilia, plus autem ille ſibi, optimoque regimini, quam Medicorum turbæ, confidat. Jam Epiſtolas & Conſilia, quæ in hoc libello continentur, nominatim indicabimus. Venetiis miſſa ſunt: *Conſulto del Sig.* Gio. Battiſta Grandi, *Medico, Fiſico, Anatomico, in Lettera, ſcritta a S. E. Sig.* Paolo Querini;

& *Conſulto del Sig. Dott.* Leonardo Doro, *Med. Fiſico;* Bergamo: *Conſilium D.* Andreæ Paſtæ, *Phyſic. Coll.;* Bononia: *Conſulto del Sig. Dott.* J.-B. Beccari, *in Lettera al P. D. G.* Gualb. Beccari, *Abate della Badia di Firenze;* & *Conſilia DD.* Guſin, Galeazzi, Petri Pauli Molinelli, *&* Joſephi Azzoguidi, *Medicinæ Doctorum;* Florentia: *Conſulto del Sig. Dott.* Antonio Cocchi, *P. P. Anatom. in Lettera del P. D.* Pier Luigi Galletti, *Lettore nella Badia di Firenze;* Lipſia: *Epiſtola* Caroli Frid. Hundertmark, *Phil. & Med. D. & P. P. in Acad. Lipſienſi, ad Card.* Quirinum; *Epiſtola altera* Ejusdem *ad* Eundem; *Conſilium ejusdem Autoris; Epiſtola* Frid. Ott. Menckenii, *Conſiliar. Reg. Pol. & Senatoris, ad Card.* Quirinum; *Conſilium D.* Juſti Godofredi Günz, *Anat. & Chir. Prof. Lipſ.;* Gottinga: *Epiſtola* Jo. Matth. Geſneri, *P. Prof. in Acad. Gottingenſi, ad Card.* Quirinum; *Conſilium D.* Jo. Jac. Huberi, *Conſiliar. atque Archiatr. Regis Sueciæ, & in Coll. quod Caſſellis eſt, Carolino Prof.; Epiſtola* Jac. Guil. Feuerlini, *Univerſit. Georgiæ Aug. Magnif. Pro-Rect. ad Card.* Quirinum; *Conſilium D.* Georgii Gottlob. Richteri, *Senior. Facult. Medicæ Gotting.;* Gotha: *Epiſtola* Julii Caroli Schlægeri, *Conſiliar. & Protobibl. Sereniſſ. Ducis Gothani, ad Card.* Quirinum; *Conſilium D.* Sulzeri, *Sereniſſ. Ducis Saxo-Gothani Archiatri;* Brema: *Epiſtola* Jo. Phil. Caſſelii, *P. P. Bremenſis, ad Card.* Quirinum; *Conſilium* D. Godofredi Melm, *Med. Doct. Prof. & Reip. Bremenſis Phyſici;* Norimberga: *Conſilium D.* Chriſtoph. Andreæ Vinkles, *Med. Doct. & Patriæ Phyſici Ordin.;* Memminga: *Epiſtola* Jo. Georgii Schelhornii, *Memmingenſ. Bibliothecarii, ad Card.* Quirinum; Epiſtola altera *Ejusdem* ad *Eundem; Conſilium D.* Balthaſſaris Ehrhart, *Med.* D. *& Reip. Memmingenſ. Phyſic. Ordin.;* Salisburgo: *Epiſtola D.* Godofredi, *Abbatis Cœnobii S. Petri, ad Card.* Quirinum; *Conſilium D.* Petri Ant. de Alliardis, *Archiep. Saliſb. Archiatri; Conſilium D.* Silveſtri Bariſani, *Med. Doct.;* Hamburgo: *Epiſtola* Herm. Samuel. Reimari, *Prof. P. in Acad. Hamburgenſi, ad Card.* Quirinum; Epiſtola altera *Ejusdem* ad *Eundem; Conſilium D.* Godofredi Jac. Jæniſch, *Med.*

Med. Doct. Hamb.; Stetino: *Lettre de M.* de Perard, *Chapelain du Roy de Pruſſe, à Monſign. le Card.* Querini; *Conſilium D.* Jo. Andr. Heintze, *Sereniſſ. Ducis Brunſuic. Legion. Pedeſtr. Med. Ord. & Chir. Primar.; Conſilium D.* Caroli Frid. Koch, *Med. Doct. Conſil. Aul. Med. Ord. Legionum Statariar. Sedini; Conſilium D.* J. E. A. Thede, *Chir. maj. Legionum Pedeſtr. Domini majoris Generalis de Treskow; Conſilium D.* Jo. Chriſt. Ungnad, *Med. Doct. ejusdemque in Gymnaſio Reg. Prof. P. Ord.;* Erfurto: *Lettera del P. D.* Andrea Gordon, *dell' Ordine di S. Benedetto Prof. P. al Card.* Quirini; *Conſilium D.* Jo. Chriſtoph. Riedel, *Phil. & Med. Doct. Prof. P. P. Ord.; Conſilium D.* H. Ludolf, *Med. Doct.;* Pariſiis: *Conſilium D.* de Pouſſe, *Med. Doct.*

Id unum monemus, non ſatis diligentiæ in exſcribendis his *Conſiliis* & *Epiſtolis* a typographo adhibitum, qui, optima Autorum dicta ſæpe crudeliter lacerando, famæ illorum peſſime conſuluit. Tales ſunt errores, Epiſtolam *Menckenii* noſtri deformantes, quos ipſe minime agnoſcit ſuos, ab æquitate lectorum illud impetraturum ſe confidens, ut, cum *Priſciano* familiarius ipſum verſari, quam ſuſpicari ex Epiſtola hac liceat, ſibi certo perſuadeant.

ESSAY DE COSMOLOGIE, &c.

hoc eſt,

TENTAMEN COSMOLOGIÆ, AUTORE D. DE MAUPERTUIS. Mens agitat molem. Æneid. Lib. VI.

Sine mentione loci, 1750, 4.

Plag. 12.

Quod in virtutibus eorum, qui ſummam geſtis fortibus gloriam adepti ſunt, ponitur, non ſolum eos prudenter ut duces imperaſſe, ſed fortiter ut ipſos milites pugnaſſe, id, ſi fas eſt, hic heroibus eos componere, qui, ſine cæde & ſanguine, ſapientiores beatioresque homines efficiendo, non miſeros, æternum ſibi nomen adipiſcuntur, ab Illuſtriſſimo Regiæ ſcientiarum & elegantiorum literarum Academiæ Pruſſicæ Præſide fieri videmus, cujus, in tam excelſo loco conſtituti,

ti,

ti, animus, etſi ſatis occupatus in regendo celeberrimo, cui præeſt, corpore videri poſſit, non intermittit tamen, ſimul propriis inventis ſcientias augere partim, partim exornare; neque paucas illas, aut ſororio vinculo inter ſe connexas, quales ſunt, in quibus ſummam conſecutus eſt celebritatem, ad quantitatis dimenſionem ſpectantes, ſed omnes, quantacunque illarum ſit varietas, quibus excolendis tota Academia occupatur. Cujus rei ſpecimen, editis nuper *Philoſophiæ, ad mores ſpectantis, principiis*, exhibuit egregium, a nobis etiam ſuo tempore laudandum; & eodem fere tempore præſens opus, in qua naturæ conſultumne peritiorem, an profundiorem Metaphyſicum, an ſagaciorem Geometram, ſe oſtendat, ambiguum eſt, publicavit. Splendorem externum operis luſtranti eum exhibet, qui interno pretio conveniat, nihilque ornatiſſimis Gallorum Batavorumque codicibus cedat: ad contenta vero ipſa quod attinet, introductionis quaſi loco præfixum eſt examen argumentorum, pro exiſtentia divina ex miraculis naturæ ductorum, pars Diſſertationis, quæ jam in ſcriptis Academiæ Regiæ Pruſſicæ Anni 1746 comparuit, & a nobis ſuo loco indicata eſt. Monuerat in ea Illuſtriſſimus Autor, exiſtentiam Dei, maximi momenti veritatem, non evidenter ſatis argumentis, ab ordine univerſi & ſimilibus deſumtis, probari, nævosque horum ratiociniorum, pro ſingulari, quo eminet, acumine, oſtendit. Id male habuit aliquos, quaſi veritas ipſa pateretur aliquid, ſi, argumenta quædam, quibus fulciri ſolet, non ſatis firma eſſe, monſtretur. His cenſoribus breviter Illuſtriſſ. Autor in Præfatione reſpondet, denuo legi debere ipſis ſcriptum, quod prima vice forte non attente ſatis legerint.

Ipſum Coſmologiæ tentamen a legibus motus & quietis ex entis ſapientiſſimi attributis deducendis orditur. Fatetur Illuſtr. Autor, phænomeni, quod *motum* appellamus, naturam obſcuriſſimam eſſe, ut etiam negatus a quibusdam Philoſophis motus ipſe fuerit, explicatus a nemine eorum, qui, dari motum, conceſſerint. *Vis* vocabulum, quo hoc in negotio utuntur, & cujus ope corpora ſecum mutuo motum communicare aſſeruerunt, aſylum ignorantiæ appellat. Exprimere hanc vocem, in ſenſu proprio acceptam, certam aliquam ſenſationem,

fami-

Digitized by Google

familiarem nobis, dum in motum concitare quieſcens corpus, aut immutare velocitatem & directionem moti, conamur. Perceptio, quam tum ſentimus, ita conſtanter mutationem in ſtatu corporis comitatur, ut abſtinere nos non poſſimus, quin credamus, eam ejus cauſam eſſe. Quoties igitur ſtatum corporis mutari videmus, id effectum vis alicujus eſſe pronuntiamus, ſi non in nobis, in aliis certe corporibus, reſidentis. Unde patet, obſcuriſſimam ideam ejus, quod vim appellamus, eſſe, aut confuſam potius ſenſationem, ut facile indicetur, quam parum hoc vocabulum affectioni corporis deſignandæ aptum ſit, quod initio ſenſationi animæ indicandæ repertum eſt. Ceterum, cum influxus corporum in ſe mutuo negari non poſſit, utitur *vis motricis* vocabulo Illuſtr. Autor, ſed ita, ut per eam, non niſi quod ex phænomenis reſultat, deſignet, ex effectibus, qui apparent, menſurandam. Non igitur explicandum ſuſcipit, quo modo motus ex uno corpore in aliud transferatur; neque ipſas motus regulas, jam a Mathematicis detectas, eſt enarraturus, ſed principium ipſarum majus, ſublimius, & maximi in his inveſtigationibus momenti. Oſtendit, *motus quantitatem* non niſi caſibus quibusdam, *vis vivæ quantitatem* non niſi in corporibus quibusdam, conſervari, ut neutra pro univerſali principio haberi, aut ex legibus motus, conjunctim ſumtis, reſultare dici, poſſit. Contra tale principium eſt, quod *minimi in quantitate actionis* appellat, ſapientiſſimum, enteque ſupremo digniſſimum, cui conſtanter ſubjecta natura apparet, illudque non in mutationibus ſaltem ſuis, ſed & in eo, quod perdurat, perpetuo obſervat. Quæ hinc ad illuſtrandas leges motus mathematicas deducit, ad finem operis rejecit, ne lectores, quos excluſiſſet e ſchola ſua *Pythagoras*, moretur. Nos illa inde repetita hic inſeremus. *Actionis quantitatem* appellat factum ex maſſa corporis in velocitatem & ſpatium, quod percurrit, quod actio tanto major a quolibet judicetur, quanto majora horum trium unum, vel alterum, manentibus reliquis, exiſtunt. Hanc *actionis quantitatem* ut *in omnibus*, quæ contingunt, *mutationibus minimam, quæ eſſe poteſt*, & *in* ipſa *quiete quæ æquilibratis viribus ſe retinent, corpora eum ſitum habere, ut, ſi in motum exiguum concitarentur, actionis*

 quan-

Digitized by Google

quantitas minima eſſet, pronuntiat; ita *conflictui* præcipue corporum hoc enuntiatum applicat, & leges motus inde deducit, in vulgus quidem jam notas, ſed, quod acute monet, ex ejusmodi principiis huc usque oſtenſas, ut mirum ſit, Mathematicos, in illis eruendis occupatos, verum reperiſſe, ſatisque pateat, experimentis plus illos fiſos, quam principiis. Idem enuntiatum in reflexionis & refractionis legibus locum etiam habere oſtendit, ubi *Leibnitius ſpatium* pro minimo habuit, cum *actioni* ea proprietas competat, unde effectum eſt, ut tolerabilis ſit *Leibnitii* ſolutio *reflexionis*, in qua cum celeritas non mutetur, *actionis* quantitas ſimul cum *ſpatii* quantitate minima exiſtit, ſed defendi non poſſit in *refractione*, ubi celeritas mutatur. Lectæ ſunt Diſſertationes, quibus hæc explicat, in Academiarum Gallicæ & Pruſſicæ conventibus, ſcriptisque illarum ſuo tempore inſertæ.

De *Coſmologia* ipſa, non eſt, quod multum adhuc dicamus. Uberius oſtendit Illuſtr. Autor excellentiam principii ſui, & quam ſublimes ideas de ſapientiſſimi creatoris opere præbeat, deinde ſyſtema mundi breviter enarrat. In his ne eum ſequamur, impedit, quod, ſi initium adducendi aliquid fecerimus, materiæ ſtilique dulcedine capti, totum opus eſſemus deſcripturi. Valet enim, ſi de ullis alicujus ſcriptoris, certe de *Maupertuiſii*, ſcriptis effatum: Quicquid illis demitur, elegantiæ demi.

DESCRIPTION COMPLETE, &c.

hoc eſt,

DESCRIPTIO COMPLETA, VEL ALTERUM Monitum de Globis magnis cæleſtibus & terreſtribus, quos actu elaborandos Societas Coſmographica Norimbergenſis curat, opera GEORGII MAURITII LOWIZII, Membri Societ. Coſmogr. & Globorum dictorum Delineatoris.

Norimbergæ, ex officina Homanniana, 1749, 4.

Plag. 5, Tabb. æn. 2.

Quæ

Quæ ſit Societas Coſmographica, conſtare poteſt ex Præfatione, quam *Atlanti*, A. 1748 edito, & a nobis tunc deſcripto, præmiſit *Joannes Michael Franz, Conſiliarius Imp. & Geographus Celſiſſimi Arauſion. Principis, Geographus inclyti Circuli Franconici, Membrum honorar. Societ. Teutonicæ Gœttingenſis, cohæres & director officinæ geographicæ Homannianæ*. In præſenti Opuſculo *Lowizius* Globorum adornandorum rationem terſo & eleganti ſermone Gallico ita reddit, ut ſimul haud levia ſcientiæ mathematicæ ſpecimina edat. *Prima Sectione*, quæ ex Matheſi & Mechanica ad ſtructuram globorum translata ſunt, recenſet. Primo quidem, cum ſuperficies globi obtegatur ſegmentis chartaceis, in quibus, quæ globus exhibere debet in plano, delineata ſunt, ea lege, ut ſegmentum ejusmodi, ſuperficiei globi applicatum, duobus ſemimeridianis, in polis coeuntibus, contineatur, quærit, quam figuram curvam hujus ſegmenti terminatrix in plano habere debeat, ut globo circumpoſitum exacte congruat, ſeu contra, ſi ſuperficiei ſphæricæ inter duos ſemimeridianos contentum ſegmentum in planum explicetur, quam figuram meridiani, illud terminantes, eo acturi ſint, reperitque, analyſeos ope accuratius perfici rem poſſe, quo minor ſit angulus inter meridianorum, ſegmentum terminantium, plana contentus. Hunc ergo in globis exſtruendis 10° ſumit, cum in vulgaribus 15° ſumatur. Deinde oſtendit, figuræ telluris, a perfecte ſphærica recedentis, in globis terreſtribus nullam haberi debere rationem. Cum enim, comparationibus inter varias menſuras inſtitutis, *Eulerus* repererit axem terræ ad diametrum æquatoris in ratione 201 : 202, in globo tripedalis diametri, differentia hæc duas lineas non excederet, cujus exigui diſcriminis cauſa inconvenientibus globorum ellipticorum ſe ſubjicere, operæ pretium non eſt. Nam & parallelus quivis alium horizontem poſtularet, & diſtantia inter loca, in globo exhibita, non poſſet, niſi adeundo intima Geometriæ ſublimioris penetralia, reperiri. Qui, hoc in negotio & in ſimilibus parum errari, dicit, globum ſphæricum ſupponendo, eo ipſo globo ſphæroidico carere nos poſſe confitetur. Deerunt vero in his globis omnia, vel ſuperflua, vel globorum uſum ad paucos annos reſtringentia, ut eclipti-

Digitized by Google

ca in terreſtri, circuli longitudinum, & declinationum in cœleſti; machina vero interiori globorum applicatur, exterius non conſpicua, qua cochleæ ope poli globi, in quibus ſuſpendit, circa polos eclipticæ moveri poſſunt, ut globus debitum in ſitum ſemper poſſit collocari. Meridianus vero, horizon, quadrans altitudinum, aliique circuli, ea accuratione fabricentur, ut in Problematibus, quæ globorum ope ſolvuntur, minuta circulorum haberi poſſint.

Altera Sectio, quæ globorum ſuperficies repræſentaturæ ſint, & quæ ad pretium pertinent, continet. Terreſtris globus nimia locorum multitudine non obſcurabitur. Quam enim inconveniens id exiſtat, colligi poteſt ex ſpecimine, partis triceſimæ ſextæ globi trium ped. Pariſ. quod libello adjectum eſt; igitur medium hic obſervabitur. Fontes vero, unde hauriuntur locorum poſitiones, indicantur, iique tales ſunt, quales ſeligere potuit Societas Coſmographica, hoc eſt, optimi. De Aſteriſmis dubitat adhuc Autor, ſintne imagines ita depingendæ, ut nobis, concavum cœlum ſpectantibus, videntur, an ut convexum contemplantibus eſſent appariturae, eamque rem magni *Euleri* judicio decidendam ſubjicit. Ceterum ex ferro debent globi fieri ſoliditatis gratia, quod, cum in centro gravitatis ſuſpenſi ſint, motui circa axem nil oberit, portatiles vero eſſe non debent; acus tamen magnetica hanc ob cauſam excluditur. Pretium globorum, ita deſcriptorum, eſt 500 florenorum imperii; fient autem & alii ſplendidiores, Horizonte meridiano & reliquis inſtrumentis, exactæ diviſioni deſtinatis, ex ſolido argento, reliquis ex ære inaurato. Horum pretium 3000 flor. indicatur, eruntque Regibus digni ac Principibus. Credit Autor, poſſe Societatem orientalem Batavam hos globos Regibus Indorum muneris loco offerre. Nos vero, ut de tam egregiis induſtrii Viri, & publico bono non minus quam ſcientiis promovendis, nati, *Lowizii*, inſtitutis impenſe lætamur, ita, ut omnia ex voto ſuccedant, faveantque, quos fautores ejuſmodi opera deſiderant, ſummi Reges atque Principes, ex animo vovemus.

PHAR-

Digitized by Google

PHARSALIA AND PHILIPPI, OR THE TWO Philippi in Virgil's Georgics, attempted to be explain'd and reconcil'd to hiſtorys, &c.

id eſt,

PHARSALIA ET PHILIPPI, SEU GEMINÆ Philippi Virgilii in Georgicis, quas illuſtrare, & cum vera conciliare hiſtoria, ſimulque veteres Poetas a falſo ipſis imputato crimine ignorantiæ hiſtoricæ in harum pugnarum negotio liberare, Epiſtolis aliquot, ad Amicum quondam privatim ſcriptis, nunc ejusdem Amici ſuaſu editis, voluit M HOLDSWORTH.

Londini, 1742, 4.
Plag. 8, Tabb. æn. 2.

Virgilii in *Georgic. I, 489*, hæc verba:

> *Ergo inter ſeſe paribus concurrere telis*
> *Romanas acies iterum videre* Philippi.
> *Nec fuit indignum Superis, bis ſanguine noſtro*
> *Æmathiam & latos Hæmi pingueſcere campos,*

valde exercuerunt Criticos, præſertim cum Poetæ multi melioris notæ, *Virgilio* poſteriores, ut *Manilius*, *Ovidius*, *Lucanus*, *Petronius*, ſublato quaſi ſigno, hunc ſecuti, iisque uſi fuerint verbis, quæ ſpeciem facerent, ac ſi crediderint, tam Pharſalicam *Pompeji* cum *Cæſare* pugnam, quam Phlippenſem *Antonii* cum *Bruto* & *Caſſio*, eadem in arena contigiſſe. Unde factum, ut Criticorum ætatis noſtræ alii eundem in errorem conjecti fuerint, alii, agnito Poetarum ab Hiſtoricis diſſenſu, majorem his fidem tribuerint, & *Virgilium* cum turba ſua ignorantiæ poſtularint reum, alii contra Hiſtoricos erroris & mendacii inſimulaverint. Hos componere tentat Noſter æſtus, quos monſtrat ex male intellecto *Virgilii*, quem citavimus, loco natos, dum non viderint, *Virgilium* non de una eademque urbe loqui, ſed de duabus, at iis cognomini-

 nibus,

Digitized by Google

nibus, quarum apud unam, Pharſalo vicinam, contigerit illa pugna, qua *Pompejus* omnem ſuam potentiam & majeſtatem perdidit; alteram in confiniis Thraciæ, apud quam percuſſores *Caſaris*, primum *Caſſius* & paulo poſt *Brutus*, ceciderc. Hoc inſtitutum *ſeptem Epiſtolis* ad *J. C.* Amicum noſter *Holdsworth* perſequitur, quas breviter percenſere nobis animus eſt.

Primum, poſtquam formaſſet & declaraſſet caput controverſiæ, monſtrat, æqualiter injuriam eſſe exiſtimationi veterum Autorum, ſive Poetarum, ſive Hiſtoricorum, talem accuſationem. Præſertim in *Virgilium*, ſummum Poetam, & *Auguſto* pariter atque *Horatio* familiarem, qui ambo pugnæ Philippicæ interfuerunt, non cadere ignorantiam rerum, ætate ſuæ geſtarum, tam illuſtrium, ut vel rudiſſimus quisque ignorare non potuerit, & tam gravium, ut de illarum eventu Romanæ ſors libertatis dependerit. Apud *Pharſalum* cum pugnaretur, *Virgilium* egiſſe annum ætatis 23, apud Philippos 29. *Horatium* quoque, pro familiaritate, quæ ambos Poetas intercedebat, procul dubio inter colloquia interdum de juvenili ſua militia *Virgilio* expoſuiſſe. Amicos etiam *Virgilii*, *Auguſtea* aulæ proceres, ut *Mecenatem*, non paſſuros fuiſſe, tam enormem errorem, & a viliſſimo quoque facile arguendum, in vulgus emanare, ſi talem in *Georgicis*, antequam ederentur, pro more luſtratis, deprehendiſſent. Hanc tamen *Virgilii* autoritatem impoſuiſſe non paucis, præcipue Lexicographis, *Hoffmanno*, *Morerio*, *Collierio*, *Ferrario*, *Baudrando*, & *Wellſio*, ut ambas in eadem pugnas arena collocarent: tam inconſtantes, ut alibi locorum ipſi ſibi contradicerent. Eundem errorem errarunt alii, quos *pag. 6* Noſter nominat, & recentiſſimi Hiſtoriæ Romanæ ſcriptores Galli, *Catrou* & *Rouillé*, qui *Appianum*, *Dionem Caſſium*, verbo Hiſtoricos omnes, ignorantiæ convincere, & *Virgilii*, quam ipſi affingebant, opinionem aſſerere, longo ſermone ſtuduerunt.

Hos refutaturus, *Epiſtola ſecunda* recitat pugnæ Philippicæ narrationem ex *Appiano*, tot inſignitam & oneratam circumſtantiis, ut, ſi vel præſens interfuiſſet, melius non potuiſſet deſcribere.

Ip-

Epiſtola tertia urget, *Suetonium* in *Tiberio* dicere, *eo per Macedoniam ducente exercitum in Syriam, accidiſſe, ut ſacratæ olim victricium legionum aræ ſponte ſubitis collucerent ignibus.* Jam vero, e Macedonia in Syriam non patere viam, niſi apud Philippos in confiniis Thraciæ. Porro urget, ſi campis in iisdem contigiſſet *Pompejii* clades & conjuratorum, procul dubio neque Romanos ſcriptores tam illuſtrem, & tam fertilem, oſtentandæ eloquentiæ locum fuiſſe prætermiſſuros, neque Græcos, qui ſuis in ſcriptis orationes tam duumvirorum, quam *Bruti* & *Caſſii*, prodiderunt. Si ominoſa conjuratis fuerit illa clade *Pompeji* celebris arena, e contrario futurum fuiſſe, ut auſpicata ſibi reputaretur, & animos ad pugnandum adderet eadem *Cæſarianis* militibus. Hujus autem rei ne minimum quidem uſpiam exſtare veſtigium. Allegat porro locum *Plutarchi*, quo dicit, *Auguſtum* ab *Antonio* ad ſingularem pugnam fuiſſe ante Actiacam provocatum; aut, ſi hoc detrectet *Auguſtus*, abire ſecum ad Pharſalum una cum copiis & periclitari juſſum, ubi quondam *Cæſar* & *Pompejus* decertarint. Jam urget, non fuiſſe omiſſurum *Antonium* commemorare, ſi clades conjuratorum quoque apud Pharſalum contigiſſet. Nihilo minus tam fuiſſe malæ fidei ſubdolæque aſtutiæ Francogallos, quos modo nominavimus, duumviros, ut, clariſſima *Plutarchi* verba contorquendo & pervertendo, fucum facere imperitis ſtuderent. Hæc enim *Plutarchi* verba: εἰ δὲ φεύγοι τοῦτο, περὶ Φάρσαλον ἥξειν τοῖς στρατεύμασιν, ὡς πάλαι Καῖσαρ καὶ Πομπήϊος, διαγωνίσασθαι, ſic vertunt: *Je ne refuſe pas même de livrer bataille dans les plaines de Pharſale, deja deux fois teintes du ſang Romain.* Improbum facinus: quod ſi licebit audere, poterimus quidlibet e veteribus exſculpere. Porro e *Plutarcho* & *Dione Caſſio* relationes de pugna conjuratorum cum *Antonio* allegat, quæ in aſſignandis locis cum *Appiano* conveniunt, e. c. e regione inſulæ Thaſi pugnatum fuiſſe, quod in campum Pharſalicum quadrare nequit. Simulque geographica quædam momenta diſcutit; & conjicit, memoratas *Appiano* Sapæorum anguſtias easdem eſſe cum ſic dicto poſterioribus temporibus Acontiſmate, quod *Ammianus Marcelli-*

cellinus memorat. Inquirit quoque, ubi fuerint anguſtiæ *Torpidi*, aut *Turpili*.

Quia tamen Franci illi duumviri *Virgilii*, *Ovidii*, *Manilii*, & *Lucani*, autoritatem autoritate *Appiani*, *Plutarchi*, & *Dionis Caſſii*, potiorem cenſebant, & illos veteres *Auguſto* æquales fere, Romanosque, appellabant, hos peregrinos & plus quam Seculo poſteriores, adeoque parum fide dignos, *Appianum* præcipue; neceſſe Noſtro erat, ut ejus ceterorumque fidem vindicaret. Quod *Epiſtola quarta* facit. Et primum quidem hoc urget, ſi peregrino, non Romano, in Romanis rebus habenda fides non ſit, fidem etiam *Lucani*, & forte *Manilii* quoque, cadere. Atqui, licet Itali non fuerint, fuiſſe tamen cives Romanos, exegiſſe magnam vitæ partem aut Romæ, aut in ejus vicinia, Latine calluiſſe, ſummos obiiſſe honores, quandoquidem *Plutarchus* ſub *Trajano* Conſulatum geſſerit, *Dio Caſſius* Senator per quadraginta annos & bis Conſul, *Appianus* quoque primum patronus, & deinceps cognitor atque curator cauſarum, Romæ fuerit. Nullum itaque illis præſidium ſcribendis rebus geſtis defuiſſe. *Appianum* ita deſignare celeberrimæ pugnæ apud Philippos campum, tanquam qui oculis uſurpaverit. *Dionem*, quoties e patria, Bithynia, Romam terra tenderet, non potuiſſe locum illum evitare. *Plutarchum*, Bœotum, Pharſalo fuiſſe vicinum accolam; unde probabile non ſit, virum tam φιλομαθῆ, tam doctum, qui Græciam totam peragravit, ut, Vitas illuſtrium Græcorum ſcripturus, archiva ſingularum urbium excuteret, in re tam manifeſta, & vel pueris nota, potuiſſe decipi. Ad objectionem, eos eſſe ætate pugnæ Philippicæ multum poſteriores, opponit: ſi fidem negare velimus Hiſtoricis, antiquiorum temporum res perſcribentibus, anguſtam fore cognitionem hiſtoriarum, neque ultra ſua quemque tempora quidquam intellecturum. In hac quæſtione ſolummodo de eo agi, num habuerint Hiſtorici noſtri aptam & ſufficientem hiſtoriæ condendæ materiem, potuerintque ſe vera notitia rerum, quas ſcribere audebant, inſtruere; tum ſintne in errorem non animadvertentes delapſi; tandem an malo animo dataque opera mendacia, ſuo conficta ingenio,

genio prodiderint. Atqui multos fuiſſe *Auguſto* æquales, qui res ejus amplis voluminibus conſignarint. Ipſum *Auguſtum* commentarios edidiſſe de rebus ſuis; quos frequenter memoret *Plutarchus*, & quorum fragmentum *Appianus Lib. IV Bellor. Civil.* afferat. Concedit, contingere potuiſſe, ut nominum ſimilitudine decepti Hiſtorici crediderint, ea, quæ apud Philippos Theſſaliæ acciderant, apud Philippos Macedoniæ ſeptentrionalis accidiſſe. Sed in tali commiſſo errore fieri fortuito negat potuiſſe, ut locorum, montium, marium, fluviorum, inſularum, ſitus exacte narrationi congruant; aut ſtatuendum, omnes illas minutas circumſtantias ideo confictas ab Hiſtoricis fuiſſe, ut errori & *ἀσφαλείᾳ* ſuæ velum prætenderent. Quod aſſerere, quæ frons foret? Et nihilo minus tamen Galli audent ſcribere: *Cet Ecrivain Grec* (Appien) *qui vivoit en des tems bien poſterieurs, s'eſt imaginé, que la Philippe de Macedoine avoit ſervi de ſcene à la victoire d'Octavien & d'Antoine. Pour donner une couleur de verité à ſa prétention il a feint des campemens, des marches, & des ſituations de lacs, de montagnes, & de rivieres au confins de la Macedoine & de la Thrace.* Quo non abripit homines aſſumtæ ſemel opinionis amor! Cum autem, ſi falſa nobis retulerunt Hiſtorici, non retulerint inopia occaſionis verum diſcendi, neque præcipitatione, aut inadvertentia, ſed ſolo conſilio, quid, quæſo, impulerit noſtros Hiſtoricos, ait, ad confingenda mendacia de temporibus non ſuis, ſibi prorſus inutilia. Poſſe magis in æquales temporum ſcriptores aut adulationis, aut malevolentiæ, ſuſpicionem cadere, quam in poſteriores rebus geſtis. Eſſe quidem in *Appiano*, quæ ſe doctis non approbarint, ea vero, quæ Galli ipſi exprobrarint, neminem exprobraſſe alium. Abſurdum fuiſſe impoſtorem *Appianum*, ſi nota in re maluiſſet mentiri, quam in minus nota, ut in Syriacis, Punicis, Mithridaticis, ubi tutius potuiſſet fallere, & latere. Poſtquam itaque monſtravit, Hiſtoricos neque ſcientiæ, neque diligentiæ, defectu, neque malitia, erraſſe, invertit argumentum Noſter, &, potiori jure Poetas haberi ſuſpectos poſſe, docet, ut quorum ſit opus, fictiones & paradoxa ſectari.

Pp pp His

His præmiſſis, tandem ad rei caput *Epiſtola quinta* devehitur *Holdſworthus*, &, totam hanc, tanta animorum contentione agitatam, controverſiam meram, evincit, eſſe logoſciomachiam. Non animadvertiſſe interpretes, *Virgilium* duas diverſas & multum diſtantes urbes, ſed utramque Philippos dictam, in mente habuiſſe. Tria potiſſimum hæc argumenta probat: duas fuiſſe Philippos, apud quarum unamquamque fuerit pugnatum; utramque fuiſſe in Macedonia, cujus antiquum nomen erat Æmathia, ſitam; et utramque tandem ad pedem montis Hæmi.

Philippos ad confinia Thraciæ, & Strymonem fluvium, prope Amphipolin, olim geſſiſſe antiquum nomen *Datum*, & deinceps *Crenides*, donec tandem a *Philippo*, *Alexandri M.* patre, *Philippi* appellaretur. Aliam vero minorem urbem Theſſaliæ Phthiotidis apud Pharſalum exſtare, quæ olim Thebæ Phthiotides, aut Thebæ Theſſalæ, audierit, deinceps Philippolis, & contracte *Philippi*, a *Philippo*, filio *Demetrii*. Hanc poſteriorem urbem non tantum Philippolin, ſed etiam Philippos, dictam fuiſſe, probat ex allegatis *Lucani*, *Statii*, *Sidonii Apollinaris*, & *Stephani Byzantini*, teſtimoniis. Poſt hæc de variis nominibus & ſpatiis atque terminis Macedoniæ agit; monſtratque, olim Philippos ad Amphipolin, non ad Macedoniam, ſed ad Thraciam, pertinuiſſe, poſt victum vero *Perſeum* a Romanis cum toto illo tractu, qui Strymonem & Neſſum interjacet, Macedoniæ fuiſſe adjectam, tractumque illum accepiſſe nomen Macedoniæ primæ. Hinc impenſe laudat aſſeritque *Jo. Clerici* procul dubio certiſſimam emendationem *Actor. Apoſtol. XVI, 12*, in quibus Philippi urbs audit πρώτης μερίδος τῆς Μακεδονίας πόλις (non, ut vulgo male circumfertur, πρώτη τῆς μερίδος,). Theſſaliam quoque Macedoniæ fuiſſe a Romanis additam, quamvis incertum ſit, quo tempore. *Ptolemæum* certe omnes Theſſalas urbes, & in his præcipue Thebas Phthiotidas, (aut Philippos,) expreſſis verbis Macedoniæ annumerare. Quod autem *Cæſar* Theſſaliam a Macedonia diſtinguat, id ab eo factum ſtudio perſpicuitatis, & antiquæ diſtinctionis amore, quemadmodum Angli ſæpe *Wales*

&

& *England* tanquam diſtinctas provincias etiamnum citent, quæ tamen jam dudum in unum regnum coaluerint. *Lucanum* claris verbis *II, 250*, Pharſaliam appellare *Emathidu*, & campum, in quo *Pompejus* & *Cæſar* colliſerunt, annumerare *Macetûm terris*, *verſ. 2.* Tandem Hæmum non fuiſſe brevem & anguſtis limitibus circumſcriptum montem, ſed magnam & multijugam montium catenam, inſtar Caucaſi, Tauri, Pyrenæorum, Alpium, &c. *Strabonis* epitomator, Hæmum, perhibet, ab Euxino mari ad Adriaticum usque, & per Theſſaliam ad Græciæ limites, excurrere. *Lucanus* ſub finem *Libri I*, pugnam Pharſalicam pugnatum iri, vaticinatur, apud *latos Hæmi ſub rupe Philippos.* Conf. *X*, *449*, & *VI*, *576*.

Confectis & demonſtratis his capitalibus, quæ reſtant minutiora, *ſexta* & *ſeptima Epiſtola* Autor perſequitur. Illa quidem, quare *Virgilius* utrique pugnæ unum idemque nomen deligere & attribuere maluerit. Scilicet eum omen fuiſſe ſectatum, & indicare voluiſſe, quod *Auguſtus* in Philippicis campis cædem ultus fuerit ſui patris, qui campis in Philippicis, at aliis, *Pompejum* vicerat. Allegat quoque *Lipſium* & *Iſ. Voſſium* ad *Vellej. II, 70*, qui *Virgilium* eodem prorſus modo, atque Noſter, etſi non tam luculenter, defenderunt. Quia vero hi duumviri ſolum excuſarunt *Virgilium*, ceteris Poetis, ut *Manilio*, veniam non fecerunt, eos interpretari, & cum hiſtoria conciliare, ſtudet Noſter *Epiſtola ſeptima*, eaque ultima; & præcipue *Florum*, ut qui jam a tragico & ampulloſo mirabiliumque ſtudioſo, & ob brevitatis ſtudium ſocorde, neque ſatis, ut par erat, diligente, ſcribendi genere non admodum bene audit. Nos, qui jam præter juſtum longi fuimus in recenſendo modico libello, Lectores non amplius morabimur, ſed ad ipſum, ut patet ex recenſione noſtra, non contemnendum, opuſculum remittimus.

MISCELLANEA HISTORIÆ PHILOSOphicæ, literariæ, criticæ, olim ſparſim edita, nunc uno faſce collecta, multisque acceſſionibus aucta, &

 emen-

emendata, a JACOBO BRUCKERO, Academiæ Scientiarum Berolinenſis et Bononienſis Membro.

Auguſtæ Vindelicorum, typis & impenſis hæredum Jo. Jac. Lotteri, 1748, 8 maj.

Alph. 1 plag. 17.

Novo igitur, eoque longe gratisſimo, civitatem literariam munere devinxit ſibi *Bruckerus*, Celeberrimus Vir, cujus *Hiſtoriam Philoſophiæ criticam*, pulchrum illud ſtupendæque induſtriæ opus, aliquot abhinc annis omnibus, qui hæc noſtra legunt, merito commendavimus. En enim uno nunc collecta volumine minora ingenii politisſimi ſpecimina offert, quæ vel ſeorſim prodierant jam pridem, vel in diverſis Diariis, *Miſcellaneis* nimirum *Lipſienſibus*, cum a *Petzoldo* quondam, tum inde ab aliquot annis a Collega noſtro, *Menckenio*, editis, *Amœnitatibus Schelhornii literariis*, *Miſcellaneis Berolinenſibus*, *Tempe*que *Helvetica*, ſuum nacta locum fuerant. Nec tamen exhibet Vir præſtantisſimus hæc ipſa opuſcula, uti olim in dias luminis auras emiſit, ſed uſu potius & continua lectione meliora edoctus, mutavit prudenter, & addidit haud pauca, ſummoque curavit ſtudio, ut majores exinde fructus perciperent, quicunque nec diſciplinas philoſophicas, nec literas elegantiores, adſpernantur. Tota Collectio *tres Partes* continet, quarum *prima* Hiſtoriam Philoſophiæ illuſtrat. Agitur hic *de Pyrrhone, Scepticiſmi univerſalis macula abſolvendo; de falſa virtute, exemplo Alexandri M. demonſtrata; de convenientia numerorum Pythagoræ cum ideis Platonis*, ad Autoris ſupplendam de ideis hiſtoriam, cui ſtatim opuſculo alia ejusmodi *Supplementa* adjuncta ſunt; *de providentia Stoica*, ſingulari ad Celeb. *Schelbornium* Epiſtola; *de Stratonis Lampſaceni atheiſmo*, Diſſertatione epiſtolari, ad *Jo. Jac. Zimmermannum* perſcri-

ſcripta; *de ſecta Elpiſtica, ſive Sperantiorum; de veſtigiis Philoſophiæ Alexandrinæ in libro Sapientiæ;* ac tandem *de Stoicis, ſubdolis Chriſtianorum imitatoribus.* In *Parte altera,* quæ non vulgaria Hiſtoriæ literariæ argumenta complectitur, occurrunt *Electa epiſtolica,* ex commercio literario virorum doctiſſimorum cum *Theophilo Spizelio,* Rever. Miniſt. Auguſtani Seniore, quibus accedit *Mantiſſa hexados Epiſtolarum,* a Viro ſummo, *God. Guil. Leibnitio,* ad eundem exaratarum; *de Davide de Auguſta,* Ordinis F. F. Minorum Monacho, ex tenebris Seculi XIII eruto, Commentatio; *Notitia rariſſimæ verſionis Germanicæ libri Pſalmorum,* a D. *Ottomaro Nachtigallo, ſive Luſcinio, confecta;* Obſervatio *de verſione Italica Hypotypoſeon Philippi Melanchthonis,* qui liber adeo rarus paucisque viſus eſt, ut viri etiam in Hiſtoria literaria verſatiſſimi eum inter libros fictitios, & ex errore tantum, vel fabula quadam, enatos, retulerint. Sequuntur *Vita Matthiæ Schenckii, Gymnaſii ad D. Annæ, quod Auguſtæ Vindelicorum eſt, primarii; Synopſis vitæ Hieron. Wolfii, Gymnaſii Auguſtani Ephori, ab ipſo ſcripta;* Spicilegium ad proluſionem, hiſtoriæ vitæ *Occonum* præfixam, de Medicis Auguſtanis, Seculo XVI celebribus, exhibens *Vitam Jeremiæ Martii, Phyſici Auguſtani;* Programma, vernacula olim lingua concinnatum, jam vero Latine redditum, inſigniterque auctum, *de meritis illuſtriſſimæ gentis Fuggeriadæ in literas;* Obſervatio *de vita & ſcriptis Achillis Pirminii Gaſſeri, Lindavienſis, Med. Doct. ac Poliatri Auguſtani;* Diſſertatio epiſtolaris *de meritis in rem literariam, præcipue Græcam, Davidis Hœſchelii, Gymnaſii ad D. Annæ Auguſtæ Vindelicorum quondam Rectoris, & Reipublicæ Bibliothecarii;* Diſſertatio itidem epiſtolaris *de MSto quodam, quod Georg. Remus, JCtus Noricus, ſub titulo ἡ ἀριστοπολιτεία, ſeu de optimo reipublicæ ſtatu, quondam confecit,* quodque in tenebris huc usque delituit; *Elogium illuſtris Viri, Lucæ Schrœckii, Academiæ Impe-*

rialis Nat. Curioſ. Præſidis; Commentatio *de vita & ratione ſtudii literarii venerandi ſenis, Phil. Jacobi Crophii, Rectoris nuper Gymnaſii Auguſtani, ac Bibliothecarii publici*; &, quæ agmen claudit, Obſervatio *de Advocatis celeberrimæ S. R. I. liberæ civitatis, Auguſtæ Vindelicorum. Pars* Miſcellaneorum *tertia* Philologiæ artique criticæ conſecrata eſt, & primum quidem Reverendus Autor ſuam exponit ſententiam *de dubio ſenſu verborum Joelis Cap. II commate 23*, deinde *Joannis locum Cap. XII commate 32* obſervatione exegetica interpretatur, & ex ritu veterum, vexilla in altum extollendi, lucem ei affundit clariſſimam. Tum *Paulina* verba in *Epiſt. ad Epheſ. Cap. II commate 1 & 2* ex Philoſophiæ Alexandrinæ placitis conſiderat, quæ philoſophandi methodus jam Apoſtoli hujus tempore Epheſi cultores ſuos nacta quam maxime fuerat. Poſt exhibentur *antiquorum, quæ Auguſtæ Vindelicorum exſtant, & a Marco Velſero ad calcem rerum Auguſto-Vindelicanarum edita ſunt, Supplementa*, ex ipſo *Velſeriano* Codice deſumta. Ad extremum Celeberrimus *Bruckerus* ſcripto ſingulari, *Q. Curtium Rufum adoleſcentibus ad imitandum proponi haud debere*, aſſerit, idque eam ob cauſam, quoniam non ſolum declamatorio utatur dicendi genere, ſed iis etiam virtutibus deſtitutus ſit, quæ ad boni Hiſtorici partes ſpectant. Vides igitur, Lector, quanta bonæ frugis ſupellectile hæc inſtructa ſit Sylloge, a Viro adornata, quem ſuſpiciunt Muſæ, atque in oculis ferunt. Tu bene precaberis eidem, optabisque nobiſcum, ut, quam per partes divulgare, multisque locupletare obſervationibus, conſtituit *Collectionem rariorum opuſculorum, a præſtantiſſimis Viris editorum olim, & philoſophicam Hiſtoriam mirifice illuſtrantium*, eam propediem, communi literarum emolumento, ſuis elabi ſcriniis patiatur.

LES COMEDIES DE TERENCE PAR MADAME DACIER, avec des Notes Françoiſes, &c.

hoc

hoc eſt,

COMOEDIÆ TERENTII, EX EDITIONE ET CUM Notis DACIERIÆ; quibus Notis adjectæ ſunt aliæ Germanicæ, explicantes Proverbia, Gallicismos, Idiotiſmos, & alias dictiones difficiliores. Curavit hanc editionem in uſum illuſtris nationis Germanicæ FRANC. JAC. THIOLOSANUS, olim Linguæ Gallicæ in Gymnaſiis illuſtribus, quæ ſunt Baruthi, Geræ, & Vinariæ, Prof. P. nunc publice hanc linguam in celeberrima Academia Halenſi docens.

Lipſiæ, apud hæredes Lanckiſii, 1751, 8.

Plag. 9.

Linguam Gallicam ævo hoc noſtro non jucundam modo ac deamatam eruditis pariter ac indoctis hominibus Germaniæ noſtræ eſſe, verum quoque notitia ejus neminem fere carere velle, aut abſque detrimento poſſe, experientia jam dudum confirmata eſt veritas. Hinc neceſſarium omnino eſt, ut boni, & ad diſcendam elegantem hanc linguam utiles, libri tironum ac provectiorum in manus tradantur, e quibus tum hauriri illius ſcientia, tum excoli confirmarique commodiſſime, queat. Ex horum numero ſunt *P. Terentii Afri* Comœdiæ ſex, ſingularem elegantiam & ornatum ſpirantes, quippe quæ locutiones conſuetas & familiares ubique Latino exprimunt ſermone. Nec minus feliciter doctiſſima *Dacieria* has Latii elegantias vernaculo ſuo ſermone, ſeu Gallico, pro illa, qua pollebat, ingenii judiciique acrimonia, donavit. Inde factum eſt, ut hæc ipſa *Dacieriana* converſio, ex quo civibus Germaniæ noſtræ innotuit, avidiſſime ambabus, quod dicitur, arrepta ſit manibus, maxime nimirum ad addiſcendam & exercendam linguam Gallicam utilis & commoda, ideoque ab illis, qui eam docent, præ ceteris libris commendata. Nec id immerito. Præripit enim elegantiſſimus libellus noſter reliquis fere hujus generis omnibus facile palmam, utpote qui non tironibus tantum, verum provectioribus quoque, præclaram affert utilitatem. Namque diurna nocturnaque verſantes illum manu id commodi exinde percipiunt, ut accurate eleganterque, in ſermone tum familiari, tum in epiſtolis ſcribendis, animi ſenſa exprimere valeant, quoniam paucula admodum erunt, in converſatione quotidiana rebus

busque humanis obvenientia, quæ in hiſce ſex Comœdiis non occurrant, ſaltem attingantur. Sua itaque laude non defraudandus eſt eruditiſſimus atque præclarus Vir, *Franciſcus Jacobus Tholoſanus*, qui novam hanc utiliſſimi opuſculi editionem curavit, notisque ſuis Germanicis, in uſum gentis Germanicæ, ſicut ipſe in libri inſcriptione monet, admodum locupletavit. Nec hoc quemquam inficias iturum credimus, qui libellum hunc in manus ſumſerit, aut perlegerit attente. Annotatiunculæ nimirum iſtæ ſenſum locutionum difficiliorum proverbiorumque aperiunt, Gallicismos & Idiotiſmos, quibus lingua Gallica a vernacula noſtra differt, aut abit, in quibusque homines noſtri haud raro offendunt, una cum Adverbiis, egregie explicant, nec non differentiam dignitatum Romanarum a noſtris docte explanant. Ita, ut quædam ſaltem adducamus ſpecimina, nominis *garçon* ſignificatum *pag.* 7, differentiam inter *courtiſan* & *courtiſane pag.* 161, 164, 542, *rien* pro *quelque choſe* uſurpatum *pag.* 299, particulam *ne* affirmativo ſenſu quandoque gaudentem *pag.* 579, nec non τȣ *tantôt* uſum triplicem *pag.* 13, particularum quoque *auſſi* & *non plus* diſcrimen *pag.* 542, locutionem *aller au devant de quelque choſe* & - - - *de quelqu' un pag.* 64, Gallicismi *eſt-ce que* uſum *pag.* 595, quomodo *Ediles* Romanorum & noſtri *Baumeiſter* ſint diſtincti, *pag.* 573, & *la vie de Terence pag.* 5, hisque multo plura, breviter quidem, ſed clare & perſpicue, evoluta legimus. In ſingulis vero his multum ingenii acrisque judicii, nec non experientiæ, per quadraginta annorum uſum, quibus hanc ſuam vernaculam in diverſis Gymnaſiis illuſtribus, videlicet Baruthino, Gerano, Vinarienſi, hodieque in Academia Halenſi, Profeſſor publicus cum fructu docet, acquiſitæ, commonſtravit. Præterea, quod in Gallo præcipue mirandum, notulas hasce puriſſimo nitidiſſimoque ſtilo Germanico confecit, quod præ reliquis libello huic ornamento eſt eximio. Cumque tandem opuſculum nitide, quod ad formas æque ac chartam ſpectat, correcteque ſit excuſum, non poſſumus non ceteris elegantioribus *Terentii* Gallici editionibus ſummo eam jure adjungere, ſingulisque eam Gallicæ linguæ amatoribus de meliori commendare.

✡ ✡ ✡

NOVA ACTA ERUDITORUM,

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris Anno MDCCL.

SUMMUM ROMANÆ APOSTOLICÆ SEDIS Privilegium quoad evocationes ac appellationes Germanicas, Anglicas, Belgicas, Opus eximii ac doctiſſimi Patris Magiſtri CHRISTIANI LUPI, *Iprenſis, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, Sacræ Theologiæ Doctoris, ac Lovanii Regii Profeſſoris primarii, nunc primum e tenebris erutum.*

Bononiæ, typis Longhi, impreſſoris Archiepiſcopalis, 1742, fol.

Alph. 3 plag. 7.

Quantumvis provocationes a ſententiis Epiſcoporum & Synodorum ad curiam Romanam, Eccleſiæ antiquæ & puriori prorſus incognitæ, per Concilium Sardicenſe primum, non ſine maxima aliorum contradictione, inventæ, & tandem per pſeudo-decretales *Iſidori* Epiſtolas, ac *Gregorii VII Dictatus*, ſtabilitæ fuerint, adeoque omni idoneo fundamento prorſus deſtituantur, uti ex ipſiſmet Pontificiis viri literatiſſimi, ſigillatim *Eſpenius P. III Jur. Eccleſ. Tit. 10 Cap. 1, Du Pinius de Diſcipl. Eccl. Diſſert. II*, nec non *Petrus de Marca de C. S. & I. Lib. VI Cap. 14*, data opera demonſtrarunt; non tamen defuerunt curiæ iſtius gnathones, quos inter *Lupus*, Iprenſis, libri, cujus notitiam nunc dabimus, Autor, præcipue referendus eſt, qui, gratiam Pon-

Pontificis aucupantes, nubem pro Junone libenter amplexi ſunt, & ex fontibus putidis, rationibusque nullius momenti, illud ipſum Sedis Apoſtolicæ privilegium defendentes, ea in re, ex doctiorum judicio, parum feliciter ſunt verſati. Etiamſi vero illi ſcriptores aliquam nugarum, quas egerunt, veniam mereantur, quippe quorum ætas in illa incidit tempora, in quibus antiquitates eccleſiaſticæ nondum ſatis illuſtratæ, neque eruditorum Bibliothecæ tot exaſciatis hoc in genere Commentariis inſtructæ erant, quot quidem hodie oſtendi ſolent; non tamen eadem venia *Lupo* pariter, ac *Thomæ Philippino*, Monacho S. *Auguſtini*, qui has ipſas *Lupi* lucubrationes primum typis exſcribi curavit, & hoc pacto orbem eruditum chartis inanibus, nil niſi antiquas & dudum exploſas continentibus fabulas, oneravit, concedenda eſt. Profecto enim & *Lupi* famæ, & curiæ Romanæ juribus, multo melius foret conſultum, ſi quidem iſtæ & ſimiles lucubrationes, æternis oblivionum tenebris involutæ, tineis & blattis relinquerentur, cum perverſa ejusmodi jurium Papalium defenſio malam cauſam, & infirmas rationes, quibus illa nititur, eo facilius lectorum animis inſinuet. Non interim ipſemet *Philippinus* proprio motu hanc operis editionem in ſe ſuſcepit; ſed, ut ipſe in Præfatione nos docet, *Sebaſtiani Antonii Tanaræ*, Purpurati Eccleſiæ Romanæ Præſulis, juſſu hoc fecit. Ne autem fortaſſis juſto acrior, atque in *Lupum* pariter, ac ejus editorem, iniquior, videatur, quam de libri hujus pretio tulimus, ſententia, atque appareat, illum ſine omni ordine, delectu, & elegantia, eſſe conſcriptum, age, contenta nunc ejus more noſtro exponemus. Sub initium nempe operis, ſe Belgarum privilegiis neutiquam hoc pacto derogatum ire, affirmans Autor, antiquiſſimis jam temporibus religionem Chriſtianam in illis terris prædicari ſueviſſe, fuſe demonſtrare ſatagit. Mores dein vim legis ſæpiſſime in rebus ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus obtinuiſſe, exemplis ideo coacervatis, obſervat. Conſuetudines interim, quæ appellationes ad curiam Romanam mutilant, aut evertunt, tanquam juri divino contrarias, pro irritis habendas eſſe, inculcat, & his quidem verbis, quæ adſcri-

Digitized by Google

adſcribere ipſa juvat, mentem ſuam elegantiſſime, ſi Diis placet, exprimit: *Hocce privilegium non ab homine, aut ſynodali Canone, ſed ab ipſo Jeſu Chriſto, eſt; ideoque, quisquis ipſum arietat, ipſum arietat Evangelium.* Cumque, conſuetudinem, adeo ex ejus ſententia perverſam, in Belgio nunquam obtinuiſſe, pro certo ſumat; hinc, privilegiis Belgarum lucubrationibus hiſce nullum afferri detrimentum, colligit. Jam, ſi quidem juſtum ordinem ſequi voluiſſet Autor, fundamentum, quo iſtud, quod tantopere celebrat, curiæ Romanæ privilegium nititur, ipſi demonſtrandum, ac, per Secula eundo, ex ultima antiquitate repetendum erat. At enim vero usque adeo a recto tramite is aberravit, ut a temporibus *Gregorii VII*, ſub quo, notum eſt, durum Pontificum imperium ad ſummum perveniſſe faſtigium, ab his, inquam, ipſis temporibus differere incipiens, *Lanfrancum*, Cantuarienſem Archiepiſcopum, ab iſto Pontifice, ad pallium capeſſendum, Romam evocatum eſſe, narret, &, hoc pacto neſcio quod robur ſuæ ſententiæ afferri, credat, quamvis, illam ipſam evocationem effectu fuiſſe deſtitutam, cum Rex *Wilhelmus* hiſce auſibus ſe opponeret, non diffiteatur. Pag. 7.
Idem ſentiendum eſt de *Anſelmi*, ejusque ſucceſſorum, evocatione, Romam facta, de quibus Autor admodum longam, & tædii pleniſſimam, ſerit fabulam, cum profecto non, quid in triſtiſſimis illis temporibus de facto acciderit, verum quid de jure fieri debuerit, quæratur. Neque etiam Autor motus, a Regibus Angliæ eapropter excitatos, tacet, &, quamvis, hiſce Regum contradictionibus non obſtantibus, Sedem Romanam iſtud jus uſurpaſſe, ample contendat, hoc tamen ejus 12 ſeq.
ſententiæ parum velificari, nobis perſuaſum eſt. Eccleſiam quidem Romanam recte & jure in eo feciſſe, is ſtatuit; probationis tamen loco nullum affert argumentum, ſed obſcurorum quorundam hominum, qui, ſuperſtitione iſtorum temporum plane excæcati, omnia ad nutum Pontificis componebant, eſſata inutili & miſera diligentia corradit. Provocationes ad cu- 22.
riam Romanam in Sicilia quondam in uſu fuiſſe, ample demonſtrat, quamvis ſpecimina *Gregorio M.* antiquiora hanc in rem afferre nequeat. Turbas, ideo a Normannis Siculorum 33

Pag. 39. Principibus excitatas, non diſſimulat, per pacem, inter *Wil-*
helmum, Siciliæ Regem, & Pontificem *Hadrianum IV* A. 1157
factam, demum compoſitas, cujus pacis conditiones Autor in-
41. tegras apponit, unde, jus appellandi Pontificem ſine conſen-
ſu Regis, neutiquam Siciliæ Præſulibus fuiſſe conceſſum, liqui-
do apparet. Quamvis autem *Hadrianus* in has ipſas pacis
conditiones conſenſerit, & in confirmatione ejus declaret, ſe
in hanc pacis formam libera ac ſpontanea voluntate deveniſſe;
Autor tamen, *Baronium* preſſe ſecutus, contendit, ab *Hadria-*
no invito hæc verba extorta eſſe, neque illam declarationem
juribus Papalibus aliquid derogare. Argumentatio, qua hanc in
rem utitur, ingenio hominis, Pontifici plane dediti, egregie
convenit. Papam nimirum Romanum omnium Epiſcopo-
rum caput eſſe, pro certo ſumens, eum juri provocationum
ſuſcipiendarum, tanquam præcipuo Apoſtolici primatus fun-
damento, renuntiare non poſſe, concludit. Imo, violento
modo hoc ipſum privilegium ab *Hadriano IV* extorſiſſe *Wil-*
helmum, Siciliæ Regem, multis verbis demonſtrare annititur.
44. Hac etiam occaſione data, celebratiſſimam illam *Siciliæ*
45. *monarchiam* ſub incudem revocat, privilegium *Urbani II*,
uti vulgo legitur, mutilum eſſe, & ex vero ejus exem-
plari, quod *Baronius* habuit, palam fieri, neutiquam tot jura
Siciliæ Regibus fuiſſe conceſſa, ſicut plerique credunt, conten-
46. dens. *Fridericum II*, ejusque in regno Siciliæ ſucceſſores,
privilegium, de quo agitur, curiæ Romanæ reddidiſſe, ur-
get, quamvis ipſemet non diffiteatur, *Innocentium III Con-*
ſtantiæ Imperatrici, ejusque filio, *Friderico II*, regni Siculi
inveſtituram tam diu denegaſſe, usque dum illud privilegium
49. ab illis extorſiſſet. Turbas etiam, inter Siciliæ Reges ac Ro-
manam curiam eapropter agitatas, non præterit. Cum *Hen-*
ricus II, Angliæ Rex, adverſus curiam Romanam exemplum
Stephani, Regis Hungariæ, urſerit; Autor, huic objectioni ob-
viam iturus, *Stephanum* iſtum non modo Regem, verum &
Apoſtolum, Hungarorum fuiſſe, dictitat. Eundem dominium
directum regni ſui in curiam Romanam transtuliſſe, conten-
dit, eam rem ex *Gregorii VII* Epiſtola quadam confirmans,
eum-

Digitized by Google

eumque proinde jus impediendi Romanas appellationes, aut Pag. 52.
evocationes, non habuiſſe, concludit. Jus provocandi ad cu- 54.
riam Romanam primum ab *Ariana* factione, contra *Atha-*
naſium depugnante, in dubium eſſe vocatum, cenſet. *Athana-* 56.
ſium nempe, in Galliam relegatum, ad *Julium Romanum*, pro-
vocaſſe, illumque Pontificem appellationem recepiſſe, ac par-
tibus Romæ diem dixiſſe, commemorat. Id quod ſi vel
per omnia verum eſſet, ipſemet tamen Autor vel invitus
confiteri cogitur, factum illud *Julii*, tempore Concilii Sardi-
cenſis perpetratum, novum plane & adhuc inauditum
fuiſſe, *Euſebianos*que adeo Epiſcopos, *Athanaſii* adverſarios, 57.
illud penitus improbaſſe. Cum vero *Euſebiani*, omnes me-
tropolitanos ſui juris eſſe, rectiſſime contenderent, iſtiusque
ſententiæ præſidium in Canone ſexto Concilii Nicæni quære-
rent; Autor, Canonis illius peculiare caput primatum Eccleſiæ
Romanæ tribuere, illud caput in quibusdam Canonis editioni-
bus deprehendi, a Græcis vero mala fraude demtum eſſe, ur- 61.
get, Canonem inſuper, non de juribus Eccleſiæ Romanæ, ſed
Alexandrinæ, loqui, nec appellationum, ſed ordinatio-
num, cauſa confectum eſſe, contendit. Quicquid horum
ſit, additamentum certe Canonis, quod Autor fingit, in opti-
mis ejusdem editionibus exulat, inſuperque omnem poteſta-
tem eccleſiaſticam Alexandrini & Antiocheni Præſulis in
eodem ſtabiliri, eosque adeo Epiſcopo Romano æqua-
les cenſeri, ipſa Canonis inſpectio ad oculum declarat, &
confutari vix meretur Autor, quando, Romanas appella-
tiones atque evocationes a Concilio Nicæno confirmatas
fuiſſe, perhibet. Neque magis audiendus eſt, ubi, Canones
Concilii Conſtantinopolitani I, in quantum Conſtantinopoli-
tanis Præſulibus proximum ab Epiſcopo Romano locum tri-
buunt, & ordinem judiciorum eccleſiaſticorum conſtituunt,
neutiquam recepiſſe Eccleſiam, contendit. Quamvis enim ex 68.
vero tradat, *Leonem I* Papam iſtis ſe oppoſuiſſe Canonibus;
cogitare tamen ſimul debebat, hoc eo tempore eſſe factum,
quando jam erigere ſe incipiebat Romana curia, atque
Damaſum, qui tempore coactæ iſtius Synodi Romæ ſedebat,

una cum ſucceſſoribus, usque ad *Leonem*, Canonibus iſtis neutiquam contradixiſſe, id quod, quantum ad ipſum *Damaſum* attinet, ex Epiſtola ſynodica Concilii Conſtantinopolitani, ad eum ſcripta apud *Theodoritum H. E. Lib. V Cap. 9 edit. Cantabrig. pag. 203*, haud obſcure intelligitur. Imo, univerſam Eccleſiam Canones Conſtantinopolitanos, novæ Romæ privilegia conſtituentes, comprobaſſe, dubium non eſt. Profecto enim Chalcedonenſe Concilium eam ſanctionem diſertis verbis confirmavit *Act. XV Can. 28* apud *Harduinum Tom. II pag. 614*. Codici Canonum Eccleſiæ univerſæ eandem quoque inſeruit *Dionyſius Exiguus*. Fruſtra inſuper decreta iſtius Concilii Autor invadit, eorumque injuſtitiam accuſat, cum profecto talibus hanc in rem utatur argumentis, quorum vanitas, ſi res ita ferret, & hujus loci anguſtia permitteret, demonſtrari poſſet facillime. Ut unico duntaxat verbo eandem detegamus, diſplicet Autori, Canonem ſextum Conſtantinopolitani Concilii cauſas Epiſcoporum, quibus dirimendis metropolitani pares non ſint, ad majorem Synodum diœceſeos iſtius Epiſcoporum deduci jubere, talesque cauſas ad primatem potius *Patriarcham* & Papam deferendas fuiſſe, cenſet. Adeo ſcilicet ignarus fuit Hiſtoriæ eccleſiaſticæ Noſter, ut, patriarchalem dignitatem tempore iſtius Concilii adhuc ignotam, multoque ſerius introductam fuiſſe, neſciret. Reliqua itidem omnia, quæ hanc in rem afferuntur, aut hujus loci non ſunt, aut omni fundamento carent, aut etiam ea, quæ præter jus curia Romana tentavit, argumenti loco narrant. Hine, licet in prima Chalcedonenſis Synodi actione legati Epiſcopi Romani *Dioſcorum Alexandrinum* inter reos ſtare voluerint, *quod Synodum auſus eſſet facere, ſine autoritate Sedis Apoſtolicæ*, graviter tamen & præclare monuit *Edmundus Richerius Hiſtor. Concil. gener. Lib. I Cap. IV §. 26*, non attendenda eſſe ea, quæ legati Romani per jactantiam dixerunt, verum quod ſynodice in Conciliis fuerit decretum, cum præſertim ipſa illa Chalcedonenſis Synodus, ad quam provocatur, invicta poteſtatis Imperatorum in Sedem Romanam præbeat documenta. Ipſemet enim *Leo*, Papa, Synodum illam autoritate Imperato-

Pag. 68.

ris

ris indictam eſſe, profeſſus eſt, apud *Jo. Harduinum Tom. II pag. 47*, & Imperator *Marcianus* eidem *Leoni* in literis, ad eum datis, ſignificavit, Epiſcopos convenire debere ad locum Concilio congregando aptum, *ἔνθα ἂν ἡμῖν δόξῃ*, *ubi nobis placuerit*, apud *Jo. Harduinum l. c. pag. 43*, quæ res adeo male habuit curiæ Romanæ gnathones, eorumque principem, *Baronium*, ut in *L. Corneliam de Falſis* ideo peccare, & pro *ἡμῖν*, *ὑμῖν* reponere, non dubitaverit, eo nomine *Edmundo Richerio l. c. Cap. VIII §. 10* merito vehementer vapulans. Pergit vero Autor, & certamina, inter *Acacium Conſtantinopolitanum* Pag. 73.
& Epiſcopos Romanos agitata, & huc pertinentia, admodum fuſe recenſet, quamvis ejusdem narratio adeo inconcinna ſit, ut maximum tædium lectoribus afferat. Durante illo Acacianorum ſchismate, Romanos Pontifices jure, de quo agitur, non uſos eſſe, concedit, neque Imperatorum conſilia, quæ ad reprimendos Romani Præſulis auſus hanc in rem adhibuerunt, præterit. Quamvis autem privilegia iſtius 98.
curiæ Autori adeo certa videantur, ut vel ipſimet adverſarii eadem agnoſcere debuerint; unusquisque tamen lectorum facile intelliget, quam jejuna ſit ejus hæc argumentatio. Imperator nempe *Anaſtaſius* reipublicæ cauſa Romam miſerat proceres, *Fauſtum* & *Irenaum*, additis præceptis, ne *Gelaſium* Pontificem vel viderent. Se enim ab iſto Pontifice excommunicatum, & cives ad obedientiam ipſi tanquam Cæſari denegandam ſolicitatos eſſe, contendit. Et ex hoc quidem *Anaſtaſii* facto Autor concludit, eundem conceſſiſſe, Pontificem Romanum omnibus aliis Præſulibus majorem eſſe, cum varia attulerit, quæ ſuperiorem palam profitentur. Quaſi vero ex iis, quæ de facto, & præter jus, perpetravit Romana curia, major quædam præ aliis naſceretur dignitas. Inde a temporibus *Juſtini* quosdam Græcorum Epiſcopos Romam evocari iterum cœpiſſe, Autor narrat, quamvis &, eo tempore neutiquam in quieta juris iſtius poſſeſſione conſtitutam fuiſſe Romanam Eccleſiam, ſed multos eapropter exſtitiſſe motus, diffiteri non poſſit. Similia *de Gregorio M.* dicenda 99.
ſunt, quem jus illud, evocandi ad ſe Clericorum cauſas, nonnun-

nunquam exercuiſſe quidem, ſed juſſis Imperialibus a con-
ſtanti ejusdem uſu prohibitum eſſe, Autor itidem narrat. *Hi-*
Pag. 104. *larium Arelatenſem* cœptis curiæ Romanæ, quoad evocationes,
& provocationes, ad eam factas, acriter ſemet oppoſuiſſe, &
jura ſedis Arelatenſis fortiter vindicaſſe, ex *Leonis Papæ* Epi-
ſtola, ad Epiſcopos provinciæ Viennenſis ſcripta, obſervat,
110. contentiones, eapropter excitatas, fuſe exponens. Ceterum,
in Eccleſia Gallicana Romanas relationes, appellationes, &
evocationes, ſemper in uſu fuiſſe, ex noſtra ſententia admo-
dum irrito conatu docere ſtudet. De relationibus enim
dicere incipiens, non ſolum exempla, *Leonis M.* temporibus
recentiora, affert varia, verum inſuper, quod ad *Irenæum &*
Cyprianum, quos tanquam certiſſima ſententiæ ſuæ præſidia
conſiderat, attinet, conſultationes, quæ in caſibus dubiis, dog-
mata & diſciplinam eccleſiaſticam reſpicientibus, cum Epi-
ſcopis Romanis nonnunquam inſtituebantur, Autor perperam
cum relationibus, ad judicem ſuperiorem fieri ſolitis, con-
fundit. Romani nimirum Præſules, primis poſt C. N. Secu-
lis, doctrinæ & ſanctitatis fama adeo florebant, ut alii Epi-
ſcopi eorum reſponſa & conſilia theologica ſibi frequenter
expeterent. Tantum interea aberat, ut iſta conſilia vim ſen-
tentiæ judicialis obtinuerint, ut potius ab iſtis placitis ſæpiſſi-
me diſceſſerint partes. Ipſemet enim *Cyprianus* circa mate-
riam de rebaptizandis hæreticis acerrimas cum *Stephano Ro-*
mano agitavit lites, ejusdemque *ſuperbiam, imperitiam, obſti-*
nationem duram, præſumtionem, & *contumaciam*, in Epiſtola
ad *Pompejum fratrem*, quæ eſt numero 74 *edit. Oxon. pag. 210*,
accuſavit, unde facile intelligitur, quam ſine fundamento Autor
pronuntiet, *glorioſum iſtum Martyrem Romani Pontificis pote-*
ſtatem, Gallicanæ Eccleſiæ metropolitanis majorem, agnoviſſe.
Irenæus vero ſententiam *Victoris Romani* de celebrando Pa-
ſchate usque adeo flocci habuit, ut in literis, ad eum datis,
quarum contenta apud *Euſebium H. E. Lib. V, 24, edit. Can-*
tabrig. pag. 245 comparent, eandem reprehendere non dubi-
tarit. Exempla provocationum, ad curiam Romanam in Ec-
cleſia Gallicana ſuſceptarum, quorum varia hic inani dili-
gentia

Digitized by Google

gentia afferuntur, cum quidem *Zoſimi* Papæ temporibus anti-
quiora non ſint, ſub quo Sedem Romanam, contradicenti-
bus tamen aliis, ſæpius ſupremum dominatum affectaſſe,
palam eſt, Autoris ſententiæ nihil omnino patrocinan-
tur. Idem judicandum eſt de evocationibus, quas *Zoſi-
mus*, ejusque in Sede Romana ſucceſſores, prout Autor variis
docet exemplis, plus vice ſimplici tentarunt. Romanas evo- Pag. 121.
cationes, per Galliam introductas, cum Romani Imperii la-
pſu labi cœpiſſe, ſibi perperam perſuadet, cum, easdem 122.
ſtante Imperio conſtanter ibidem viguiſſe, haud docuerit, &
notiſſimum inſuper ſit, ipſum illum Imperii Romani lapſum
ad evehendam Pontificum potentiam plurimum contuliſſe.
Ab *Hincmaro* interim *Rhemenſi* & *Carolo Calvo* temera-
rios Romanæ curiæ auſus repreſſos, ipſe non diffitetur, ar-
gumenta quoque *Hincmari* non diſſimulans. Quæ quan- 129.
tumvis confutare, eorumque falſitatem detegere, omni modo
laboret, unusquisque tamen eruditorum, eadem legens, vel
nobis tacentibus, illico intelliget, quam infeliciter contra hæc
argumenta pugnet, quotque erroribus, ac petitionibus prin-
cipii (uti a Philoſophis vocantur), ejus dicta ſcateant. Cleri-
cos, in transalpinis regionibus conſtitutos, ad Romanam cu-
riam olim jam provocare ſueviſſe, exemplo *Athanaſii*, alio-
rumque Præſulum, qui ab *Euſebianis* preſſi erant, docere la-
borat. Verum non, ut arbitramur, cogitavit, ingens interce-
dere diſcrimen inter *provocationes* & *perfugia* Clericorum, id
quod *Edmundus Richerius Hiſt. Conc. gener. Lib. I Cap. 6 §. 4
pag. 209* diligenter animadvertit. Romanam adeo Eccleſiam
Athanaſio, ejusque ſociis, *Arianorum* furore vexatis, perfugio
fuiſſe, concedimus, illud vero per modum provocationis fa-
ctum eſſe, pernegamus, id quod ex ipſis *Julii Romani* lite- 132.
ris, ab Autore appoſitis, haud obſcure intelligitur, ubi quidem
Pontifex iſte *Euſebianis*, ad quos ideo ſcribit, non *imperat*,
verum eosdem *obſecrat*, quod profecto de judice, ad quem
provocatur, dici non poteſt. Et, quantopere inſuper tales
provocationes deteſtati fuerint transalpini, ex *Codice Cano-
num Eccleſiæ Africanæ*, inprimisque ex Epiſtola Concilii

Rr rr Afri-

Africani, ad *Cœleſtinum Papam*, in cauſa *Apiarii*, ſcripta, quæ apud *Jo. Harduinum Tom. I pag. 948* comparet, intelligitur. Quæ deinceps a *Zoſimo*, ejusdemque in Sede Romana ſucceſſoribus, circa hanc rem in Galliis tentata fuiſſe, Autor commemorat, ea ne quidem digna ſunt, ut a nobis examinentur, cum, ſi etiam vera eſſent, ejus tamen nihil proſint ſententiæ. Cum autem, eam rationem Canonibus Nicænis conformem eſſe, dicere non erubeſcat, eam quidem ſententiam validiſſimo, ſi Diis placet, argumento, Epiſtola nimirum quadam *Innocentii I*, nec non factis, a curia Romana tentatis, confirmat.
Pag. 142. Ignarus enim fortaſſis fuit, Nicænos Canones a Pontificibus Romanis corruptos, eisdemque Sardicenſes Canones additos fuiſſe, id quod, poſt *Mornaum* in libro *de Myſterio iniquitatis*, *Gerh. van Maſtricht* in *Hiſtoria Juris Eccleſiaſtici §. 67* evidentiſſime demonſtravit. Canonem Concilii Nicæni quintum, qui, legitime excommunicatos ab aliis in communionem recipi, vetat, & contentiones, eapropter excitatas, in Conciliis provincialibus componi jubet, curiam Romanam non tangere, cum illa jus, de quo agitur, a Deo acceperit, veluti ex tripode pronuntiat Autor, ex quo facile apparet, qualis momenti ſit ejusdem argumentandi ratio.
144. Ante *Hincmari Arelatenſis* jam tempora, cauſas, ad Pontificem per modum provocationis devolutas, Romæ diſcuſſas eſſe, contendit. Probationis loco *Epiſtolam Concilii Sardi-*
147. *cenſis, ad omnes orthodoxos ubique Epiſcopos*, in *Athanaſii* cauſa, ſcriptam, producit, unde quamvis appareat, *Julium Romanum* Epiſcopos Orientis, *Athanaſii* hoſtes, per autoritatis abuſum ad ſe evocaſſe, ſimul tamen ex iisdem intelligitur, eos dicto non fuiſſe audientes, inſuperque Concilium Sardicenſe, *Julium comminiſtrum* & *conſacerdotem* vocando, eundem pro univerſali Eccleſiæ Monarcha nondum habuiſſe. De vero poſtea ſenſu Canonis ſeptimi Sardicenſis, quem *Hincmarus* ſolicitaſſe
149. dicitur, rite indagando valde laborat Autor, & quamplurima hac occaſione affert, quæ ad rem ipſius facere videbantur. Qui labor quam fruſtra fuerit ſuſceptus, unusquisque intelliget, qui ea, quæ adverſus Concilii iſtius autoritatem a *Friderico*

ce Spanhemio Tomo I Operum pag. 877 ſummo cum eruditionis apparatu diſputata ſunt, cum cura perlegerit, Romanam Eccleſiam, quia geſta *Hincmari* aliquando reſciderat, odia ejus idcirco incurriſſe, & inde præſulem iſtum appellationibus Romanis bellum indixiſſe, Autor narrat. *Hincmarum*, Laudunenſem Epiſcopum, ab *Hadriano II* Romam evocatum, fraudibus *Hincmari* Rhemenſis impeditum eſſe, quo minus juſſis Papalibus pareret, contendit. Canonem decimum ſeptimum Concilii generalis octavi contra eos, qui jus evocandi curiæ Romanæ invadebant, conditum eſſe, ſibi, ex noſtra ſententia, ſine fundamento perſuadet, cum in illo ipſo Canone, quem Autor integrum apponit, metropolitanis obedientia, non quidem erga Romanum Pontificem, ſed erga ſui cujusque Patriarchæ juſſa, injungatur. Turbas, *Friderici I & II* tempore inter Sacerdotium & Imperium hac de re agitatas, Autor fuſe quidem, ſed ita, ut partium ſtudia ubique prodat, deſcribit, neque *Philippi Pulchri* cum Sede Romana agitatas controverſias præterit. Ulterius dein pedem promovens, tempore S. *Bonifacii*, Germanorum Seculo octavo Apoſtoli, cauſas eccleſiaſticas e Germania Romam evocatas eſſe, inani labore commonſtrat, cum ſatis in propatulo ſit, illum ipſum quantivis pretii Apoſtolum non tam de Chriſtianæ religionis propagatione, quam potius de dominii Papalis incremento, cogitaſſe, unde etiam Epiſcopi & ſacerdotes illius temporis, teſte *Aventino Annal. Lib. III*, eundem *mendaciorum autorem, & legis atque pacis Chriſtianæ turbatorem, corruptoremque*, eſſe, non præter rem affirmarunt. Quia ipſemet Autor, multis licet elogiis *Bonifacium* ſuum exornans, ejus tamen ſtuporem & imperitiam diſſimulare non poteſt, quando, S. *Virgilium* ideo, quod, antipodas eſſe, crediderit, ab eo pro hæretico eſſe habitum, pronuntiat. *Ivonis Carnotenſis* temporibus provocationes ad Sedem Romanam inſtitui ſueviſſe, urget, eademque diligentia, ſequiori ætate idem per Galliam & Belgium factum eſſe, plurimis evincere conatur exemplis. Majoris paululum momenti eſſe videntur ea, quæ in ſubſequentibus afferuntur, quando, jus

Pag. 150. 167. 176. 185. 190. 200. 202. 207 ſeq.

evocandi ad curiam Romanam quoscunque Clericos, a Concilio Chalcedonenſi, ejusque Actione quinta, probatum eſſe, Autor contendit. Cum enim ibi, lectis Papæ *Leonis* literis, Epiſcopi Illyriciani exclamarent: *Qui contradicunt, Romam ambulent;* illis quidem verbis Præſules, definitioni Romanæ curiæ immorigeros, Romam ad cauſam dicendam vocari, idque univer-
Pag. 214. ſam Synodum comprobaſſe, nihil dubitat. At enim vero, vanam eſſe, & a veritate omnino abhorrere, iſtam Autoris ſententiam, omni dubio caret, cum aliud profecto ſit, ad novum Concilium, ab Imperatore congregandum, aliud vero, ad Pontificem Romanum, evocari. Et illud quidem, neutiquam vero hoc, tunc temporis eſſe factum, verba ipſius Actionis citatæ ſatis declarant, quando in proxime antecedentibus Sedis Romanæ legati exclamaſſe leguntur: *Jubete, nobis reſcriptum dari, ut revertamur, & ibi* (Romæ nimirum, uti *Leo* jam antea optaverat,) *Synodus celebretur.* Jura aliorum quorundam in Oriente Patriarcharum quoad evocationes Clericorum poſtea enarrans Autor, eosdem ex conceſſione Pontificis hæc jura exercuiſſe, ſine omni fundamento tradit. *Euſebium*, Dorileenſem Epiſcopum, in conciliabulo Epheſino damnatum, Romam provocaſſe, perperam ſibi perſuadet, cum, ex literis, ad *Pulche-*
215. *riam Auguſtam* a *Leone* Romano datis, quas tamen Autor probationis loco affert, illico appareat, *Euſebium* iſtum, ſæviente hoſtium perſecutione, Romæ quidem commoratum eſſe, neutiquam vero ad iſtam curiam provocaſſe. Idem de *Theodorito*, Cyrenſi Epiſcopo, cujus exemplum in partes ſuas pertrahere laborat Autor, ferendum eſt judicium, ubi Autor, quando, Præſulem iſtum neutiquam a Concilio Chalcedonenſi abſolutum eſſe, tradit, ſed, illam ipſam Synodum ſententiam *Leonis* Romani duntaxat comprobaſſe, contendit, neminem facile
216. habeat conſentientem. Canonem nonum Concilii Chalcedonenſis provocationibus ad curiam Romanam conſtituendis favere, ipſi certiſſime perſuaſum eſt. Per *primatem* nimirum *diœceſeos*, in dicto Canone neminem niſi Epiſcopum Romanum intelligi, urget, &, ſingularem numerum lo-

co

co pluralis ibidem ſubſtitui, ita, ut *primas diœceſeos* ſit *primas diœceſeon totius mundi*, pro certo ſumit. Curiam Romanam Canones Chalcedonenſes, quatenus ipſius juribus velificantur, confirmaſſe, reliquos autem reprobaſſe, contendit. Epiſtolas illas Romanorum Pontificum decretales, a famoſiſſimo tenebrione, qui *Iſidori* nomen mentitus eſt, confictas, ab *Iſidoro* tamen *Hiſpalenſi* colligi cœpiſſe, audacter aſſeverat, &, quamvis eaſdem ab ipſis illis Romæ Epiſcopis, quorum nomina præferunt, proficiſci, dicere non audeat, neque argumentum pro ſua ſententia exinde deſumat, eas tamen mirifice extollit, &, doctrinam vere Apoſtolicam in illis contineri, judicat. Tandem vero ad id, quod primo loco ipſi commemorandum fuiſſet, Autor delatus, &, jus curiæ Romanæ, de quo agitur, ab ipſis Apoſtolorum temporibus repetendum eſſe, ac inter medias perſecutiones viguiſſe, probaturus, illud quidem caput, quamvis præcipuum, breviſſime & valde perſunctorie tractat, plurima, ad inſtitutum non pertinentia, ut ſcilicet animos lectorum confunderet, & aliquid dixiſſe videretur, admiſcet, perfugia quorundam Clericorum ad Romanum Epiſcopum, nec non conſultationes & relationes ad ipſum, de rebus, ad diſciplinam eccleſiaſticam ſpectantibus, inſtitutas, cum provocationibus, quæ non niſi ad judicem ſuperiorem fiunt, peſſime confundit. Nonnulla denique ſummo cum faſtu adſtruit, quæ, etiamſi aliquam veri ſpeciem habeant, rem tamen, de qua agitur, neutiquam conficere, lectores ſagaces illico deprehendent. Ad Belgas vero ſuos mox reverſus Autor, eoſdem jam ante diviſionem Belgii in provincias, ad judicia eccleſiaſtica, extra territorium ſita, evocari ſueviſſe, oſtendere laborat. Seculo demum decimo tertio privilegia quædam de civibus Belgicis extra territorium non evocandis condita eſſe, eaque non ſine contradictione Pontificum in curiæ Romanæ detrimentum ceſſiſſe, inculcat. Ea ipſa interim privilegia a Sede Romana reſcindi poſſe, quin eadem ipſo jure pro nullis eſſe habenda, pronuntiat. Et, quamvis *Leo X* privilegia iſta nationis Belgicæ confirmarit, hoc tamen de cauſis levioribus capiendum dun-

Pag. 217. 225. 231. 234. 237. 240. 241.

taxat eſſe, cum majorum cauſarum evocationibus neutiquam renuntiarit Romana curia, Autor ſub finem univerſi Operis contendit. Ex quibus dictis, etiamſi nihil ad caput rei pertinens fluat, intelligitur tamen, ſibi Autorem non conſtare, qui, conſuetudines, juribus Eccleſiæ Romanæ adverſas, in Belgio nunquam obtinuiſſe, ſupra affirmaverat. Et hic quidem eſt univerſi hujus Operis conſpectus, unde cum luculente appareat, quam inanibus Autor utatur argumentis, quorum nervos jam dudum inciderunt homines doctiores, nos quidem, eum jura curiæ Romanæ infelici & præpoſtero conatu defendiſſe, dicere haud veremur.

Vollſtändige Beſchreibung des Geſchlechts der Herren Reichsgrafen und Burggrafen von Kirchberg, ꝛc.

id eſt,

COMPLETA DESCRIPTIO GENERIS COmitum Imperii & Burggraviorum Kirchbergenſium, evulgata ab H. F. AVEMANNO.

Francofurti ad Mœnum, apud B. Stockii hæredes & Schillingum, 1747, 4.

Alph. 3 plag. 10, cum 2 Tabb. geneal. & 6 Tabb. figg. æri incif.

Autori, quippe a ſecretis Burggraviorum *de Kirchberg* Comitumque *de Sayn* & *Witgenſtein*, Dominorumque *Farnroda*, libuit integrumque fuit, exponere de hoc argumento. Ipſe enim inſtructus fuit ſubſidiis, ſedulo conquiſitis, domique natis. Ipſe hanc incudem diu tutudit, & in condenda hac Hiſtoria tardis meditatisque proceſſit paſſibus. *Kirchberga*, cujus reliquias idem tabula expreſſit, ad Salam in Thuringia olim conſpicua fuit. Alia, fortaſſis recentior, ad Sondershuſam, æque in Thuringia, viſebatur. Inſcripſit Ampliſſ. Autor Hiſtoriam ſuam Illuſtriſſimo Comiti Imperiali *Georgio Friderico*, Burggravio *de Kirchberg*. Commendavit opus B. *Joannes Godofredus de Meiern*. *Bertius*, *Goldaſtus*, & *Limnæus*,

mnaut, crediderant, familiam Burggraviorum *de Kirchberg* ineunte Seculo XVII intercidiſſe. Scripſerunt parce de geſtis & genere hujus familiæ *Wernerus Hakius*, *Henricus Meibomius*, *Paulini*, M. *Adrianus Baierus*, *Jo. Georgius Leuckfelding Antiq. Ilefeld. pag. 58 ſeq.* quem Autor vocat *Superintendentem*, dicendum Eccleſiaſten primarium Grœningenſem in Principatu Halberſtadenſi, *Fridericus Luca*, *P. Jovius*, ſeu *Gœtze*, *Caſp. Sagittarius*, *Achilles Auguſtus de Lersner*, *Eulenbergerus*. Poſtremi manuſcriptum videre Autori non contigit. Differit de hiſce Autor in Præfatione parcius. Rem ipſam diligenter, plene, ſolideque, tractavit. Bipartitus fuit opus ſuum in Partem hiſtoricam, Partemque diplomaticam. *Pars prior* abit rurſus in *quatuor* membra. *Primo* de familia Comitum *Kirchbergicorum* generatim exponit. *Secundo* edifferit Comites, qui Kirchbergæ prope Sondershuſam domicilium ſedemque tenuerunt. *Tertium* inſervit hiſtoriæ Burggraviorum Kirchbergenſium, quibus ad Salam prope Jenam fuit ſedes. *Quarto* expungit Comites Burggraviosque Kirchbergenſes, qui præter rationem & cauſam ad hos corymbos a nonnullis Hiſtoricis fuerunt relati. Subjicitur tractationi Index ſat curatus. Chartarum collectarum Diplomatumque numerus ad 207 excrevit. Diplomatarium Index triplex, optimo inſtituto concinnatus, claudit. Hiſce cardinibus vertitur ſumma rei & omne argumentum. De origi- Pag. 4.
ne Comitum & Burggraviorum quæ in limine tractationis exhibentur, ſunt ſatis exaſciata. Burggravium veteres appellarunt *Comitem urbis*, præfectum urbis, Comitem urbanum & civitatis, *Caſtellanum*. Burggravii Comitibus dignitate ſunt 7.
ſuperiores. Burggravii autem ſunt vel ad Principum apicem evecti, vel infra hanc dignitatem poſiti. In illorum nume- 10.
ro ſunt Magdeburgici, Noribergenſes, Miſnici, alii. In horum ſerie collocantur Burggravii *de Kirchberg*, *de Dohna*, 12.
alii. Comitum *de Kirchberg* alii in Thuringia, alii in Suevia, alii in Bavaria, floruerunt. Ultimus Suevicus *de Kirchberga* Comes, *Philippus*, obiit A. 1510, 20 Aug. Comitatus *Fuggeris*, quibus A. 1530 dignitas Comitum propria acceſſit,

ſit, fuit traditus. De Comitibus *Kirchbergicis* Bavariæ egit
Pag. 14. *Wigulejus Hundius.* Stirps eorum in *Chalocho* A. 1224 ex-
ſtincta eſt. Comitatus Kirchberg, in tractu Hundsrük ſitus,
ceſſit A. 1409 Comitum Rheingravicorum progeniei. Ca-
ſtellum *Kirchberg*, locus Comitatus Sponheimenſis, ſubeſt
ditioni Marchionum Badeno-Badenſium. Barones *Kirch-*
bergici ſedem nacti ſunt jam olim in Auſtria inferiori verſus
Stiriæ confinia. Inter Rotenburgum, Tubero adjectum, Ha-
lasque Suevicas eminet caſtrum oppidulumque *Kirchberg*,
quod colunt, & ubi commorantur, Comites Hohenlohici, inde
cognominati, qui ſeſe ex eo vocant *Dominos Kirchbergæ*. Co-
mites *Kirchbergæ* Thuringicos Autor deducit ex Seculo jam
decimo, quo, aut certe ſequenti, ipſorum progenies una di-
25. gnitatem Burggravicam obtinuit. Noli eorum originem
a *Philippo*, Naſſoviorum Comite, vel Comitibus Altenburgicis,
repetere. Qui enim hunc errorem errarunt, a Clariſſ. Autore
fuerunt ſolide refutati. Regiones & loca, quibus Comites
33. *Kirchbergici* ad Sondershuſam & Burggravii ad Salam gaviſi
fuerunt, recenſuit idem ea diligentia, quæ plurimis annis fuit
ſubacta. Kirchbergam & Windbergam, Jenæ finitimas, eme-
runt A. 1331 Comites Schwarzburgici, qui utrumque locum
permutarunt cum Thuringiæ Landgraviis. Titulus perſtitit
37. in Comitibus Witgenſteinicis. Poſſederunt olim Burggravii
locum *Leiſten*, dynaſtiam imperialem Capellendorf, dyna-
ſtiam Cranichfeld, dynaſtiam Altenberg, Schauenforſt, Brieſſ-
niz & Wippere, ac villam Ziegenhayn, Kœtſchau, Hohl-
42. ſtett, &c. Capellendorfenſis monaſterii Abbatiſſas & Præpo-
71. ſitos recenſet Autor pro viribus. Tenent Burggravii dimi-
dium Comitatus *Sayn*. Quomodo *Henrici II*, poſtremi Say-
nenſium Comitis, ac A. 1246 defuncti, terræ ad ſororem ejus,
Adelheidam, Comiti Sponhemenſi nuptam, interventu teſta-
menti pervenerint, atque partem Burggravii nacti ſint, ſolide
73. demonſtrat Noſter. Dynaſtia *Farnrode* prope Iſenacum viſitur.
Ad eam referuntur loca Farnroda, Eichrodt, Wutha, Huch-
roda, Seebach, & Burbach. *Hartmannus II* Burggravius eam
a *Kerſteno Keudel*, nobili Haſſo, emit A. 1461. Ipſam eſſe
feu-

Digitized by Google

feudum Saxoniæ Ducum, novimus, excepto prædio Burbach, ab Abbatibus Fuldenſibus ſolito recognoſci, Jura, prærogativas, & poteſtatem, Burggraviorum nobis recenſere ac repetere haud licet. De inſignibus eorum gentilitiis Autor tanto expoſuit ſtudio, ut nihil ſupra eſſe, nihil addi, poſſit. *Henricum*, A. 1128 Abbatem Corbejenſem, poſt *Paulinium* inter Comites Kirchbergicos collocavit. *Ditmarum*, ejuſque patrueles *Folratum* & *Hertacum*, circa A. 1146 deprehendimus in Diplomatibus. Horum frater erat *Hermannus*. Progeniem clauſit *Henricus V* circa annum 1320. De *Joduta*, quam vocem Autor per *opem Dei* exponit, exſtat præclara *Theodori Haſæi* Diſſertatio, qua id ſententiæ evertitur. Burggraviorum genus ab *Ottone*, qui circa A. 1133 floruit, deduxit Autor. Progenies inde Capellendorfenſis & Altenbergenſis profluxit. Illa exeunte Seculo XIII exſtincta eſt in filiis *Diterici IV*. Hæc exaruit in *Diterico VII* A. 1390. *Hartmanni II* genus, qui dynaſtiam Farnrodenſem A. 1461 emit, perdurat in hunc diem. Quantum ſudoris Autor Hiſtoriæ huic concinnandæ inſumſerit, pateſcit præcipue ex *Capite quarto*, quo nebulas, quas Hiſtorici paſſim ei affuderant, ita diſſipavit, ut plenæ ubique diei jubar exſplendeſcat.

Pag. 75. 110. 114. 147. 170.

GEORGII HENR. AYRERI, D. OPUSCULA varii argumenti. Edidit & præfatus eſt JO HENR. JUNGIUS, Academiæ Georgiæ Auguſtæ Secretarius.

Tomi II.

Gottingæ, apud Jo. Petr. Schmid, 1746, 8. Alph. 2 plag. 1½.

Fœcundiſſima eſt doctrinæ Muſa *Ayreriana*, totque jam elegantiſſimis ſcriptis inclaruit, ut omnes ejus commendandæ ambages mittere hoc loco queamus. Statim igitur accedimus ad præſentem Opuſculorum minorum Syllogen, quorum editionem Clariſſimo debemus *Jungio*, nunc

Londini res ſuas egregie agenti. Is, in Academia Georgia Auguſta vitam degens olim, libenter honeſtis bibliopolæ poſtulationibus annuit, hosque libellos, paulo difficilius parabiles, uno conjunctos volumine, prelo ſubjecit, ne deeſſent in poſterum ſolidæ Jurisprudentiæ cultoribus, quæ uſui ſibi futura recte arbitrantur. In *Tomo I* familiam ducit *de Cambialis inſtituti veſtigiis apud Romanos Diatribe*, perilluſtri Equiti, *Chriſtiano Sigfrido a Pleſſen*, conſecrata initio, Lipſiæque edita A. 1735, 4, poſt *Heineccii Elementis Juris cambialis* a Conſ. *Ublio* adjecta, nunc autem emendatior paſſim auctiorque recuſa. Sequitur *de Vicedominorum formula veteri Exercitatio*, cui conſcribendæ Illuſtriſſimus Comes, *Ludovic. Sigfrid. Vicedominus ab Eckſtadt*, ampliſſimi Autoris fidei concreditus aliquando, ipſe nomine ſuo occaſionem ſuppeditavit. Lucem antea hæc viderat Lipſiæ A. 1736, 4. Præclare ex veteris ævi monumentis eruitur nomen illud, quod nunc Vicarium denotat, nunc pro Majore Domus, nunc pro Judice, adhibetur. Duplicem autem inprimis eorum formulam deprehendimus, uti *§. III* monet. Alii quippe, a Regibus inſtituti, ſecundum ab ipſis locum tenuerunt, & poſt eos rerum ſumma ſunt potiti; alii contra illi fuerunt, qui Epiſcoporum, Abbatum, & Abbatiſſarum, partes in cauſis ſecularibus agebant. Hi paſſim Oeconomorum, Advocatorum, Munburdorum, Protectorum, Defenſorum, Patronorum, aliisque, nominibus indicantur. Quæ ſuccedit *de Collectione Juris Canonici, tum veteris, tum recentioris, Proluſio*, ea Ill. *Ayrerus* A. 1737, in naſcente tunc Academia Georgia Auguſta Anteceſſor conſtitutus, prælectiones ſuas in Jurisprudentiam Civilem atque Canonicam publice aperuit. Diſſerit hic primum de Canonibus Apoſtolicis, omnium, qui exſtant, Canonum antiquiſſimis, & in Corpore Juris Civilis æque ac Pontificii locum occupantibus, atque tam fata eorum in eccleſia veteri, quam controverſiarum, inter eruditos poſtremis ſeculis de iis exortarum, hiſtoriam, ſuccincte exponit. Quo facto, ceteros, eosque veriores, & ſacro Codici proximos, Juris Canonici fontes demonſtrat, quos in Conciliorum

De-

Decretis reperimus. Antiquiſſimam deinceps Canonum Collectionem, quæ circa *Theodoſii M.* ætatem, incerto quidem Autore, in Oriente non ſolum ex duobus Conciliis univerſalibus, Nicæno I, & Conſtantinopolitano I, ſed particularibus etiam, Ancyrano, Neocæſarienſi, Gangrenſi, Antiocheno, atque Laodiceno, ſuſcepta fuit, ſelectis illuſtrat obſervationibus, tandemque, aliis collectionibus commemoratis, ad *Gratianum* ſeſe convertit eruditiſſimus Autor, cujus vero labores variis maculati nævis exſtant; ideoque alii poſt eum hunc ipſum moverunt lapidem, atque in emendando Jure Canonico laudabilem operam collocarunt, qui *pag. 119 ſeq.* diligenter recenſentur. Excipiunt hanc Proluſionem binæ *Diſſertationes epiſtolicæ*, A. 1739 & 1740 Gottingæ typis impreſſæ ſeparatim, tum Lipſiæ A. 1744 junctim recuſæ, quarum altera *de Adjunctis Superintendentium, Chorepiſcoporum veteris eccleſiæ propagine;* altera *de Superintendentibus eccleſiarum Proteſtantium, Epiſcoporum veteris eccleſiæ propagine,* inſcribitur. Ex utraque ſingularis antiquitatum eccleſiaſticarum peritia elucet. Et in priori quidem luculenter oſtendit Celeb. *Ayrerus*, primis eccleſiæ temporibus eos, qui in agris divini verbi præcones erant, pari dignitate, nomine, atque poteſtate, cum Epiſcopis, in urbe viventibus, gaviſos eſſe, deinceps autem, & Seculo maxime IV, his elatius ſe gerentibus, ſublataque æqualitate priſtina, omnia ſibi ſumentibus, illos vocatos modo Chorepiſcopos, a χώρα, quæ vox villam, aut agrum, denotat, modo ruris Epiſcopos, Regionarios, Villanos, Vicanos, quæ nomina promiſcue adhiberi ſolent. In poſteriori ſcriptione de vocis *Epiſcopus* antiquitate, varioque in ſenſu politico uſu, item de Superintendentis nomine, in eccleſia Latina recepto, jamque in *Auguſtini* & *Hieronymi* Operibus obvio, erudite diſſerit Autor, hisque præmiſſis, Superintendentes noſtros veros eſſe Epiſcopos, easdemque, quas antiqui ſuſtinuerunt, functiones obire, docet. Sexti Opuſculi, Gottingæ A. 1739, 4, excuſi, argumentum eſt *de genere actionis, adverſus conductorem, emtori cedere nolentem, inſtituendæ*, in quo varia juris remedia contra moroſum conductorem affert, qualia ſunt *interdictum unde vi, rei vindica-*

catio, *condictio ſine cauſa*, vel *condictio ex l. 3 C. Loc.* Poſtrema hujus *Tomi* particula eſt *Diſſertatio de Fidejuſſore milite*, quæ ibidem A. 1742, 4, prodiit, & ſub finem exercitia diſputatoria indicit, cum ſelectis quibusdam ingeniis privatim inſtituenda. De ea hic loci quæſtione unice ſolicitus eſt Illuſtris *Ayrerus*, utrum valida ſit fidejuſſio, nec ne, ſi quando hodie debitor militem producat, ſive majoris ordinis, ſive minoris, creditorque accipiat fidejuſſorem, qui non omnia ſecum portet, ſed, præter ſariſſam gladiumve & ſclopetum, præter peram & baculum, aliquid magis poſſideat, unde creditori, debitore non ſolvente, ſatisfieri queat. Jure Romano res certa eſt, prohiberi fidejusſiones militum, cujus prohibitionis cauſas accurate expendit Conſultisſimus Autor, probatque deinceps argumento non uno, diſpoſitionem hanc Romanam, ob diverſam plane militiæ rationem, militumque conditionem immutatam, in Germania nunquam receptam fuiſſe, validamque ideo habendam fidejusſionem militis, ſi, præter apparatum bellicum, alia ei bona ſuppetant, ex quibus creditori reſtitui ſuum posſit.

In *Tomo altero* primum obvia eſt *Commentatio proluſoria*, lectionibus hibernis A. 1743 præmiſſa, quæ *de Recurſu ad Comitia, per Capitulationem Caroli VII reſtricto, non ſublato*, agit. Ipſe locus exſtat in *Artic. XVII*, & hic multo cum judicio explanatur. Omnes caſus, in quibus recurſus permiſſus eſt, ad duas commode claſſes reducuntur. Aut enim in Legibus Imperii diſerte ſunt expresſi, aut per bonam, ut ajunt, conſequentiam ex illis elici ſolent. Ad priorem pertinet, ſi de antiquo ac latente imperialis conſtitutionis ſenſu inter partes litigantes diſceptetur; ſi paritas votorum inter utriusque religionis aſſeſſores in ſupremis Imperii judiciis exiſtat; ac denique ſi bannus ſit decernendus; ad alteram claſſem autem longe plures referuntur caſus, v. g. ſi manifeſta legum violatio eluceat, & ſumma Imperii tribunalia ſive negatæ, ſive protractæ, juſtitiæ accuſari queant, quod vel jurisdictionem ultra terminos extenderint, vel Auſtrægarum inſtantiam neglexerint, vel in modo procedendi, aut exequendi, peccaverint, vel alias juribus ac privilegiis Statuum, quæ ipſis tam vigore legis,

legis, quam ex conſuetudine & obſervantia, competunt, ulla ratione derogaverint: qua occaſione licet omnino gravamina in Comitiis proponere, quænam autem exempla ſub hoc, vel illo, caſu comprehendantur, hoc opus, hic labor, eſt. Potisſima cauſa frequentioris ad Comitia recurſus a ceſſantibus Viſitatorum functionibus repetenda videtur, cui nunc malo per deputationes Imperii viſitationesque proxime inſtaurandas in *Capitulatione* ſupra adducta remedium quæſitum eſt. Qua ipſa diſpoſitione tamen non omnis ſublatus recurſus, ut ex *Capitulationis* modo laudatæ *Artic. XIII §. 6 & 8* ſatis luculenter apparet. In ſuos tantum redactus cancellos eſt, ſemperque admittetur, quoties cauſæ Statuum non privatæ, ſed publicæ, ſunt, in quod diſcrimen, abuſus vitandi gratia, ſedulo inquiri, &, quomodo gravamen ſit comparatum, majoribus omnium ordinum votis definiri, debet. Progredimur ad *Commentationem* ſequentem *de Trutina veræ & ſimulatæ Philoſophiæ JCti*, qua Gottingæ A. 1744 Diſſertatio inauguralis Viri Celeb. *Ludovici Mart. Kahlii*, tunc temporis Philoſophiæ in Academia Gottingenſi Profeſſoris, *de Trutina Europæ* indicta eſt. Candide in hoc ſcripto memorat doctisſimus *Ayrerus*, quid noſtra ætate in JCtorum Philoſophia verum, quid ſimulatum affectatumque, ipſi videatur. Carpit primum, nec tamen omni ex parte, methodum illam demonſtrativam, quæ hodie tot in libris juridicis, pesſimo plerumque conſilio, uſurpatur. Non improbat quidem, a re ipſa, de qua tractatio ſuſcipitur, ejusque origine, orationem procedere, atque id, de quo diſputandum, determinari certe, quo inoffenſo deinceps pede ad concluſiones inde formandas pergere liceat; at, *quis vero*, ait, *ſine nauſea legere posſit, quæ ſimulatis, non veris, Methodiſtis perquam familiaris eſt, longam illam & proœmii loco diverſisſimi quoque generis argumentis præmitti ſolitam cantilenam, quæ totam fere Metaphyſicam de Ente, variisque ejusdem ſpeciebus doctrinam, complectitur? Quis æquo patietur animo, ſibi narrari vulgatisſima, & longisſime a ſcopo remota, principia, de quibus nemo ſanus dubitat, antequam, qua de re agitur, vel verbulum audiat?* Deinde nec eos recte facere credit, qui omnes vete-

rum JCtorum definitiones, etſi rem ita determinent, ut a ceteris penitus diſtinguatur, rejiciunt audacter, & ex ingenio ſuo alias fingentes, cum novo Philoſopho, quam cum antiquo JCto, loqui malunt. Tum, eos ſuperſtitioſe agere, ſimulateque philoſophari, ait, qui in excogitandis manifeſtarum antinomiarum conciliationibus operam & oleum perdunt. Veræ potius Philoſophiæ indicium eſſe, ſi quis aperta legum disſidia, ab hominum, ſectarum, temporum, ac ſententiarum diverſitate orta, cordate agnoſcat, &, adhibitis genuinis regulis hermeneuticis, Hiſtoriaque Juris & Antiquitatibus Romanis in ſubſidium vocatis, interpretetur. Poſtremo, veræ Philoſophiæ gnaros eſſe, negat, JCtos, qui in applicatione legum ad facta prius ferunt judicium, quam omnes probe circumſtantias ponderaverint, quarum ſæpe minima totam rem variat. Inde enim vel ex ſummo jure ſumma fit injuria, vel ſub æquitatis cerebrinæ colore, non ſine gravi aliorum damno, a recta norma aberratur. Reliqua hujus *Tomi* Opuſcula ita ſunt inſcripta: *De Falcidia in concurſu creditorum Proluſio inauguralis*, A. 1744 edita; *de illuſtratione Juris Civilis antiqui ex lectione claſſicorum Autorum Præfatio*, Lipſienſi editioni *Jurisprudentiæ Ante-Juſtinianeæ Schultingianæ* A. 1737 præmiſſa; *Præloquium* ad *Jo. Ludolfi Waltheri Lexicon juridicum*, indices utriusque Corporis Juris locupletisſimos exhibens, *de neceſſitate & utilitate Indicum Juris, variisque eorundem generibus ac pretio diverſo*, A. 1734 ſcriptum; *Programma inaug. de Cenſu Regali*, eodem divulgatum anno; *Oratio prima de Georgio Auguſto M. Brit. Rege Auguſtiſſimo, Heroe in toga & ſago æque magno*, habita A. 1744; *Oratio ſecunda de Guilielmo Auguſto, Sereniſſimo Cumbriæ Duce, rebellium Scotiæ domitore, Patrisque ac patriæ defenſore feliciſſimo*, A. 1746 recitata, cui ob argumenti ſimilitudinem acceſſit *Proluſio* ultima *inaug.* eodem anno excuſa, *de ſublimi ſacri Cognitoris Tribunali, Anglis the Court of the Lord High Steward dicto*, quod criminale potentisſimæ gentis judicium obſervationibus eruditis ex antiquitate cum Romana, tum domeſtica, illuſtrat Amplisſimus *Ayrerus*. Hæc igitur variæ doctrinæ capita complectitur Collectio,

ctio, interna pariter ac externa pulchritudine commendabilis, quam ne pluribus aliquando *Tomis* deſtitutam videamus, laborioſus Ill. Autoris calamus ſine dubio efficiet.

D. Gottlob Carl Springsfelds Abhandlung vom Carlsbade, ꝛc.

hoc eſt,

D. GOTTLOB CAROLI SPRINGSFELD, Teutonicæ Lipſienſis Societatis Socii, Duc. Sax. Medici aulæ, nec non Poliatri Leucopetrenſis, Tractatus de Thermis Carolinis; accedit tentamen hiſtoriæ morborum, thermis Carolinis ſublatorum.

Lipſiæ, apud Jo. Frid. Gleditſchium, 1749, 8. Alph. 1 plag. 8, Tabb. æn. 3.

Idem ille, cujus jam cum laude mentionem alio tempore fecimus, doctisſimus *Springsfeld*, cui aquarum Spadanarum & Aquisgranenſium debemus hiſtoriam, nunc thermarum Carolinarum pleniorem exhibet expoſitionem. Non opus eſſe cenſemus, quantum diſtet ab aliis ejusmodi ſcriptiunculis hicce Tractatus, pluribus ut demonſtretur, cum, quanta ejus ſit prærogativa, rerum proponendarum indoles teſtari posſit. *Tribus* autem omnis tractatio abſolvitur *Partibus*, quarum *prima* recenſionem continet ſcriptorum, de thermis Carolinis agentium. Videtur antiquisſimis jamjam temporibus quædam harum thermarum fuiſſe cognitio, licet Seculo demum XVI prima de illis a *Payero* facta fuerit relatio. Hunc deinde ſecuti ſunt *Sommerus*, *Panſa*, *Reudenius*, aliique. Ex recentioribus in deſcribendis hiſce thermis haud vulgarem adhibuerunt operam *Hoffmannus* atque *Bergerus*. Ex his aliisque pluribus ſe profeciſſe, haud disſimulat Clariſſ. Autor; iis tamen, qui elegans hocce ſcriptum evolvent, luculenter conſtabit, optima quæque ex illis ſtudioſe perluſtratis & collegiſſe eundem, & plura addidiſſe, ab illis prætervisſa, vel non accurate ſatis annotata.

Altera

Altera Pars phyſicam complectitur conſiderationem, hæcque in *duo* diſtribuitur *Capita*, quorum *primum* regiones circa thermas, aliaque notatu digna, *alterum* aquarum naturam, diſquirit. Soli certe inveſtigatio multum nos inſtruere poteſt de aquarum, per illud decurrentium, nativa indole. Montes ſunt circa has thermas prælti, in quorum cacumine matutino æque ac veſpertino tempore nebulæ deprehenduntur aquoſæ, aere tamen in vallibus ſicco remanente. Oriuntur autem illæ ex communibus, aeri immixtis, humidis particulis, vel ex ſuperficie montium, ibidemque reperiundarum plantarum, exſurgunt. Priores nebulas, poſteriores exhalationes, vocat. An verum ferrum, vel venæ pyriticæ, ferri compotes, circa has thermas inveniantur, dubitatur. Earum tamen

Pag. 68. potes, circa has thermas inveniantur, dubitatur. Earum tamen præſentia in totum negari nequit, inprimis cum prope has thermas in loco, Altſattel dicto, magna pyritis copia eruatur,

74. tur, unde vitriolum martis ac alumen præparatur. Referri etiam huc poteſt mons ſic dictus ignivomus, ex eadem cauſa ignem ſuſcipiens. Circa ipſas thermas oſtia, continuos va-

79. pores ſulphureos exhalantia, animadvertuntur, qui animalia, propius admota, ſuffocant, & aquis præterlabentibus perpetuam quaſi ebullitionem conciliant. Hos autem vapores, aquis ſaporem conciliare mineralem acidiuſculum, non absque ratione aſſumimus, cum haud improbabile ſit, tenuiſſi-

85. mas pyritis particulas iisdem ſolvi, & aquis admiſceri. Primarius thermarum fons, *der Brudel* dictus, in media civitate ex ripa fontis Tepel fervidus proſilit; ſed, oſtio ejus propter copioſum, aquæ admixtum, tophum obſtructo, aliis in locis non-

94. nunquam erupiſſe obſervatus eſt. Sunt autem præterea & alii ab hoc, tanquam trunco, provenientes rami, iisdem qualitatibus inſtructi fontes, quorum accuratam exhibet Autor deſcriptionem, ex quibus illum, qui *Mühlenbad* dicitur, no-

96. minaſſe ſufficiat. Hi fontes calidi ſunt; dantur vero prope illos alii, calore deſtituti, & acidulæ *Sauerlinge* nuncupati. In fontibus hiſce ſemper aqua, eaque copioſa ſatis, deprehenditur, plures etiam a Phyſicis, ad hoc phænomenon pertinentes, opiniones propoſitæ fuerunt, veram tamen cauſam obſcuram

Digitized by Google

ſcuram adhuc ſibi eſſe, libere fatetur Cl. Autor. Calor aquarum, ejusque gradus, poſtmodum disquiritur, quem calore aquæ ebullientis minorem eſſe, experimenta evincunt. Quapropter etiam pyritis particulas ſolvunt hæ minerales Martis partes, nec non ſulphureas ex nexu ſuo diſturbant, mutua vero frictione calorem producunt, eo majorem, quo major particularum in ſe invicem actio eſt, cui actioni producendæ præaltus aquarum delapſus favet. Continentur præterea in aquis Carolinis ſalinæ particulæ, quæ pruinæ, vel ſubtilioris nivis, inſtar receptacula aquarum, eorumque ſuperficies, obducunt. Experimenta, cum floribus hiſce thermarum (ita enim vocari ſolent) inſtituta, alcalini potiſſimum generis eſſe, neutrius vero ſalis partem aliquam adjunctam habere, demonſtrarunt, quod neutrum ſal cum ſale mirabili *Glauberi* convenit. Unde alcalina hujus ſalis pars originem ſuam habeat, multum diſputatum fuit; eorum tamen ſententiæ accedit Autor, qui ex pyrite calefacto, aquaque ſoluto, illam deducunt. Deinde & aqua hæc copioſas terreſtres particulas admixtas habet, quæ, ex reliquarum conſortio ſecedentes, inter ſe collectæ, ſtalactitem formant, cui nihil ſalis ineſt. Non confundendus autem ille eſt cum topho thermarum, qui ea, per quæ aquæ decurrunt, loca denſa lapideaque cruſta obducit, pro ratione ſitus vero diverſæ denſitatis, coloris, atque figuræ, eſt, lamellisque, ſibi impoſitis, conſtat. Hujus quoque originem ex reſoluto pyrite derivat Cl. Autor. Aquæ nimirum terreſtres ejusmodi particulas tam diu retinent, quam diu calor illud permittit, hoc vero deficiente, ſponte ſua illæ ſecedunt, congreganturque. In pyrite vero tales contineri partes, itidem experimentis conſtitit. Cum nonnulli, veras ferri particulas huic topho ineſſe, crediderint, disquiſitione ulteriori comparuit, earum præſentiam maximopere deſiderari. Calcinatus tophus cum acidis efferveſcit, cum alcali tractatus tenuem pulverem ad fundum deponit, qui tamen non pro vera calce, ſed pro alcalina potius, ſelenitico ſpatho commixta, terra, habendus eſt, ut etiam medicamenti exſiccantis officio fungi poſſit. Convenit cum hoc topho ſpuma, vel cremor therma-

Pag. 99. 110. 114. 122. 137. 138. 147.

rum, in ſuperficie aquarum, pauliſper refrigeratarum, enatus,
Pag. 156. qui ſelenitica terra eſt. Tandem piſolithos conſiderat, quorum
diverſæ ſpecies ſunt,quique ex particulis arenæ, tophacea mate-
ria incruſtatæ, concreſcunt,ſenſimque augentur.Cruſtam exter-
nam ex topho oriri, reſolutio eorundem cum iisdem corpori-
bus, cum quibus tophus reſolvitur, demonſtravit. Phyſicam
hancce thermarum deſcriptionem chymica aquarum contem-
platio excipit. Aquam calidam eſſe, per ſe patet. Hujus ita-
que caloris gradus primo loco conſiderandus erat, qui etiam,
quo magis imminuebatur, eo graviorem aquam reddere ſole-
172. bat,quod hydrometro,ſæpius applicato,Autor experiebatur.Sta-
tera ordinaria ſimul comprobavit, has aquas, licet ſubtiliores
quædam exſpiraverint partes, leviores redditas haud fuiſſe.
Ad odorem ejus quod attinet, nec ſulphurei, nec alius principii
admixti, quidquam prodit, ſapor vero adſtringens, ſalinus, al-
calinus, leviterque oleoſus, eſſe deprehenditur. Hæc ſenſus
190. detegit. Acida pleraque admixta vel cum iis efferveſcunt,
vel colorem corporum, in quibus acidum eſt, eodem modo
mutant, prout ab alcalinis fieri ſolet. Evaporata aqua experi-
menta, antea adducta, non ſolum confirmat, verum etiam, ſa-
193. lem admixtum eſſe, luculenter demonſtrat; ex libra una
drachma ſemis maſſæ relinquitur, ſalinis terreſtribusque parti-
culis conſtantis. Terreſtres particulas, quas ſeleniticas vocat
195. Autor, peculiari methodo, præcipitatione ſcilicet, ſepara-
198. re fuit annifus; ut adeo certo conſtet, in his aquis, præter
alcalinum ſalem, medium aliquem, illumque amarum, alca-
linam deinde & ſeleniticam terram, contineri. Martiales
autem partes ſimul admixtas eſſe, probari non potuit. Sa-
lem medium cum mirabili *Glauberi* convenire, ſupra monui-
mus. Recenſita hactenus experimenta cum aqua fontis, *Bru-
del*, inſtituta ſunt. Ab hac diſcrepat ea, quæ ex ſic appellato
Mühlenbad hauritur, quæ nec corpora topho obducit, neque
ſapore cum illa convenit. Salinus enim vitriolicusque ma-
gis eſſe percipitur. Calor hujus aquæ per ſe minor eſt, quam
fontis *Brudel*, huic tamen, poſtquam vaſe recepta eſt, immiſſa
215. augetur. Gravitas hanc ob rationem major eſt. Alcalinam
etiam

etiam naturam præ antea dicto fonte majorem demonſtrat, & medium præterea ſalem copioſiorem obtinet. Tandem de novo differit fonte, *Neubrunnen*, qui eodem fere loco, quo præcedens, proſilit. Calor ejus inter præcedentes medium tenet, odor ſulphureus, nidoroſus, ſapor itidem ſulphureus & martialis, eſt. Tophi parum, vel nihil, obtinet, ut exinde etiam, ſua utilitate eundem non deſtitutum iri, facile conjici poſſit. Ratione ſane partium contentarum reliquis non eſt inferior. Provenit & alia quædam aqua in loco, a thermis remoto, ſub nomine *Buchſauerling* cognita, qua illi, qui ſanitatis cauſa in thermis verſantur, pro potu ordinario uti ſolent. Hujus itaque fontis, ne quidquam, quod ad perfectam harum thermarum declarationem pertinet, prætermiſſum eſſe videatur, Autor ſuſcepit disquiſitionem. Aqua, ex fonte hauſta, pura & pellucida eſſe conſpicitur; paucarum tamen horarum intervallo turbida redditur, & verſicolorem contrahit ſuperficiem. Poſt aliquod tempus in fundo terra quædam præcipitata conſpicitur, alcalinæ indolis, ipſi autem aquæ ſal medius & alcalinus immiſcetur. Adducuntur & alia plura, cum his aquis inſtituta, experimenta, quæ brevitas hic recenſeri non permittit, quæ tamen, quanta cum ſolicitudine Experientiſſimus Autor eadem inſtituerit, evidenter declarant.

Mineralium aquarum utilitates ex iis, quibus ſcatent, particulis determinantur; quapropter, præmiſſa harum exploratione, nunc demum in *tertia Parte*, quid in tollendis morbis a thermis Carolinis exſpectandum ſit, determinari potuit. Mechanicam earundem eſſe actionem, nemo facile dubitaverit; quod clarius pateſcit, ſi partium conſtituentium agendi modum ſigillatim exploremus. *Sectiones* hæc contemplatio *ſex* comprehendit. *Prima* de aqua calida, *altera* de ſale medio & amaro, *tertia* de ſale alcalino, *quarta* de terra alcalina, *quinta* de terra adſtringente, ſive ſelenitica, *ſexta* de ſulphure admixto, agit. Aqua in genere diluit humores, acria & viſcida reſolvit, ſimulque ex corpore eliminat. Si calida eſt, atque ſalinis principiis mixta, eo efficaciorem promtioremque producit effectum. Inprimis medio atque amaro ſali ſingu-

Digitized by Google

larem hos effectus producendi virtutem ineſſe, experientia docet, quæ exinde magis augetur, ſi alcalinus eidem jungatur, qui acidum ſubigit, pituitam incidit, hinc immobilia movet, ſaponaceamque virtutem exerit. Quapropter, arthriticis convenire ejusmodi mixtum affectionibus, inde concluditur, quod etiam eventus probavit. Mitior quidem facultas, non tamen nulla, alcalinæ adjudicatur terræ. Selenitica terra, quæ nonnullis harum thermarum fontibus copioſa admiſcetur, contra acidum pugnat, ſimul vero adſtringit, quod tum guſtus, tum balneorum in tollendis œdematoſis tumoribus, exſiccandisque ulceribus phagædenicis, effectus, demonſtrant. Huic autem principio ſoli hancce virtutem adſcribendam eſſe, inde confirmamur, quod fons *Mühlbad*, qui eodem deſtituitur, ſperatum in ejusmodi morbis effectum haud producit. Sulphur, quod in *Neubrunnen* eſt, ſaporis inſtar oleoſa aquoſis miſcet, feliciusque ex corpore heterogenea expellit. Qualiscunque vero de his principiis ſit diſceptatio, alia tamen ex mutua eorundem compoſitione erit actio, quæ ſubtile Medici judicium requirit. Huic autem ſatisfeciſſe officio Cl. Autorem, ſequentia declarant, dum differentias convenientiasque diverſorum horum fontium accuratius inveſtigat. Poteſt tamen remediorum applicatio morborum curationem & celeriorem, & difficiliorem, reddere. Duplex tantum, thermis Carolinis utendi, mos invaluit, per balnea nimirum, atque per potum.
Pag. 259. A vaporoſis autem balneis, a ſtillicidio, nec non a corroſione cutis per aquam, qua olim utebantur, ſingularem in variis morbis utilitatem ſperari poſſe, argumentis, ni fallimur, haud contemnendis evincere allaboravit Autor. Sunt tandem in morborum curatione minoris, ut videntur, momenti conditiones, quarum neglectus longius eosdem protrahere, & irritam remediorum actionem reddere, poteſt. In *ultimo* igitur *Capite* ſpecialiores quasdam adductas regulas videmus, de præparandis ad aquarum uſum corporibus, de evitandis rerum non naturalium vitiis, aliisque, ad diverſos hominum ſtatus ſpectantibus, circumſtantiis, utiles maxime & neceſſarias. Quamvis autem pro univerſali, quæ corpus no-

noſtrum afficiunt, ægritudinum remedio thermæ Carolinæ habendæ non ſint; obſervationes tamen centum & tres, quas hiſtoria morborum, hiſce thermis ſublatorum, Appendicis loco adjecta, complectitur, in primis æque ac ſecundis viis ſalutares eas præſtitiſſe effectus, ex *Hoffmanniana*, *Bergeriana*, *Schacheriana*, ipſiusque Autoris, experientia, firmiſſime teſtantur. Additæ eleganti huic libro figuræ Piſolithorum imaginem, modumque concreſcendi, illuſtrant, & methodum, vaporoſa balnea inſtituendi, exprimunt.

INDEX SUPELLECTILIS LAPIDEÆ, QUAM collegit, in Claſſes & Ordines digeſſit, ſpecificis nominibus ac ſynonymis illuſtravit, JO. FRIDERICUS GRONOVIUS.

Lugduni Batavorum, 1749, 8.
Plag. 8.

Quo, magni *Barhavii* conſilium ſecutus, præceptore in foſſilium cognitione methodica olim uſus eſt, *Linnæo*, Catalogum inſcripſit Autor, ejusque methodum in ordinandis foſſilibus adhibuit, quæ conſpectum totius Catalogi exhibere hic, nihil attinet. Specifica nomina a proprietatibus deſumta ſunt, locus autem, unde adducta foſſilia, plerumque indicatur. Lapidum, tum non figuratorum, tum figuratorum, ditiſſimus eſt Clariſſ. *Gronovius;* metalla non ita apud eum abundant. Metallorum mineras non rurſus in ſpecies ſubdividit, ſed, poſito generali metalli nomine, promiſcue recenſet. Specimen laboris exhibeat *Argentum*. Eſt ergo apud eum

Argentum nudum capillaceum & intortum;
2 - - nudum ramoſum *Markirchenſe;*
3 - - nudum nigrum *Markirchenſe;*
4 - - nudum in quartzo cinereo;
Argentum nativum cum quartzo, *Schneebergenſe*, *D. Heuckel;*
5 - - ſubdiaphanum flaveſcens, ad candelam liqueſcens;
6 - - ſubdiaph. rubro-albid. ad cand. liqu. *Markirchenſe;*
7 - - polyedron irregul. in quartzo, ſtanno fœcundum;

8 *Argent*. rude rubrum cum nativo mixtum, *Markirch.*;
9 - - rude album cum galena ſplendente in ſpato albo, ex fod. S. *Andreæ*;
10 - - rubrum, continens tres partes argenti;
11 - - fragile albidum, ſeu arg. rude plumbei coloris; Arg. albid. informe fragile, *Linnæi Syſtem.* 183, *ex Grunde* & *Markirch.*;
12 - - fragile albid. in quartzo; Arg. rude alb. *Bruckm. Cent. I Epiſt.* 39 §. 7. Weis-gulden-ertz, *Freyenbergenſe*;
13 - - fragile albidum mixtum cupro violaceo & pyritide fulvo; United. Copper. *Cornubienſe*;
14 - - fragile albid. mixt. cupro violac. & quartzo; Arg. cum floribus cupri pulcherrimum, ex *Germania*;
15 - - fragile albid. granulatum, quartzo immixtum, Zilber-ertz, Weis-gulden-ertz, *Andreabergenſe*;
16 - - frag. albid. cum plumbo, *Fahlunenſe* & *Markirch.*;
17 - - frag. albid. cupro & plumbo mixtum, *Markirch.*;
18 - - pur. nativ. ſpato inſidens, *Andreabergenſe*;
19 - - vivum quartzo inſidens, *Markirchenſe*;
20 - - minera auri & argenti *Tyrolenſis*.

Quid *Freyenbergenſe* & ex *Geromania* ſint, quivis facile videt. Ad naturalem metallorum ipſorum hiſtoriam non adeo multum videtur conferre opuſculum, ob paucitatem, ut diximus, ſpeciminum, etſi de iis, quæ poſſidet Clariſſ. Autor, ſubinde utilia monita addit. Sed lapidum omnis generis & petrefactorum notitia haud contemnenda ex hoc Catalogo hauriri poteſt, ut jure a potiori *ſupellectilis lapideæ* nomine ſit appellatus.

LYCURGI, ORATORIS ATTICI, QUÆ una reſtat contra Leocratem Oratio. Ad editionem JOANNIS TAYLORI, L. L. D. Coll. D. Joann. Cant. Socii, & Cancell. Lincoln. Cantabrigienſem recenſuit, hujus atque aliorum ſelectas, cum ſuis obſervationibus, ſubjecit, nonnullas Commentationes, Lycurgi de vita &

& ſcriptis, præceptis morum, rhetorica elocutione, Attica dialecto, ſtilique potiſſimum cum N. T. comparatione, itemque diſpoſitionem Orationis, nec minus quatuor Indices, adjunxit, ac præfatus eſt, JO. GOTTFR. HAUPTMANN, Eloqu. Profeſſ. Publ.

Lipſiæ, ſumtibus hæredum Lanckiſianorum, 1751, 8.
Plag. 16.

Humanæ cognitionis fontem aperire ſolent optimi quilibet Græcorum ſcriptores. Mirandum igitur, cur tam diu tam multi latere, quid? quod nonnulli penitus interire, potuerint. Pertinet huc Orator ille Atticorum, *Lycurgus*, cujus Orationes plurimæ temporis injuriam expertæ fuerunt: quæ una reſidua manſit, laudata potius eſt, quam lecta. Non jam in hujus rei cauſas inquirimus: id unum inde conſtabit, quod bene de literis mereantur, qui primos illos humani generis doctores nova veluti vita donant ac luce. Conſpicuus eſt in eorum numero *Taylorus*, illuſtris Anglus, cujus veſtigia legens novus Editor, de literis Græcis dudum præclariſſime promeritus, non modo *Lycurgum* Theologis, Jureconſultis, Hiſtoricis, Antiquariis, quibuslibet eruditis, commendavit, ſed etiam, plures alios illuſtraturum ſe eſſe, ſi publicus plauſus & impenſas facientium proclivis animus annuerit, pollicetur. Habemus jam illius conatus ſpecimina quædam, ac primas veluti lineas, in Præfatione de Scriptoribus Atticis, in Συνόψει diſputationum *Homericarum*, in Commentationibus de *Æſchylo*, atque illius tragœdiis, de *Sophocle*, atque illius tragœdiis, de *Euripide*, atque illius tragœdiis, de *Ariſtophane*, atque illius comœdiis, de *Menandro*, atque illius comœdiis, de *Philemone*, atque illius comœdiis, nec alibi minus. Hic autem eandem cum Poetis gratiam init *Lycurgus*. Prima ponitur cura in vita percenſenda; præſertim dum *Philiſci* deſignatio nihil nobis præter titulum reliquit. Erat is *Lycophronis* filius ex Ἐτεοβουταδῶν apud Atticos longe nobiliſſima familia prognatus. Ingenium habuit erectum, ſeverum, patiens, honoris ſtudio-

Digitized by Google

ſtudioſum, cui quicquid atræ bilis admixtum erat, a ſuperiore animi conditione premebatur, ut nec in avaritiam erumperet, nec juſtitiam læderet, licet atrocitati, quam clementiæ, propior exſtitiſſe putetur. Indidem orta eſt integritas morum, verborum fides, vitæ temperantia & conſtantia, quam in accuſando, judicando, leges ferendo, acerbitas quædam ac ſeveritas ſingularis, comitata eſt. Magiſtros habuit, Philoſophiæ *Platonem*, *Iſocratem* eloquentiæ, quos etiam poſtea *Demoſthenes* & *Hyperides* coluerunt. Eminentiſſimis functus eſt magiſtratibus, quippe cui vel ſoli Quæſtoris militaris munus, urbis cuſtodia, facinorum cognitio, credebatur, eo quidem ſucceſſu, quem & prædicaret, honoraret, remuneraretur, ſolenne plebisſcitum, in Ceramico ænea ſtatua, publicum funus, ipſius legum reverentia, & hujusmodi alia. Firmiter iſta merita fulſerunt, & reliqua eruditio, & gravis nominatim eloquentia. Hoc magis conſtaret, ſi, quarum ſoli tituli reſtitere memorandi, totæ vivaces exſtitiſſent Orationes. Decem & quatuor perditarum nomina jam colligere laborarunt *Meurſius* & *Fabricius*. Una, quæ reſtat, haud ſemel conjunctim cum aliis prodiit, edentibus maxime *Aldo Manutio*, *Jo. Lonicero*, *H. Stephano*, *J. Tayloro;* ſemel autem antea ſeorſim *Phil. Melanchthonis*, Germaniæ præceptoris, cura. Quamvis hæc editio bis repetita fuerit; ejusdem tamen editoris manſit: unde recens hæc ſuo jure ſecundum occupabit locum. Immo vero primum obtinebit, ita quidem Oratoris meritis inculcatis, ut & internas & externas elegantias nemo non admiretur. Internum pretium nominatim commendat activa doctrina, *Lycurgeis* ſententiis illuſtrata. Oratorum inprimis eſt, animos movere. Huc argumenta faciunt moralia, tam ex inſtituto perſequenda, quam Orationibus, elegantiæ, ponderis, ornatus, ergo, ſubinde miſcenda. Tota moralis eſt Oratio *Lycurgi*, generis nimirum juridicialis; neque peculiaribus Atticorum ornamentis, acutioribus ac brevioribus ſententiis, omnino deſtituitur. Oſtenditur illud, non ſolum, ad ordinem Orationis, ſententias Latinas, eandem rem deſignantes, ſubjiciendo, effataque ſacra; illuſtrationis ergo, conjungendo, ſed etiam veluti σκιαγραφίαν,

Digitized by Google

φίαν, quod jam diximus, activæ *Lycurgi* doctrinæ indidem eliciendo. Poſtremam ubi contemplamur, homo nobis occurrit aut in naturali ſtatu, aut in civili. In illo debet officia Deo, ſibimet, aliis. Deus inprimis cognoſcendus eſt, inde colendus. Cognoſcere debemus, quod ſit, quod omnia norit, quodque curam gerat omnium generalem, ſingularem bonorum, quippe primaria cum gratia conjunctam. Pendens inde fortuna deprimere fauſtos, & ad meliorem conditionem evehere miſeros,poteſt.Retinet enim ſapientiſſimam diſtinctionem Deus bonos inter atque malos. Sed ante, quam hoſce puniat, cæcos efficit ac ſecuros. Ita cognitus Deus pietate, precibus, ſacrificiis, virtutibus quibusque, colendus eſt: dum contra ſingulorum flagitiorum mater impietas. Profitendus hic idem, ſummaque ſpe & fiducia complectendus. Profitemur inprimis jurejurando: quod profecto Deus curat, neque pejerantes modo, verum etiam illorum liberos, omneque genus, graviſſime plectit, jus autem jurandum & fidem obſervantes auxilio beat ſingulari. Diviniorem doctrinam pars excipit *ἠθικὴ*, quæ ſummum bonum virtutibus obtinendum proponit. Intelligentia pariter perfici debet ac voluntas, ita quidem, ut & malam ſpeciem, non modo vitium, evitemus, ſimul atque germinarit: ubi, quæ nos concitare debent, argumenta *Lycurgi* de ſententia copulantur. Adduntur officia juris naturalis, juſtitiam, aliis exhibendam, complexa. Hinc ad civilem deducimur ſtatum, ubi ad communem ſecuritatem ac felicitatem ſeſe plures conjunxerunt. Eandem promovere debent Principes, magiſtratus, ſubjecti, quorum in muneribus & commodis percenſendis eſſe nolumus longiores, ſolam, quam Doctiſſ. Editor ſubjunxit, clauſulam commendaturi. Vult nempe, ut omnium, ſaltem præcipuorum,antiqui temporis Autorum veluti materies in ordinem doctrinæ redigatur, fore pollicitus, ut incunabula paſſim reperiremus plurimarum, quæ jam novæ jactantur, veritatum, intelligentiam fulciremus & harmoniam ſenſus, variis modis, dulcibus æque ac utilibus, eandem ſæpius rem tanto magis confirmandi occaſionem eliceremus, & quæ ſunt reliqua hujusmodi emolumenta. De Rhetorica *Lycurgea* primo

Digitized by Google

loco ponit atque examinat tria Sophiſtarum Græcorum judicia, *Dionyſii Halicarnaſſenſis, Dionis Chryſoſtomi*, ac *Hermogenis*. Inde occaſio petitur, tam internam *Lycurgi*, quam externam, eloquentiam, ſive ſtilum, explicandi. Ad rerum diſpoſitionem quod attinet, vocatur amans veritatis, in neceſſariis tantum occupatus, civilis, atque diſtinctus. Elocutio laudatur tanquam ſimplex, ſplendida, gravis. Generatim vero commendatur tanquam ad accuſationem comparatus, dicendique non libertate ſolum, ſed etiam pondere, gaudens. Specimina quoque ſubjunguntur omnium concinnitatis atque exornationis rhetoricæ partium, quæ ſimul breviter, at perſpicue, deſignantur. Paulo quidem aliter in Rhetorum ſcholis nonnullæ nominantur; at vel inde miratur Noſter, nec ab iis locis relegatas eſſe barbariæ tenebras, ubi Latinæ puritatis veluti meridies ſplendere debuerat. Modi ſic ordinantur: *συνεκδοχὴ, μετωνυμία, μεταφορὰ, & εἰρωνεία.* Primus deſcribitur, quo vocabulum a propria ſignificatione transfertur in aliam, eſſentia conjunctam; alter, quo translatio fit in ſignificatum, re ipſa quidem, non autem eſſentia, ſed mutuo rerum inter ſe reſpectu, conjunctum; tertius, quo ſimilem ad ſenſum inflectitur; ultimus tandem, qui ad rem omnino contrariam progreditur. Modis autem, figuris, & amplificationis generibus, expoſitis, commemoratur, urbi fuiſſe admirationi *Lycurgum*, quæ palmam eruditionis, prudentiæ, facundiæ, quandam omnibus eripuerit, eademque occaſione in Athenarum excurritur laudes. Sed revocatur nunc greſſus ad Atticam *Lycurgi* dialectum perſequendam. Fit hoc ſecundum ordinem *de Atticiſmo* Diſputationis, quam A. 1737 hic Lipſiæ habuit Clariſſ. Autor. Secundum eam documenta reſpiciunt poſitionem, modulationem, notationem, conjunctionem vocabulorum. Neque ſolum exempla ſuppeditantur, ſed regulæ pariter accommodatiſſimis antiquorum ac recentiorum teſtimoniis confirmantur. Sub finem tractationis duæ ſubjunguntur, ac reſponſionibus fulciuntur, quæſtiones: Si Atticus eſt, cur non ſæpius utitur Atticiſmis? & quem ſecum fert uſum hujusmodi diſputatio? Ad alteram reſpondetur:

quo-

quoniam, non niſi condimentum eſſe orationis Græcæ dialectum Atticam, arbitrabantur, cujus optima foret mediocritas, quælibet autem affectatio vitioſa; unde, quod hic nimium ſit, νόσημα vocant *Plutarchus* & *Philoſtratus*. Ad alteram urgetur exempla cum regulis conjungendi neceſſitas, & ad diviniſſimi Codicis contextum intelligendum, vindicandum, admirandum, accommodatio. Sic autem progredimur ad Novi Teſtam. cum ſtilo *Lycurgeo* comparationem. Hic non pauca tam ſunt inter ſe ſimilia, ut magis vix ovum ovo poſſet. Sunt fere CL loca, quibus inde lumen accenditur haud obſcurum. Inprimis autem ampla eſt accurataque totius Orationis ſecundum membra ſua XXXVII diſpoſitio, nihil facile illuſtrationum etiam & amplificationum intactum relinquens. In obſervationibus, contextui Græco ſubjectis, non hiſtoriæ ſolum & antiquitates Græcorum explicantur, verum etiam lingua; quid? quod alii pariter ſubinde ſcriptores enodantur. Eſſemus nimii, vel exemplorum hujusmodi ſingula ſingulis exemplis roborare ſi laboraremus. In ipſo libro ſitim reſtinguent harum rerum ſtudioſi: non igitur habentes, cur bis luſtrent, inprimis dum, difficillimum eſſe, fatemur, ſelectum. Invenient iidem, librarios etiam ſuis partibus laudabiliter eſſe functos, licet, quod fere humanas excedit vires, omne non effugere mendum potuerint, quo ſtatim illud in Dedicatione referri debet, quod, *ac tot inclutis ſummis viris*, pro *tot inclutis ac ſummis viris*, legitur excuſum. Dedicavit autem Clariſſ. Editor primariis, quos vocat, Athenarum Saxonicarum, Lipſiæ, inquam, noſtræ, Oratoribus, præceptoribus quondam ſuis, *Bœrnero, Deylingio, Hebenſtreitio, Jœchero, Kappio, Gottſchedio.* Idem ille certiores nos in Præfatione reddit, Antiquitates ſuas Ebræas, Græcas, Latinas, Germanicas, ut & Inſtitutiones poeticas, nil præter impenſas facientem exſpectare; Oratoris autem expolitionem ſaltem adhuc deeſſe.

MISCELLANEA LIPSIENSIA NOVA, AD INCREmentum ſcientiarum, ab his, qui ſunt in colligendis Eruditorum Novis Actis occupati, per Partes publicata.

Voluminis VII Pars II.

Lipſiæ, apud B. Lanckiſii hæredes, 1750, 8.

Plag 12.

Fronte ſub ipſa apparet *Jo. Chriſtophori Harenbergii Expo-*
ſitio quæſtionis: cur Deus in ſyſtemate Levitico ſibi corda im-
Pag. 185. *molari haud juſſerit, ejusque enodatio.* Credibile videri pote-
rat eis, qui ad ſacra *Moſaica* attentionem ſolent afferre, per
immolationem cordium deſignari apte potuiſſe oblationem
cogitationum viriumque animæ, Deo dicandarum. At Auto-
ri viſum fuit ſecus. Oſtendit enim, immolationis cordium
in œconomia Levitica nullam fieri mentionem, nullum præ-
ſto eſſe de cordibus peculiariter immolandis Dei juſſum. In-
quirit deinde in rei rationem. Eam ita inſtruit. Deus Ju-
daico populo in modum Regis, per Meſſiæ ſanguinem placan-
di, præſedit. Sanguis itaque fuit effundendus & ſpargendus.
Officina ſanguinis, cor, pinguibus ſelectiſſimisque carnis par-
tibus, quæ Regum erant in epulis deliciæ, haud fuit annume-
rata. Fundamenta ſic jacere cœpit Autor expoſitionis ce-
rimoniarum Leviticarum, ut plerique ſacri ritus ſimul ad ori-
gines genuinas, ex ſcopo Dei derivandas, hac ratione referri poſ-
ſint, dummodo quis meditatione ſua utatur ſolide, nec viam
populi nimis urgeat. Succedit diatribæ huic *Petri Zornii Diſ-*
ſertatio poſthuma de Cæſaris Neronis domeſticis Chriſtianis, ex
201. *Phil. IV, 22*, poſita potiſſimum in recenſendis ac refellendis
215. aliorum ſententiis, qui eos diſtincte voluerunt indicare. Ex-
cipit hanc *J. P. S. Specimen Gloſſarii Græco-Phœnicii* reliquum,
eruditionem philologicam ſatis ſpirans, indicium harmoniæ
linguarum inter populos vicinos, licet diſcrepantia ſenſim le-
vior interceſſerit, & locum fecerit diverſitati vocabulorum ma-
jori. Qui nomina *ἄξων* & *ἀξίνη* cum *axe* & *aſcia*, cum Ara-
bum *achas* & *akaz*, cum noſtris vocabulis *Achs* & *Achſe*, in con-
tentionem adduxerit, is de rei evidentia haud amplius dubitabit.
247. Quod ſequitur, *Chriſtophori Auguſti Heumanni Emendationum*
Minucii Felicis Ferculum ſecundum, verſatur in emaculandis eis,
quæ per librarios & temporis incuriam ſunt in deterius ſublapſa

&

& depravata. Fit initium a *Capite octavo*, & in *Capitis XV* ſine ſubſiſtitur. Orat tandem Cel. *Heumannus* Editorem horum *Miſcellaneorum*, ut & hoc ferculum ſuo ſubjiciat examini. Pag. 271.
Progredimur ad *Friderici Ottonis Menckenii Decadem quintam librorum, haud ita diu ab inventa arte typographica editorum, quibus ſuppleri poſſint Annales typographici Maittairiani, ejusdemque priorem Partem.* Diſſeritur hic de *Franciſci Maturantii*, Peruſini, *de Componendis Carminibus opuſculo*. Accedit ei *Nicolai Perotti Spyontini de generibus metrorum* libellus, porro ejusdem *de Horatii Flacci ac Severini Boetii metris*, nec non *Omniboni Vicentini de arte metrica libellus*, & *Servii Mauri Honorati, Grammatici, Centimetrum.* Faſciculus hic Venetiis fuit publicatus A. 1493, 4. Prodierat hæc Sylloge jam Venetiis A. 1491, quam editionem *Maittairius* indicaverat, hanc ignorans. Separatim ſingula exierunt in lucem opuſcula. *Maturantii* certe liber Venetiis A. 1478 evulgatus fuit. *Perottus* jam A. 1480 deceſſerat. De Autoribus ſingulis nonnihil commentatur *Decadis* Autor, paſſim nævos aliorum modeſte notans. Collectioni, quæ ſecundum recenſionis locum occupat, præfixus eſt titulus: *Per Ant. Mancinellum. Elegantiæ Portus Laur. Vallenſis Lima. Rhetoricen ad Herennium eſſe Ciceronis. Rhetorices ad Herennium Commentariolus. Venetiis*, 1494, 4. Syllogen hanc grammaticam edidit *Mancinellus*, illuſtris Seculi XV Grammaticus, ortu Veliternus, laudibus ætatis ſuæ celebratus. Portus elegantiæ eſt fœtus *Laurentii Vallæ, Elegantiarum Latini ſermonis* nomine inſcriptus, a *Mancinello* in epitomen contractus. Indicavit hic, omnium elegantiarum materiem in id libelli fuiſſe comportatum. *Franc. Floridus Sabinus, Mancinelli* obtrectatur aſperior, credi voluit, in hac epitome omnes elegantias fuiſſe naufragium paſſas, licet *Mancinellus* a veſtigiis *Vallæ* ne latum quidem unguem diſceſſerit. Limam tamen *Mancinellus* adhibuit, ut vocabula tueretur, eorumque genuinos retineret ſignificatus, quæ *Valla* vel vitioſe expoſuerat, vel citra jus fasque Latio proſcripſerat. *Mancinello* viſum fuit, opus *ad Herennium* ipſius eſſe *Ciceronis*. Cauſam

272. (margin, beside "Progredimur")

285. (margin, beside "rum modeſte notans")

Digitized by Google

ſuam peroravit ſatis probabiliter, *Valla* & *Angelo Politiano*
aſſentientibus, diſſentiente *Florido Sabino*, & Criticis noſtris
univerſis in contrarium euntibus. Commentariolus *Mancinelli*
in librum rhetoricum *ad Herennium* ultra primum Librum
progreſſus non fuit. Vitæ ſuæ partem *Mancinellus* ſcripſit edi-
ditque in *Vita ſylva*, cum aliis opuſculis, uno volumine Ve-
netiis A. 1493 editis, evulgata. Inde *Menckenius* potiora de-
cerpſit & repetivit. Annum, quo *Mancinellus* vitam depoſuit,
nemo adhuc indicavit. Natum fuiſſe ipſum A. 1452, ex *Sylva*
conſtat. Quæ *Matthias Flacius Illyricus* in *Catal. teſt. ver.*
pag. 576 de *Antonio Mancinello*, publica oratione in *Alexan-*
drum VI invecto, memorat, fabuloſa ſunt adeo, ut *Balius*
Pag. 301. etiam ea expunxerit. At vocat nos alius *Mancinelli* fœtus.
Scribendi orandique modus per Ant. Mancinellum a *Menckenio*
laudatur porro. Opuſculum fuit impreſſum *Venetiis per Ber-*
nardinum Benalium A. 1493, 4. Eodem anno liber idem Ve-
netiis prelo *Joannis Aluiſii de Variſio* exiit, licet annus haud
303. fuerit adſcriptus. Ordo pæne ab hoc libro exulat, licet alio-
qui multa minus exſpectata complectatur. Videtur hunc li-
brum *J. A. Fabricius* appellaſſe *Lexicon de verborum ſignifica-*
306. *tu*. Supereſt in Bibliotheca *Menckenii* præterea *Verſilogus*
Mancinelli Veliterni, Romæ A. 1488, 4, editus. Carmine he-
xametro ibi *Mancinellus* artis metricæ præcepta complexus
fuit, ignis, ſpiritus, & fictionum, experte. Addenda eſt huc
tandem memoria libri, ad eosdem corymbos referendi. De-
ſignatur a nobis *Ars verſificandi & Carminum Conradi Celtis*
Protucii, Poetæ laureati. Loci annique indicium abeſt. Ex-
309. preſſus eſt liber forma, quam vocant quartam. Seculo certe
XV exeunte fuit publicatus. *Celtis* (ita enim ſe ipſe, non
318. *Celtes*, ſcribit,) ſuam ſcribendi Carmina facultatem acce-
ptam retulit *Rudolpho Agricolæ*. Oculos nunc allicit, &
puncta fert, *Joannis Gottlob Hornii Hiſtoria expeditio-*
nis auxiliaris, a Friderico Severo, Landgravio Thuringiæ, &
Marchione Miſniæ, in honorem & emolumentum Eduardi III,
Regis Angliæ, contra Philippum Valeſium, Regem Galliæ, belli-
gerantis, A. 1339 ſuſcepta, ex Annalibus optimis enarrata, &
ope chartarum publicarum pro virili probata. Ludovicus Ba-
va-

Digitized by Google

varus, Imperator, generum Landgravium adduxit ad ſuppetias *Eduardo*, quem Imperator A. 1336 fœderi adſciverat, Vicariumque imperii per Galliam Belgicam creaverat, ferendas. *Fridericus* eo fine in terra Rochlicenſi A. 1339 inter ordinem equeſtrem habuit delectum. Inde in caſtra *Eduardi* Regis delatus, teſtamentum condit, cujus avtographum deſideratur. Mentio ejus fit ad A. 1342 in dotatione novi altaris eccleſiæ S. Crucis Dresdenſis. Venit *Fridericus* ad *Eduardum* in Picardia. Diſceſſurus creatur eques auratus. Patriæ redditus, Comitatum Iſenaci armatum liberaliter excipit, & reſiduum per anni tempus ibi commoratur. Succedunt huic elabora- Pag. 350.
tioni, lucernam olenti, *Dan. Wilh. Trilleri, Philoſ. & Med. Doct. hujusque in Academia Vitemb. Prof. Publ. Conſiliarii aulæ Reg. Polon. & Elect. Sax. ad veterum Autorum loca nonnulla Obſervationes criticæ.* Ominatur Ill. Autor, fore, ut elegantioribus literis officiat ſeculi noſtri ſubtilior potius, quam utilior, Philoſophia. In *Ecloga Virgilii IX verſ.* 57, 58, hæc leguntur: *Et nunc omne tibi ſtratum ſilet æquor: & omnes (Adſpice) ventoſi ceciderunt murmuris auræ.* Murmuris auræ quid ſunt, quærit Ill. Autor. Subſtitue, ait, *iræ*, & omnia ſunt 358.
plana. *Ira* dicitur *cadere Ovidio Epiſt. 18. Æquor ſtratum* dicitur, quod rediit ad tranquillitatem. In *Horatii Carm. Lib. IV Od.* 7 leguntur vulgo hæc: *Mutat terra vices & decreſcentia ripas Flumina prætereunt.* Cur decreſcentia? Id experientiæ reclamat. Videtur reſcribendum eſſe *recreſcentia.* Nam flumina increſcentia, & nivibus ſolutis aucta, ſuperant ac transſiliunt, ſeu prætereunt, ripas ſuas. *Recreſcere* eſt vox, *Ovidio, Livio*, aliisque, trita. Leguntur hæc in *Philoſtrati Libro IV de Vita Apollonii Cap. 20 pag.* 157: Μειράκιον τῶν ἀβρῶν, οὕτως ἀσελγὲς νομιζόμενον, ὡς γενέσθαι ποτὲ καὶ Ἀμαζόνων ᾆσμα. Amazones, & earum cantilenæ, huc haud quadrant. Reſtitue vocem ἀλαζόνων, ut prodeat *ſcurrarum cantilena*, ſeu *fabella;* tunc omnia ſunt in expedito. Excipiunt hæc fercula *D. Chriſtiani Benedicti Michaelis Quæſtiones grammaticæ ex lingua Ebræa.* In præſens ex orthographia 360.
Vir Cel. affert ſpecimina, a Grammaticorum formulis & ſcitis

Digitized by Google

tis aliena, daturus alio tempore Quæſtiones ex Etymologia & Syntaxi. Quæſtiones in præſens Philebræis exhibitæ ſunt 63, quibus enodandis ſe accingant, oramus vehementer, ii, quibus de meliore Hebraico & Libani luto finxit præcordia Titan. Obiter tandem monemus, legendum *pag. 202 lin. 11: R. Salomo ben Melech in Commentario ad Pſ. XXXVIII, 8.* Legitur enim ibi: *Rex Salomo Pſ. XXXVIII.* Lege præterea *pag. 395 lin. 3 in expedito* pro *impedito*, in *Parte* ſequenti, de qua proxime dicemus.

DISSERTAZIONE TEOLOGICO - CRITICA del P. Maeſtro F. AMBROSIO ANSANO TANTUCCI, &c.

id eſt,

DISSERTATIO THEOLOGICA ÆQUE AC critica Dominicani Magiſtri AMBROSII ANSANI TANTUCCI, qua vindicatur congruenter Thomæ Aquinati Catharina Senenſis ab illo, quod legitur in Abbatis Fleurii Hiſtoria eccleſiaſtica.

Mediolani, impenſis Joſephi Bonacinæ, 1749, 8.
Plag. 22.

B*onacina*, mercator librarius, inſcripſit librum Ven. Patri Fr. *Antonio Bremond*, Magiſtro Ordinis Dominicanorum generali. Legitur in *Hiſtoria eccleſiaſtica Fleurii Tom. XX ad A. 1376 pag. 260 edit. Pariſ. anni 1742* nonnihil de viſionibus *Catharinæ* Senenſis, Dominicanæ, quod male *Tantuccium* habet. *Raimundus de Capua, Catharinæ* a Confeſſionibus, & poſtea Magiſter Dominicanus generalis, in *Catharinæ* vita tradit, ipſam putaſſe, ſibi viſum eſſe Jeſum, comitatum ſancta ſua matre aliisque compluribus Sanctis, Jeſum deſponſaſſe ſe ſolenniter cum *Catharina*, & huic annulum donaſſe, digitoque adjunxiſſe, perpetuo affixum, at a nemine, niſi a *Catharina*, ſpectatum. Scripſit idem, *Catharinam* ſuxiſſe vulnus Jeſu, in latere emineus, & ſtigmata ſua ei impreſſiſſe, ipſi ſoli conſpicua. Addidit hiſce *Fleurius* judicium ſuum ejusmodi: *Nullus dubito, quin crediderit ipſa, hæc eſſe vera,*

&

Digitized by Google

& ipſam hac bona fide narraſſe. At imaginatio vivida, jejuniis vigiliisque incenſa, potuit magnam earum viſionum partem effeciſſe, idque eo magis, quod occupatio nulla externa ei hæc viſa excuſſit. Talis erat Catharina, cum Florentini eam mittebant ad Papam Avenionem 1376. - - Redux Catharina, pace inita & promulgata, ad Cœnobium ſuum, occupata in eo, ut literis curaret conſignandas revelationes ſuas, id eſt, illud, quod dixerat in ecſtaſi ſine ſenſuum uſu. Inter hæc Catharina usquequaque ſcripſit pro Papa Urbano. Ab initio ſchiſmatis ſcripſit ad tres Italiæ Cardinales, qui Clementem elegerant, in ipſos ſtatuens, veluti in membra, ab Eccleſiæ capite ſegregata, ac in dæmonas, carne indutos. Ipſa ſcripſit anno ſequenti ad Carolum, ut contra Schiſmaticos eum excitaret ad bellum. Id quod Sancta minus dignum videtur. Obiit Romæ A. 1380, 29 April. modo 33 annos nata, at infirmitatibus ac doloribus exhauſta, quos ſibi contraxerat per jejunia, vigilias, aliaque auſteritatis genera, ut omittam occupationem mentis continuam & afflictionem, quam in animum demiſit ob triſtem eccleſiæ ſtatum. Ut igitur *Tamuccius* ſeraphicam *Catharinam* vindicaret in poſſeſſione ſanctitatis Seculorum quatuor, nil reliquit inexpertum, collocans eam inter animos præelectos. Tractationem in *duas* diviſit *Partes*. *Priori* it demonſtratum, *Catharinam* laboribus manuum externisque vacaſſe, viſiones ei datas fuiſſe cœleſtes, nec vanitatibus imaginationis inferendas, nil veritati revelationum illius opponi poſſe ſolidi, ac *Raimundum* Capuanum ſe non fefelliſſe, dum tradidit, *Catharinam* cum Jeſu cor permutaſſe, vultumque *Catharinæ* ſubito in vultum Chriſti per transmutationem abiiſſe. *Parte poſteriori* docetur doctrinis Patrum & *Thomæ Aquinatis* congruenter modus haud unus, quo Deus operationes, ſupra naturam poſitas, in animis excellenter dilectis communicet. Exponit myſterium, quo *Catharinam* tradunt ſuxiſſe plagam lateris Jeſu. Ad viſionem id refert. Examinat mutationem cordis, ſtigmata aliorum oculis non adſpectabilia, & librum, quem *Catharina* intra ecſtaſin dictavit, ſponſa-

Pag. 20. 74. 95.

lia *Catharinæ* cum Chriſto, vim imaginationis huc haud
Pag. 234. referendam niſi depuratam & ſanctam. *Incarnatos dæmonas* ipſam recte appellaſſe tres Cardinales ſchiſmaticos, contendit, ratus, haud nefas eſſe, implorare brachium ſeculare
239. ad membra, verbis haud medicabilia, prorſus reſecanda. Reliqua ad Chronologiam ſpectant. Dedimus controverſiam, judicio noſtro ob rationes graviores haud adjecto.

IDEE DE LA POESIE-ANGLOISE, &c.

id eſt,

IDEA POESEOS ANGLICANÆ, AUT VERſio meliorum Poetarum Anglorum, qui nondum in lingua noſtra apparuerant, ſubjuncto judicio de operibus eorum, additaque comparatione Poeſeos eorundem cum antiquis & recentioribus Scriptoribus. Per Abbatem YART, Membrum Societ. Reg. Scient. & Art. Rothomag.

Tomus I & II.

Pariſiis, apud Claud. Briaſſonum, 1749, 8.
Alph. 1 plag. 7.

Incidit aliquando inter Gallos doctiſſimos quæſtio, an Poemata verſibus ſint transferenda, nec ne. Cel. *Boubierius* affirmavit quæſtionem, *Dacieria*, doctiſſima fœmina, & *de la Motte* contrarium tuentibus; quibus accedunt Collectores Diarii, *Journal de Savans*, *Menſe Majo 1737*, qui, longiora inprimis Poemata verſibus non eſſe reddenda, exiſtimant. Abbas noſter exemplo ſuo docet, poſterioribus ſe haud favere, dum Anglorum lectiſſima Poemata lingua patria reddere cœpit. Sequuntur enim plura his *Volumina*. Noſtrum nunc eſt, Lectoribus noſtris indicare, quæ *duobus* hiſce *Voluminibus* contineantur. Dedicatum eſt hoc Opus Duci *de Luxenbourg*, qui, inter alia munera, Protectoris Academiæ, cui adſcriptus eſt Abbas, titulum gerit, hic ab Abbate prolixius laudatus. Hanc Dedicationem excipit librarii narratio de contentis *duorum Voluminum*. Poemata *Philipſi* primum locum obtinent,

tinent, quæ nondum in linguam Gallicam fuerunt translata, cum tamen plurimi id deſiderarint. Tribus in generibus carmina compoſuit, georgico, heroico, & jucundo (*burlesque*). His juncta fuerunt Doctoris *Swiftii* Poemata ejusdem generis. In *altero* autem *Volumine* leguntur Poemata, in genere didactico, ſatyrico, & lyrico, compoſita, quorum Autores & nomina, ubi ad id perventum fuerit, adducemus. Fidem interim & elegantiam traductionis promittit. Præfixa eſt operi Præfatio, quæ de Poetis hujus ævi diſſerit. Suadet Autor, ut lectio Poetarum, inter alias gentes celeberrimorum, cum antiquis jungatur, & in ſcriptis exterorum novum genus imitandi veteres quæratur, quod optime ſucceſſit nonnullis. Inventionem rariſſimam eſſe inter ſuos, pronuntiat. Optat unam linguam omnium populorum, & unam totius orbis gentem eruditorum. Exterarum gentium traductiones laudat, inprimis autem Anglos laudibus evehit, id quod rariſſime a Gallis fieri ſolet. Addit tamen, Gallos polire Muſas Angliæ. Primus, qui producitur, eſt *Philips*, quem nominans Abbas, georgicum Poema in Gallia nullum prodiiſſe, dolet. Inſcripſerat ille Poema ſuum *Pomonam*, ſive *le Cidre*, de quo titulo verba facit Abbas, & translationem ejus ſic excuſat, quod id etiam miniſter *Coſmi de Medicis*, Ducis Tuſciæ, in ſuam linguam transtulit. Si recte meminimus, illud ipſum Poema in aliquo Ephemeridum, lingua Germanica editarum, translatum exſtat. Ad alterum Poema ejusdem Autoris Abbas progreditur, in prælium Hochſtadienſe, de quo judicium fert, &, quod nimius fuerit in laude Anglorum, reprehendit. Ordo tangit Poema *le prétieux Chelin*, cujus Noſter virtutes & vitia proponit. Denique de ſua ipſius traductione loquitur. Quando invenit dictiones, ad genium Anglicanæ linguæ accedentes, eas in contextu mitigavit, & literalem interpretationem in notis adjunxit. Tres ſermones de tribus hisce Poematibus, magna pars annotationum, ad rem literariam & criticam ſpectantium, hoc opus conficiunt. Inveniuntur loca veterum, quæ ſcriptores transtulerunt, vel certe imitati fuerunt. Afferuntur ex Gallicis Poetis loca, quæ, comparatione inſtituta cum tribus hisce Poematibus, de differentia

Vol. I pag. 1 - 16.

Xx xx 2 Poe-

Poetarum Angliæ & Galliæ omnes convincent. Adduntur
nonnulla ex Phyſica, Geographia, & Chronologia, quæ ad
Pag. 17 - 24. ſenſum Autoris illuſtrandum faciunt. Vita deinde *Jo. Phi-*
lips, Anglice compoſita a *Georgio Sewello*, editore Operum
ejusdem, in compendio exhibetur, cui notæ Abbatis noſtri
ſubjiciuntur, in quibus tamen nonnullæ ſuperfluæ eſſe vi-
dentur. Neminem enim in Geographia ita hoſpitem eſſe
credimus, qui neſciat, Salop, Oxoniam, & Winceſtriam, ur-
bes eſſe in medio Angliæ ſitas; Oxoniam Academia illu-
ſtrem eſſe, neminem fugiet; nec Collegium & Epiſcopum
Winceſtrienſem quisquam ignorat. *Philips Miltonum* inpri-
mis, *Chaucerum, Spenſerum*, legebat. De his poſterioribus no-
tæ ſubjectæ, *Chauceri*que vita in *Biographia Britannica Tom.*
II pag. 1293 ſeq. exſtat. In Phyſica verſatiſſimus fuit *Philips*,
elegitque ſibi *Virgilium* imitandum. Magni ſit ab eruditis.
25 - 28. Epitaphium ejus compoſuit *Atterbury*, quod integrum hic
29 - 48. exhibetur. Ante Poema legitur ſermo præliminaris Editoris
ſatis copioſus, in quo, cur id ediderit, cauſam aperit, ſuos-
que cives ad Poema georgicum componendum excitare an-
nititur, licet id difficultate laboret. Judicium de præſenti
Poemate ſit, cujus epiſodia inprimis reprehenduntur. Poe-
ma, quod *Pomona* inſcribitur, *duobus* comprehenditur *Li-*
bris. Summa *Libri primi* hæc eſt. Terra conveniens po-
mis quærenda eſt. Cognoſcenda eſt natura & qualitas ter-
ræ. Colenda eſt terra, quam maxime ſterilis. Foſſæ ſunt
ducendæ in pede arborum, ut conſervetur refrigerium. De-
ſcribuntur horrendi effectus nimii caloris ſolis. Plantæ
amant & oderunt ſe invicem. Diſcendum eſt, quo mo-
do ſpecies diverſæ invicem jungendæ ſint. Experientia
multa detexit, præſertim ope microſcopii. Laborandum
perpetuo. Superflua recidantur, removeantur beſtiæ. Su-
peratis iis, quæ fructibus accidere poſſunt adverſa, magna po-
marum copia fruimur. Potus, ex plantis Herefordiæ con-
fectus, ſuperat vina præſtantiſſima. In laudes Angliæ excur-
ritur; ne ſingula tangamus. Notæ Editoris, vel potius inter-
pretis, multa egregia continent. Comparatur inprimis Poe-

ta

by Google

ta noſter cum *Virgilii* Georgicis, loca geographica explicantur, quod tamen non adeo neceſſarium fuiſſe videatur. Reprehenduntur, excuſantur, laudantur, quæ judicio tali digna judicaverat Editor. Senſus literalis, qui in contextu exprimi non poterat, ſubjicitur. *Liber II* elogium Autumni continet. Fructus terræ prelo ſubjiciantur, dum neceſſaria inſtrumenta ſint præparata. Cura habenda eorum, quæ decidunt arboribus, antequam maturuerint. Decimæ Clericis ſolvendæ. Prognoſtica anni boni, aut mali, attendantur. Quælibet gens habet ſuos potus; & quæ ſunt reliqua. Excipit hoc Poema aliud, quod inſcribitur Pugna Hochſtadienſis, cui & ipſi ſermo præliminaris præmittitur, de hoc Poemate heroico agens. Contenta hujus Poematis hæc ſunt: Elogium *Roberti Harley*; copiæ *Ludovici XIV*, dum Regina *Anna* bellum ei denuntiaret; Angli, trajecto mari, veniunt in Bavariam; adventus Ducis *de Marleborough* ſpem Germanis excitat; ſermones Gallorum; initium & deſcriptio pugnæ; victoria eſt dubia; cedit *Eugenius Marleboroughio*; periculum imminet; tandem Angli reportant victoriam; omnis Gallorum exercitus undis ſubmergitur; deſcendunt in infernum; inveniunt ibi principem juvenem, & alium juvenem; magni honores *Marleboroughio* exhibentur; diripitur Bavaria; bella Hiſpaniæ, Italiæ, Sueciæ, Poloniæ; gloria Reginæ Angliæ; pax, qua tria hæc regna fruuntur; votum, ut pax redeat in Europam; Elogia Reginæ *Annæ*, *Boolinbrookii*, & *Marleboroughii*. Tertium Poema ejusdem Autoris ad genus jucundum (*burleſque*) pertinet, & eſt: *le Prétieux Chelin.* Præmittitur & hic ſermo, ubi de hoc genere carminum generatim quædam monentur. Objectum eſt gaudium imaginarium illorum, qui ſe dant comeſſationibus: cujus exemplum hic præbet homo, cui cum miſeria confligandum eſt. Ad id genus referri debet quartum Poema D. *Swiftii*, *Baucis & Philemon* inſcriptum, quorum fabula vel ex *Ovidio* conſtat, a quamplurimis Gallorum in Poeſi adhibita. Autor ſatis notus eſt, non ita pridem mortuus

Pag. 60 - 108.

111 - 166.

167 - 191.

192 - 209.

 Dubli-

Digitized by Google

Dublini, cui in eccleſia S. *Patricii* hoc Epitaphium poſitum eſt: Hic depoſitum eſt corpus *Jonathan Swifft*, S. T. D., hujus eccleſiæ cathedralis Decani, ubi ſæva indignatio ulterius cor lacerare nequit. Abi, viator, & imitare, ſi poteris,
Pag. 210-213. ſtrenuum pro virili libertatis vindicatorem. Eundem, uti ante putarat Editor, ſed verius *Popium*, Autorem habet Poema quintum, felix vita paſtoris inſcriptum, ubi Poeta *Epigramma 47 Lib. X Martialis* imitatur. Integrum non exhibetur;
214 - 219 quædam ſunt reciſa, quod & in ſuperioribus factum eſſe obſervamus. Sextum Poema eſt deſcriptio pluviæ, quæ Londini
220-227. cadit, imitatio *Virgilii Lib. I Georgicorum*, *Swifftio* Autore.
223 ſeq. Septimum deſcribit auroram, quod idem compoſuit Doctor. Octavo loco inſerta eſt Epiſtola ejuſdem ad Comitem Oxo-
232 fin. niæ, ſcripta A. 1713. Imitatus eſt *Horatii Epiſt. 7 Lib. I.* Ultimum denique Poema *Swifftii* eſt imitatio *Horatiana Lib. II Sat. 6.* Sed ſatis de hoc *Volumine*; ad *alterum* veniamus.

Vol. II *Volumen alterum* tria genera carminum tractat, didacticum,
pag. 1-12. ſatiricum, lyricum. In fronte collocatur ſermo prævius de Poemate didactico, quo principia ſtabiliuntur, ex quibus de Poeſi Anglorum judicium eſt ferendum. De didactico genere, an ad poemata pertineat, aliquando quæſitum fuiſſe, & *Racinum* affirmaſſe quæſtionem, cuilibet notum. Exhibetur inter didactica tentamen Ducis *de Buckingham* de Poeſi. No-
13 - 50. men ejus eſt *Jo. Stieffield*, fuitque ipſe Comes *de Mulgrave*,
51 - 73. *Marquis de Normanby*. Primum hoc eſt ſpecimen poeticæ facultatis, quæ in eo fuit, quod exhibet præcepta in omni ge-
74 - 97. nere Poeſeos. Sequitur Cenſura *Drydenii*, quam confecit *Jo. Wilmot*, Comes *Roceſtriæ*. Prioris vita breviter exhibetur. Imitatio hæc interim eſt *Lib. I Sat. 10 Horatii*. Notiſſimi illius *Joſephi Addiſonis*, qui & apud nos magni exiſtimatur, exhibetur brevis hiſtoria maximorum Angliæ Poetarum, ad *Henricum Sacheverellium*. Breviter ſaltem vita utriusque in idea præmiſſa recenſetur. *Addiſonis* vita copioſius deſcripta legitur in *Biographia Britannica Vol. I pag. 36 - 39.* Omnino merentur hanc operam Anglici Poetæ, quam etiam alii eisdem exhi-

bue-

Digitized by Google

buerunt, ut *Wilh. Webbe*, Lond. 1586; vid. ***British Librar.***
A. 1737 Menſ. Febr. num. 4. Poetæ hic occurrunt ***Chaucerus***, Pag. 98-122.
cujus vita legitur in ***Biographia Britanica Vol. II pag. 1298-***
1308, Spencerus, Cowley, Miltonus. Jungitur huic Poemati
aliud: Progreſſus Poeſeos, Autore domina ***de Wortbley Montai-***
gue. De hac vitæ ejus memorabilia præmittuntur. Non in-
tegrum illud Poema exhibetur; præmittuntur elogia, quibus
veteres mactarat, quædam tamen adducuntur, quæ de ***Home-***
ro, Pindaro, Sapho, Anacreonte, & ***Horatio***, dixit. Accedit
poſtea ad ***Chaucerum, Spenſerum, Shakeſpearium, Cowleyum,***
Wallerum, Miltonum, Denhamum, Drydenium, Congrevium,
Garthium, Lansdownium, Grandvillium, Rowcum, Priorem,
Addiſonium, Popium, in quo deſinit. Satirico Poeſeos ge- 123-134.
neri præmittitur ſermo de Satira, de objecto ejus & ſubje-
cto, de virtutibus & vitiis ejusdem, & aliis rebus, huc per-
tinentibus. Verba facit de ſequentibus Comitis ***de Rocheſter***
Satiris, & aliis, quæ poſtea ſequuntur. Vita hujus Comitis in 135-149.
compendium redigitur, & oculis lectorum exhibetur; cui ſub- 150-156.
jungitur ***Idyllium Behniæ*** in mortem ejusdem Comitis, cujus ple-
nior vita legitur in ***Biographia Britannica Vol. I pag. 665 ſeq.***
Satira contra hominem directa eſt; quemadmodum vero 156-177.
Boilavius idem tractarat argumentum, ita uterque hic inter ſe
comparantur. Uterque, beſtias ſuperare homines, defende-
rat; ſed uterque limites tranſiit. Idem Comes de convivio
riſu digno Satiram conſcripſit, quod & ***Horatius, Boilavius,*** 178-193.
& ***Regnierius***, feciſſe memorantur, & hi inter ſe conferun-
tur. Aliam Satiram dedit Comes de aquis Tunbridgen- 194-202.
ſibus, quæ eo tendit, ut rideat plerosque, qui ibi com-
morantur, ad utendum iisdem. Facillime poterit ad ſi-
mile argumentum transferre, cui id libitum fuerit. Judicium
occurrit de ſequentibus Satiris. Legitur hic tentamen de 203-213.
Satira per ***Mulgravium***, Ducem ***Buckinghamium.*** Sed hic
ipſe expertus eſt ***Drydenium*** hoſtem, qui Satiram contra 214-220.
eum publicavit, & ſub nomine ***Zimri*** eum reprehendit.
Inſurrexit ***Popius*** contra ***Addiſonium*** Satira edita. Oc- 220-225.
caſio

caſio hæc fuit: *Popius* & alius Poeta mediocris *Iliadem Homeri* verſibus Anglicis expreſſerunt, quæ verſio *Popiana* fuit
Pag. prælata. Hinc illæ lachrymæ. Ad genus lyricum acceditur per
226-236. ſermonem de Oda, cujus fundamentum nondum eſſe conſtitutum, conqueritur Abbas noſter. Character ejus indicatur; An-
236-256. glorum Poeſis lyrica conſideratur; de variis ejus generibus
257-264. diſputatur. *Edmundus Wallerus Cromwellii* nomen oda ce-
264-270. lebravit vivi, & alia oda mortuum eum deploravit. Tyran-
271-300. nidem *Cromwellii* oda deteſtatus eſt *Cowleyus*, antea no-
301-314. minatus. Idem Poeta reſtitutionem *Caroli II* in regnum
315-323. cecinit. De libertate, quam Angli tantopere amant, idem odam compoſuit. Poſtquam reſtitutus Angliæ eſſet *Carolus II*, priores illæ calamitates redierunt. Hæ iterum excitarunt Poetas, inter quos non ultimum locum tenet *Matthias Prior*, de cujus vita quædam referuntur. Unde enata eſt hæc oda, quæ proxime accedere dicitur ad Carmen ſeculare *Horatii*. Exhibita fuit Calendis Januarii A. 1694 Regi, inſcri-
324-332. pta Hymnus ad Solem. Notæ cum dicto *Horatii* Carmine eam componunt. Notiſſima eſt conſpiratio contra *Wilhelmum III*, A. 1696 facta, qua detecta, idem exhibuit *Prior*
333-342. Regi odam, hic occurrentem. Idem dicavit odam memoriæ *Georgii Villierii*, qui ſupremus ſtabuli magiſter in fluvio Piava prope Venetias perierat. Imitandam ſibi ſumſit *Odam 28 Libri I Horatii*. *Georgius* etiam *Walshius*, magiſter ſtabuli
342-349. *Annæ* Reginæ, odis inclaruit. Laudes *Gulielmi III* & Reginæ *Annæ* ſibi elegit decantandas, imitatus *Od. 3 Lib. III Horatii*.
350-353. Alia Ducem *Marleboroughium* cecinit, imitatus *Horatii Lib. IV*
354 ſeq. *Odam 5*. Approbatio & privilegium, a Rege conceſſum, in fine legitur. Emenſi ſumus campum jucundiſſimum pariter ac utiliſſimum. Veriſſimum enim in perlegendo experti ſumus illud notiſſimum:

Et prodeſſe volunt & delectare Poetæ.

Applaudimus huic Operi, & Venerandi Abbatis fidem in vertendo laude omni dignam judicamus.

* * *

INDEX AUTORUM,

quorum Libri, aut Inventa, in hoc Volumine continentur:

I. *Libri Theologici, & ad Hiſtoriam Eccleſiaſticam ſpectantes:*

Abreſch (*Frid. Lud.*) *Annotationes ad quædam loca Novi Teſtamenti.* 26

Benedicti *XIV, P. M. de Synodo diœceſana Libri octo.* 97

Biblia parallelo-harmonico-exegetica, edita a Chriſtiano Frid. Wiliſchio. Partes IV. 145

quadrilinguia Veteris Teſtamenti, accurante M. Chriſtiano Reineccio. Volumen I. 433

Creopolitæ (*Tyrrhi*) *de Jeſu infante Oda Anacreontica.* 560

Cruſii (*Chriſtiani Aug.*) *Opuſcula philoſophico-theologica.* 368

Gerdeſii (*Dan.*) *Hiſtoria Reformationis.* Tomus III. 390

Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *Commentarius in N. Teſtamentum.* Pars I. 531

De Holberg (*Lud.*) *Hiſtoria Judaica, ex Danico ſermone in Germanicum converſa a* Ge. Aug. Dethardingio. Partes II. 437

Horrei (*Gerardi*) *Animadverſiones ſacræ, profanæ, ad ſelecta Novi Fœderis Scriptorumque exterorum loca.* 69

Von Hoven (*Jo. Dan.*) *Hiſtoria eccleſiaſtica pragmatica Novi Teſtamenti Specimen.* 73

Ikenii (*Conr.*) *Diſſertationes philologico-theologicæ in diverſa S. Codicis utriusque Teſtamenti loca.* 199

S. Juſtini, *Philoſophi & Martyris, Opera, quæ exſtant, omnia, opera & ſtudio unius ex Monachis Congregationis S. Mauri.* 625

Lupi (*Chriſtiani*) *Summum Romanæ Apoſtolicæ Sedis privilegium*

gium quoad evocationes ac appellationes Germanicas, Anglicas, Belgicas. 675
Mamachii (*Th. M.*) *Epiſtola IV de ratione temporum Athanaſianorum, deque aliquot Synodis, IV Seculo celebratis.* 449
Manſi (*Jo. Dominici*) *Sanctorum Conciliorum & Decretorum Collectio nova.* Tomus I. 241
Michaelis (*Jo. Dav.*) *Paraphraſis & annotationes in Epiſtolas Pauli, ad Galatas, Epheſios, Coloſſenſes, Theſſalonicenſes, Timotheum, Titum, & Philemonem, perſcriptas.* 152
Tantucci (*Ambroſii Anſani*) *Diſſ. theologica aeque ac critica, qua vindicatur congruenter Thomae Aquinati Catharina Senenſis ab illo, quod legitur in Abbatis Fleurii Hiſtoria eccleſiaſtica.* 714

II. *Libri Juridici.*

Anonymi Demonſtratio jurium Sedis Apoſtolicae in Ducatum Parmenſem & Placentinum. Volumina IV. 337
Ayreri (*Ge. Henr.*) *Opuſcula varii argumenti, edita a* Jo. Henr. Jungio. Tomi II. 691
Heumanni (*Jo.*) *Exercitationes Juris univerſi, praecipue Germanici.* 71
De Januario (*Joſ. Aurelii*) *Liber de Modis defendendi cauſas in foro vitioſis.* 619
Lupi (*Chriſtiani*) *Summum Romanae Apoſtolicae Sedis privilegium quoad evocationes ac appellationes Germanicas, Anglicas, Belgicas.* 675

III. *Libri Medici & Phyſici.*

Academiae Regiae Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis Hiſtoria. Annus 1746. 597
Annus 1747. 643
Albini (*Bernh. Siegfr.*) *Tabulae Sceleti & Muſculorum corporis humani.* 193
Barrere (*Petri*) *Specimen hiſtoriae naturalis Galliae aequinoctialis.* 426

Boſco-

Boſcovich (*Rogerii Joſephi*) *Diſſ. de Lumine.* 462
Breynii (*Jo. Phil.*) *Annotationes apologeticæ ad Hiſtoriam naturalem Cocci radicum.* 259
Columnæ (*Fabii*) *Diſſ. de Gloſſopetris.* 84
Conſtantini *Africani Viatici Libri VII pars, ex ed.* Jo. Steph. Bernardi. 589
Cruſii (*Chriſtiani Aug.*) *Introductio ad res naturales appoſite & caute meditandas.* Tomi II. 162
Dalibardi *Catalogus plantarum, quæ naſcuntur circa Pariſios.* 307
Fabbri (*Laur. Cajetani*) *Diſſertationes Toſcanæ de Febribus.* 516
Diſſ. tertia de quibusdam medicamentis, & morbis, & medendi methodo. 613
Fagliani (*Jo. Andr.*) *de Colorum generatione Libri tres.* 559
Gronovii (*Jo. Frid.*) *Index ſupellectilis lapideæ.* 703
Hoffmanni (*Frid.*) *Operum omnium phyſico-medicorum Supplementum.* Partes II. 529
Horrebovii (*Petri*) *Elementa Philoſophiæ naturalis.* 549
Junckeri (*Jo.*) *Conſpectus Chemiæ theoretico-practicæ.* Pars I. 161
Klein (*Jac. Theodori*) *Hiſtoria piſcium naturalis promovendæ Miſſus quartus & ultimus.* 456
Lazerme (*Jac.*) *Tractatus de Morbis internis capitis.* 362
Lieutaud (*Joſephi*) *Elementa Phyſiologiæ.* 553
Linnæi (*Caroli*) *Flora Lapponica.* 420
Ludewig (*Chriſtiani Gottlieb*) *Terræ Muſei Regii Dresdenſis.* 1
Miſcellanea phyſico-medica, ex Academiis Germanicis deprompta. Tomus I. 34
Planci (*Jani*) *Epiſtola de Monſtris, ac monſtroſis quibusdam.* 314
Ploncqueti (*Godofr.*) *de Corporum organiſatorum generatione disquiſitio.* 546
Reſponſa, ſeu Conſilia, præſtantium Medicinæ doctorum de morbo, qui Cardinalem A. M. Quirinum per quinque & amplius menſes lectulo affixum detinuit. 652

Digitized by Google

Scillæ (*Auguſtini*) *de Corporibus marinis lapideſcentibus, quæ defoſſa repcriuntur.* 84
Springsfeld (*Gottlob Caroli*) *Tractatus de Thermis Carolinis.* 697
Syneſius *de Febribus, ex ed.* Jo. Steph. Bernardi. 589
Theophraſti *Liber de Lapidibus, Græce, cum Latina interpretatione, & Notis* Jo. Hill. 131
De Violante (*Phil.*) *Tract. de Variolis & morbillis.* 454

IV. *Libri Mathematici.*

Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis Hiſtoria. Annus 1746. 597
Annus 1747. 643
Agneſi (*Mariæ Cajetanæ*) *Inſtitutiones analyticæ, in uſum juventutis Italicæ.* Tomi II. 605
Ex Bærmanni (*G. F.*) *Epiſtola ad F. O. M. Excerpta.* 134
Heinſii (*Godofredi*) *Obſervatio de Computo refractionum aſtronomicarum, ſub hypotheſi, radium lucis inſtar rectæ lineæ atmoſphæram trajicere.* 35
Illuſtratio eorum, quæ nuper de Computo refractionum aſtronomicarum in Actis expoſuit. 86
Mosdorffii (*Gottlieb Aug.*) *Theoria Speculorum cylindricorum & conicorum.* Pars I. 224
Pars II. 267
Pars III. 318
Stepling (*Joſ.*) *de Actione Solis in diverſis latitudinibus Obſervatio.* 609

V. *Libri Hiſtorici, Genealogici, Chronologici,* &c.

Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis Hiſtoria. Annus 1746. 597
Annus 1747. 643

Ano-

Digitized by Google

Anonymi Elogium Juſti Henningi Bœhmeri, Jureconſultorum Halenſium principis. 368
Avemanni (*H. F.*) *Completa deſcriptio generis Comitum Imperii & Burggraviorum Kirchbergenſium.* 688
Bandinii (*Ang. Mariæ*) *Elogium Guidonis Grandi, Mathematici præſtantiſſimi.* 189
Bruckeri (*Jac.*) *Miſcellanea Hiſtoriæ philoſophicæ.* 669
Daude (*Adriani*) *Hiſtoria univerſalis Romani Imperii, regnorum, & provinciarum.* Tomus I. 176
Dionis *Caſſii Hiſtoriæ Romanæ quæ ſuperſunt, ex edit.* Herm. Sam. Reimari. Volumen I. 49
Dreyhaupt (*Jo. Chriſtoph.*) *Pagus Neletici & Nudzici, ſeu Deſcriptio hiſtorico-diplomatica regionis Salanæ.* 481
Faleti (*Hieron.*) *de Bello Sicambrico Libri IV, ex ed.* Cornelii Valerii Vonck. 404
Heumanni (*Jo.*) *Commentarii de re diplomatica Imperatricum Auguſtarum, ac Reginarum Germaniæ.* 121
Holbergii (*Lud.*) *Hiſtoria Judaica, ex Danico ſermone in Germanicum converſa a* Ge. Aug. Dethardingio. Partes II. 437
Holdsworth *Pharſalia & Philippi, ſeu gemina Philippi Virgilii in Georgicis.* 661
Joſephi, *Hiſtorici Judæi, novæ interpretationis Gallicæ edendæ Specimen.* 139
Lowizii (*Ge. Mauritii*) *Deſcriptio completa, vel alterum Monitum de Globis magnis cœleſtibus & terreſtribus, quos actu elaborandos Societas Coſmographica Norimbergenſis curat.* 658
Markel (*Amidei Mariæ*) *Speculum virtutis & ſcientiæ, ſeu Viri illuſtres Ordinis Servorum B. M. V.* 558
Pocockii (*Rich.*) *Deſcriptio Orientis, & aliarum quarundam regionum.* Volumen I. 289
Volumen II. 577
Quirini (*Ang. Mariæ*) *Cardinalis Commentarii de rebus, ad ſe ipſum pertinentibus.* Pars I. 408
Xenophontis *de Cyri inſtitutione Libri octo, ex edit.* Thomæ Hutchinſoni. *Editio quarta.* 302

Digitized by Google

VI. *Libri Miſcellanei.*

Abreſch (*Frid. Lud.*) *Animadverſionum ad Æſchylum Libri duo.* 26
Academiæ Regiæ Scientiarum & elegantiorum literarum Berolinenſis Hiſtoria. Annus 1746. 597
Annus 1747. 643
Anonymi Succincta enarratio optimorum quorundam in Antiquitate Romana Scriptorum, qui typis denuo excuſi Berolini prodierunt. 428
Origo conſuetudinis ſalutandi, quando ſternutatur. 524
Amœnitates meliorum literarum. Tomus I. 476
Ayreri (*Ge. Henr.*) *Opuſcula varii argumenti, edita a* Jo. Henr. Jungio. Tomi II. 691
Bianconi (*Jo. Bapt.*) *de antiquis literis Hebræorum & Græcorum libellus.* 520
Bœhmii (*Jo. Gottlob*) *Carminum Latinorum Specimen.* 527
Bruckeri (*Jac.*) *Miſcellanea Hiſtoriæ philoſophicæ.* 669
De la Chauſſe (*Mich. Angeli Cauſſei*) *Romanum Muſeum, ſive Theſaurus eruditæ antiquitatis.* Tomi II. 385
Cruſii (*Chriſtiani Aug.*) *Opuſcula philoſophico-theologica.* 368
Dawes (*Rich.*) *Miſcellanea critica.* 411
Formey *Conſilia Bibliothecæ colligendæ, ſelectæ potius, quam numeroſæ. Editio altera, correcta & amplificata.* 621
Funccii (*Jo. Nic.*) *Diſſertationes Academicæ.* 135
Genuenſis (*Ant.*) *Elementorum artis Logico-Criticæ Libri V.* 185
Gratiani (*Ant. Mariæ*) *de Scriptis invita Minerva*
Volumen I. 17
Volumen II. 492
Gronovii (*Jo. Frid.*) *Index ſupellectilis lapideæ.* 703
Heringa (*Adriani*) *Obſervationum criticarum Liber ſingularis.* 212
Heſiodi *quæ exſtant, Orphei & Procli Hymni, omnia ab A. M. Salvini in Italicam linguam translata, nunc edita ab* Ant. Zanolino. 183
Holdsworth *Pharſalia & Philippi, ſeu geminæ Philippi Virgilii in Georgicis.* 661

Horrei (*Gerardi*) *Animadverſiones ſacræ, profana, ad ſelecta Novi Fœderis Scriptorumque exterorum loca.* 69
Lycurgi, *Oratoris Attici, quæ una reſtat, contra Leocratem Oratio, ex ed.* Jo. Gottfr. Hauptmanni. 705
De Maupertuis *Tentamen Coſmologiæ.* 655
Menckenii (*Frid. Ott.*) *Miſcellanea Lipſienſia nova.*
Voluminis VI Pars IV. 44
Voluminis VII Pars I. 285
Pars II. 709
Miglioruccii (*Lazari Bened.*) *Orationes.* 237
De la Motte (*Franc. Salignac*) *Fata Telemachi, Latino carmine reddita.* Volumina II. 364
Muſophili *Labyrinthus philoſophicus.* 548
Ruhnkenii (*Dav.*) *Epiſtola critica prima in Homeridarum Hymnos & Heſiodum.* 469
Sabbatini (*Lud. de Anfora*) *Epiſtola, qua vetuſtæ Inſcriptionis fragmentum, Neapoli nuper detectum, illuſtratur.* 558
Terentii *Comœdiæ, cum Notis Dacieriæ, ex edit.* Franc. Jac. Tholoſani. 673
Warburthoni *Tentamen philologicum de Hieroglyphis Ægyptiorum.* 497
Weſſelingii (*Petri*) *Epiſtola ad H. Venemam de Aquila in ſcriptis Philonis Judæi fragmentis, & Platonis Epiſtola XIII.* 23
Yart, *Abbatis, Idea Poeſeos Anglicanæ.* Tomus I & II. 716

INDEX
RERUM NOTABILIORUM.

A.

Abraxas, *nominis, in Gemmis obvii, vera ſignificatio.* 287
Academiæ *Petropolitanæ novum, literas juvandi, inſtitutum.* 96

Academiæ *Liturgica Conimbricenſis nova decora.* 97 ſeq.
Accentus *Græci proſcripti.* 483
Actionis *quantitas minimum eſt.* 657
Ægypti *regionis accuratior deſcriptio.* 290 ſeq.
antiquitates nonnullæ deſcriptæ. 300 ſeq.
Ægyptii, *antiquiſſimi ſcientiarum cultores.* 509 ſeq.
Æſchyli *dictio Græca examinata.* 30 ſeq.
In Æſchylum *variorum menta.* 27
De Africano (*Conſtantino*) *interprete Viatici, notitia.* 591
ejus Viatici verſio recens edita. 590 ſeq.
Agneſia (*Maria Cajetana*) *ob excellentem Matheſeos ſcientiam laudata.* 606 ſeq.
Albinus (*Bernh. Siegfr.*) *laudatus.* 193 ſeq.
De Amaſeo (*Gregorio*) *ſingularia.* 288
Analyticarum *Inſtitutionum opus novum.* 606 ſeq.
Anglorum *Poetarum Carmina nonnulla Gallice reddita.* 716 ſeq.
Animalium *ſenſus & motus explicatus.* 172 ſeq.
nutritio & vita unde? 174
Animalium *cultus origo quæ?* 511 ſeq.
Antiquitates *variæ in opus integrum collectæ.* 385 ſeq.
Apoſtoli *ad quos cœtus literas dederint?* 45
Apoſtolicæ *Conſtitutiones an ſint ab Apoſtolis confectæ?* 243
Sedis privilegium quoad evocationes ac appellationes Germanicas, Anglicas, & Belgicas, ſub judicium vocatum. 675 ſeq.
Appetitus *inſiti voluntatis humanæ quales?* 369
Appiano *in rerum Romanarum deſcriptione parum fidei tribuendum.* 666 ſeq.
De Aquilæ *in ſcriptis Philonis Judæi fragmentis controverſia diſceptata.* 23 ſeq.
Arcadum *Paſtorum celebriorum nomina.* 563 ſeq.
De Archipelagi *inſulis Græcis obſervationes.* 585 ſeq.
Architecturæ *Peruvianæ monumenta.* 605
Aretæi *locus emendatus.* 594
Argelati (*Phil.*) *novum opus premiſſum.* 564 ſeq.
Argenti *varia genera in claſſes redacta.* 703 ſeq.
Argentum *& Mercurium in acido vegetabili ſolvendi modus.* 599 ſeq.
Ariſtæneti *locus emendatus.* 594

Ariſtophanis *loca nonnulla ſub judicium vocata.* 70 ſeq.
varia emendata. 417 ſeq.
De Aſia *minori obſervationes.* 586 ſeq.
De Athanaſii *ætate controverſia inter Manſum & Marchium.* 451 ſeq.
Athenagoræ *Legatio denuo edita.* 629
Atmoſphæræ *refractivæ altitudo quomodo computetur?* 89
Auſtriacæ *gentis origo quæ?* 495
Autorum *veterum novæ editiones Berolinenſes commendatæ.* 428 ſeq.
De Azedo (*Eman.*) *in novum Summi Pontificis opus merita.* 97 ſeq.

B.

Balbini (*Bohuslai*) *ad Ott. Menckenium Epiſtola edita.* 48. 288
Baptiſmus *ignis qualis?* 208
Baſiliani *de ingenuis moribus libelli variæ lectiones.* 288
In Belgio *reformationis ſacrorum initia & incrementa deſcripta.* 390 ſeq.
Bellum *Sicambricum carmine deſcriptum.* 406
A Bergen (*Carolus Aug.*) *a Breynio refutatus.* 263
Bernardi (*Jo. Steph.*) *in Synopſium de Febribus merita.* 589 ſeq.
opus promiſſum. 596
Biblia *V. Teſt. quatuor linguis edita.* 433 ſeq.
Bibliothecæ *colligendæ ratio præſcripta.* 621
Bœhmeri (*Juſti Henn.*) *elogium.* 376 ſeq.
Bœhmii (*Jo. Gottlob*) *Carmina Latina laudata.* 527 ſeq.
De Boivinio (*Jo.*) *ſingularia.* 410
Boracis *nativæ natura & virtus indagata.* 256 ſeq.
Brandenburgicorum *Electorum res geſtæ deſcriptæ.* 604
Breynii (*Jo. Phil.*) *de cocco radicum tinctorio ſententia a variis approbata.* 262
vindiciæ ſui ipſius a Bergenii & E. F. Burghardi telis. 263 ſeq.
Bruckeri (*Jac.*) *opus promiſſum.* 672
in Hiſtoriam philoſophicam merita. 670 ſeq.
Buckinghamii *Ducis Carmina nonnulla Gallice reddita.* 720 ſeq.
Burchardus (*E. F.*) *a Breynio notatus.* 265 ſeq.

Digitized by Google

Burgi *S. Sepulchri, urbis, hiſtoria deſcripta.* 18
Burmannus (*Petrus*) *notatus.* 47

C.

Cæſaris (*Julii*) *Commentariorum nova editio laudata.* 430
Calabri (*Q.*) *locus emendatus.* 215
Callimachi *loca emendata.* 414 ſeq. 594
De Calmeto (*Auguſtino*) *ſingularia.* 409
Canonici *Juris Collectio deſcripta.* 692 ſeq.
Capitis *morbi interni qui?* 368
Carpani (*Joſephi*) *Carmina laudata.* 561 ſeq.
Catharina *Senenſis in poſſeſſione ſanctitatis vindicata.* 715 ſeq
Cauſas *in foro defendendi modi vitioſi deſcripti.* 619 ſeq.
Chorepiſcoporum *dignitas quæ?* 415
Chriſtianarum *antiquitatum novum opus deſcriptum.* 92 ſeq.
In Chriſtum *judicium capitale Judæorum injuſtitiæ convictum.* 286
Chriſtus *cum Moſe comparatus.* 149 ſeq.
Chronologiæ *principia definita.* 377
Chymiæ *ſyſtema editum.* 162
Ciceronis *loca quædam emendata.* 47
Operum nova editio deſcripta. 429 ſeq.
Cnephus, *vel Cnuphis, Ægyptiorum bonus dæmon.* 46
Cobaldi *qui?* 479
Cocci *radicum tinctorii hiſtoria naturalis illuſtrata.* 263 ſeq.
De S. Cœna *doctrina Pontificiorum an ex Juſtino Martyre probanda?* 637
Coimperatricis *elogium Theophaniæ olim datum.* 125
De Coleti (*Nic.*) *Collectione Conciliorum judicium.* 241 ſeq.
De Colorum *generatione Poema.* 550
Columnæ (*Fabii*) *Diſſ. de Gloſſopetris iterum edita.* 86
Cometarum *caudæ unde oriantur?* 600
Concilii *Chalcedonenſis verſio Latina an ſit antiqua?* 245
Conciliorum *nova Collectio inchoata.* 242 ſeq.
Corda *cur Deus ſibi immolari haud juſſerit?* 710
Cornelii *Nepotis nova editio commendata.* 430 ſeq.
Corporis *humani natura, partes, functiones, & reliqua attributa, explicata.* 554 ſeq.

Cor-

Corporum *doctrina explicata.* 165 ſeq.
attributa quæ? 165
Coſmologiæ *theoria nova.* 655 ſeq.
Cretæ *origo quæ?* 14
Crethi & *Plethi unde dicti?* 204
Criticæ *artis præcepta tradita.* 187 ſeq
Cruſius (*Chriſtian. Aug.*) *laudatus.* 163. 175
Cupri *ſolutio, diverſis menſtruis facta, quos producat colores?* 153 ſeq.
Curtii *editio nova commendata.* 431
Latinitas an adoleſcentibus ad imitandum proponenda? 672
Cypri *ſtatus hodiernus deſcriptus.* 583 ſeq.
Deus *in legibus ferendis Medicus.* 34
Dignitates *conferendi Reſervatum Cæſaris explicatum.* 81 ſeq.
Dio *Caſſius a plagii crimine vindicatur.* 55 ſeq.
Dionis *Caſſii loca varia emendata.* 60 ſeq. 215
Chryſoſtomi locus emendatus. 595
In Dionem *Caſſium merita variorum.* 50 ſeq.
Diplomata *Auguſtarum ſecundum ætates varias deſcripta.* 122 ſeq.
varia recens edita. 484 ſeq.
A Dreyhaupt (*Jo. Chriſtoph.*) *laudatus.* 482
ejus opera promiſſa. ibid.

D.

Dalibardi *methodus rei herbariæ inſtituendæ ſub judidicium vocata.* 307 ſeq.
Danicæ *reformationis ſacrorum initia quæ?* 400 ſeq
De Daweſio (*Rich.*) *judicium.* 411 ſeq.
Decori *divini quæ ratio?* 375 ſeq.
Deorum *ſimulacra antiqua collecta.* 387 ſeq.
Deum *nominibus appellandi mos reſtrictus.* 478

E.

Eccleſiæ *Apoſtolicæ origo deſcripta.* 77
Electricitatis *doctrina explicata.* 169
De Erotiani *Lexico Hippocratico judicium.* 214
Euripidis *loca emendata.* 29 ſeq.
Euſebii *locus difficilis explicatus.* 507

F.

Fabbri (*Laur. Cajet.*) *adverſus*

ſus Nov. lit. Florent. Autores vindiciæ. 613 ſeq.
Fabricii (*Jo. Alb.*) *in Dionem Caſſium merita.* 59 ſeq. 66 ſeq.
Bibliographia antiquaria notata. 74
Faletus (*Hieron.*) *Poeta excellens.* 405 ſeq.
ejus vita. 407
Febris, *vocis, ſignificatus qualis?* 517
quid ſit? 519. 616
Feneloni *liber de fatis Telemachi Latino carmine eleganter redditus.* 362 ſeq.
Feudi *vox quando primum orta?* 81
Fidejuſſio *militis quem habeat effectum?* 694
De Fontii (*Barthol.*) *Opuſculis ſingularia.* 48
Fractionum *rationalium integratio.* 601 ſeq.
Friderici *Severi, Marchionis Misniæ, expeditio auxiliaris in honorem Eduardi III deſcripta.* 712 ſeq.
Wilhelmi Magni vita. 650
De Fuco *muliebri quid ſentiat Scriptura ſacra?* 476 ſeq.

G.

Galliæ *æquinoctialis hiſtoria naturalis illuſtrata.* 427
Ganglium *unde?* 600
Gemmarum *color unde?* 133
antiquarum Theſaurus promiſſus. 142 ſeq.
veterum collectio. 387
Germanicæ *voces ex lingua Hebræa derivata.* 480
Germanici *Juris ſtudium quomodo utiliter tractari poſſit?* 77 ſeq.
De Germanis *judicium.* 494
Gianii (*Archangeli Mariæ*) *vita & ſcripta.* 160 ſeq.
Globorum *a Societate Coſmographica edendorum conſilium.* 662 ſeq.
Gloſſopetrarum *natura examinata.* 86
Gordonus (*Andr.*) *defenſus.* 253 ſeq.
Gorii (*Ant. Franc.*) *novum opus promiſſum.* 142 ſeq.
Græcarum & *Phœniciarum vocum harmonia.* 287. 710 ſeq.
literarum ratio ex antiquitate illuſtrata. 522 ſeq.
De Græcia *obſervationes.* 587 ſeq.
Grandi (*Guidonis*) *vita & elogium.* 189 ſeq.
Gratianæ *gentis hiſtoria & fortuna varia.* 19

Gra-

Gratiani (*Aloyſii*) *vita & peregrinationes deſcriptæ.* 20 ſeq.
(*Ant. Mariæ*) *vita, ab ipſo deſcripta.* 492
in Lutheranos iniquitas. ibid.
itinera varia. 492 ſeq.
Gravitas *corporum explicata* 166
Gremnerus (*Jo.*) *modeſte notatus.* 252
Gypſatiſſimæ *manus apud Ciceronem relegatæ.* 47

H.

Halæ *urbis hiſtoria plenius deſcripta.* 490 ſeq.
Hauptmanni (*Jo. Gothofr.*) *in Lycurgi Orationem merita.* 705 ſeq.
Ex Hebræa *lingua quæſtiones grammaticæ propoſitæ.* 713 ſeq.
Hebraïcarum *literarum ratio ex antiquitate illuſtrata.* 510 ſeq.
Heringa (*Adrian.*) *laudatus.* 213
Hermiæ *Irriſio gentilium Philoſophorum denuo edita.* 629
Hertha, *Dea, deſcripta.* 651
Heſiodus *a Salvino Italice redditus.* 184
paſſim emendatus. 474 ſeq.
Heumanni (*Chriſtoph. Aug.*) *in N. Teſt. annotationes variæ ſub modeſtum judicium vocatæ.* 532 ſeq.
Hieroglyphicorum *Ægyptiorum origo.* 498 ſeq.
ratio quando primum myſterioſa facta? 503 ſeq.
ad ſcientias occultandas utilitas. 509 ſeq.
Hilli (*Jo.*) *in Theophraſtum de Lapidibus merita.* 131 ſeq.
Hippocratis *loca varia emendata.* 216 ſeq. 218
Hiſtoria *univerſalis compendio deſcripta.* 176 ſeq.
eccleſiaſtica brevius expoſita. 179 ſeq.
naturalis Galliæ æquinoctialis illuſtrata. 427
philoſophica ſcriptis Bruckeri illuſtrata. 670 ſeq.
Hiſtoriæ *ſacræ dignitas a variis commendanda.* 73
ſtudioſis quæ inprimis commendanda? 75
Hoffmanni (*Frid.*) *ſcriptorum Supplementa edita.* 529 ſeq.
De Homeri *poeſi judicium.* 410
Homeridarum *Hymni emendati.* 470 ſeq.
Hondorfii *deſcriptio Salinarum Halenſium denuo edita.* 491

Horatii *Operum editio nova commendata.* 432
locus emendatus. 713
De Horreo (*Gerb.*) *judicium.* 69
Hutchinſoni (*Th.*) *in Xenophontem merita qualia?* 303

I.

Idololatriæ *vera origo quæ?* 514
De Jeſu *infante Ode Anacreontica.* 560 ſeq.
Ikenii (*Conr.*) *ſcripta promiſſa.* 212
Imperatorum & *imperii in Parmenſem & Placentinum Ducatus jura infirmis armis oppugnata.* 337 ſeq.
Imperatricum *Auguſtarum in Diplomatibus memoria conſervata.* 122 ſeq.
Inſcriptionis *antiquæ fragmentum explicatum.* 558 ſeq.
De Inſulis *Græcis Archipelagi obſervationes.* 585 ſeq.
Intellectus *corruptelæ unde pendeant?* 369
Joſephi, *Hiſtorici, nova verſio Gallica, & in eum novus Commentarius, promiſſus.* 140 ſeq.
locus emendatus. 142
Judæorum *ſtatus Chriſto vivente miſerrimus.* 76
in Chriſtum judicium capitale injuſtitiæ convictum. 286
ſacra antelucana deſcripta. ibid.
Judaici *populi plenior hiſtoria deſcripta.* 437 ſeq.
Juramentorum *prohibitio Chriſti explicata.* 537
Juris *Germanici ſtudium quomodo utiliter tractari poſſit?* 77
Canonici Collectio deſcripta. 692 ſeq.
Juſtini, *Hiſtorici, editio nova commendata.* 431
Juſtinus *Martyr recens editus.* 626 ſeq.
in eum variorum merita. 627 ſeq.
male deſenſus. 631 ſeq.
Platoniſmi quam maxime ſuſpectus. 634 ſeq.
ejus vita & ſcripta. 640 ſeq.
Juvenalis *editio nova commendata.* 432

K.

Kirchbergenſium *Comitum genealogica deſcriptio.* 688 ſq.
Kleinius (*Jac. Theodor.*) *laudatus.* 462
ejus vindiciæ ſui ipſius adverſus Backium. ibid.

L.

Lapidefactorum *corporum natura qua?* 84
— *origo unde?* ibid.
Lapidum *doctrina ex Theophraſto explicata.* 131 ſeq.
— *collectio Gronoviana.* 703
Lapponicæ *plantæ ſecundum ſyſtema ſexuale ordinata.* 421 ſeq.
Lapponicum *monumentum antiquum deſcriptum.* 651
Legum *interpretes barbari qui?* 620
— *elegantiores qui?* 621
Lentium *objectivarum perfectio.* 643
Leonis *IV Homilia variè a variis edita.* 256
Libri *præ aliis qui commendandi?* 622 ſeq.
De Libris *rarioribus ſingularia.* 48. 287 ſeq. 711
— *probandis reprobandisque Decreti, in Concilio Romano confecti, quis Autor?* 245 ſeq.
De Linguis *varia notata.* 83
Linnæi (*Car.*) *in colligendis plantis Lapponicis ſtudium laudatum.* 421
De Linnæi (*Car.*) *rei herbariæ inſtituendæ methodo judicium.* 307 ſeq.
Literarum *Hebraicarum & Græcarum ratio ex antiquitate illuſtrata.* 520 ſeq.
Logicæ *artis præcepta tradita.* 185 ſeq.
— *de ea qui bene meriti?* 186
Logicam *tractandi ratio quæ optima?* 253 ſeq.
Lowizii *de Globis edendis conſilium.* 658 ſeq.
Lucernæ *antiquæ collectæ.* 389
Lumen *an recta via progrediatur?* 463 ſeq.
Lupi (*Chriſtiani*) *de Privilegio Sedis Apoſtolicæ liber inter ineptiſſimos numerandus.* 676 ſeq.
Lycurgi, *Oratoris Attici, vita.* 705 ſeq.
— *Oratio in Leocratem edita, illuſtrata, & emendata.* 706 ſeq.
Lyſiæ *locus emendatus.* 594

M.

Magdeburgici *Ducatus regio Salana plenius deſcripta.* 482 ſeq.
Magdeburgicorum *Archiepiſcoporum ſeries.* 484 ſeq.
Magiſtri (*Th.*) *de Vocab. Att. nova editio promiſſa.* 596
Magnetis *phænomena explicata.* 171
Ad Maittairii *Annales typographi-*

phicos Supplementa. 48. 287 ſeq. 711
Malorum citreorum in medicina præſtantia. 35
Mamachii (Thomæ Mariæ) origines Chriſtianæ deſcriptæ. 92 ſeq.
cum Manſo controverſia. 449 ſeq.
De Mancinelli (Ant.) libris ſingularia. 711
Manſi (Jo. Dominici) nova Conciliorum Collectio commendata. 242
cum Mamachio controverſia. 449 ſeq.
Materia motrix & iners. 549 ſeq.
De Mathildica donatione, Imperatori facta, judicium. 357 ſeq.
Medicæ Germanorum Diſſertationes conjunctim editæ. 34 ſeq.
Medicamentorum formulas concinnandi methodus. 531
Memnonis ſtatua quo in loco reperiunda? 296
Menckenii (Ott.) ad Balbinum Epiſtola edita. 48
Mercurii uſus in cura febrium ſuſpectus. 617
Mercurium & argentum in acido vegetabili ſolvendi modus. 698 ſeq.
Migliorucci (Lazari Bened.) vita & ſcripta. 238
Orationes commendatæ. 239
Militis fidejuſſio quem habeat effectum? 694
Milleri (Jo. Petri) in edendis Autoribus Latinis ſtudium laudatum. 429 ſeq.
Minutius Felix emendatur. 710 ſeq.
De Monetis Italiæ variorum Diſſertationes promiſſæ. 564 ſeq.
Monſtrorum genera tria. 315
In Morbis tollendis quem therma Carolina uſum præſtent? 701 ſeq.
Morbus Card. Quirini deſcriptus, & Reſponſis Medicorum examinatus. 652 ſeq.
Moſes cum Chriſto comparatus. 149 ſeq.
Motus doctrina explicata. 164 ſeq.
leges ex principio minimæ actionis deductæ. 602 ſeq.
corporum cæleſtium theoria. 644 ſeq.
Muſculorum corporis humani icones repræſentatæ. 194 ſeq.
Muſeum Regium Dreſdenſe deſcriptum & laudatum. 1 ſeq.
Muſicæ veteris inſtrumenta quæ? 388 ſeq.

Digitized by Google

N.

Neutoni (*Henr.*) *laus.* 551
Nigritarum *color unde?* 31
Nocturnæ *ſecuritatis conſervandæ cura veterum Græcorum & Romanorum.* 83 ſeq.
Novilunii & *plenilunii verum momentum inveniendi methodus.* 646 ſeq
Nummus, *Mariam Thereſiam Auguſtam repræſentans.* 122
Nutricis *bonæ requiſita.* 35

O.

Obſignationis *ſacræ quæ ratio?* 477
Oenopidæ *Chii vita.* 604
Ordinis *Servorum B. M. V. Viri illuſtriores deſcripti.* 158 ſeq.
Organiſatorum *ortus.* 546 ſeq.
Orphei *Hymni Italice a Salvino redditi.* 184
Oſſium *corporis humani imagines repræſentatæ.* 195

P.

Palæſtinæ *urbes & vici deſcripti.* 46
— *ſtatus hodiernus deſcriptus.* 577 ſeq.
Circa Pariſios *naſcentes plantæ deſcriptæ.* 307 ſeq.
In Parmenſem & *Placentinum Ducatus jura Pontificis quæ?* 337 ſeq.
Pataici *Dii qui?* 604
Pauli *Epiſtolæ breviores explicatæ.* 152 ſeq.
Perſii *Satirarum editio nova commendata.* 432
Petronii *loca emendata.* 47
Pherecydis *Syri vita.* 650
Philippi, *urbes duæ apud Virgilium.* 661 ſeq.
Philipſi, *Poetæ Angli, Carmina Gallice reddita.* 716 ſeq.
Philoſophia *JCtorum hodierna qualis?* 695 ſeq.
In Philoſophia & *Theologia an idem ſit verum?* 373 ſeq.
Philoſophica *Hiſtoria illuſtrata.* 670 ſeq.
Philoſtrati *locus emendatus.* 713
Phlogiſton *corporibus omnibus ineſt.* 597
Phœniciarum & *Græcarum vocum harmonia.* 287. 710 ſeq.
Phoſphori *rarioris genus.* 317 ſeq.
Phyſica *doctrina compendio tradita.* 162 ſeq.
Phyſiologiæ *elementa ſecundum recentiorum experimenta explicata.* 553 ſeq.
Pindarus *paſſim emendatus.* 412 ſeq.
De Pipini *erga ſedem Romanam liberalitate quid ſentiendum?* 352
Piſces, *per branchias apertas ſpirantes, accuratius deſcripti.* 457 ſeq.

Plantæ, *quæ naſcuntur circa Pariſios, deſcriptæ.* 307 ſeq.

— *Lapponicæ ſecundum ſyſtema ſexuale ordinatæ.* 421 ſeq.

Plantarum *ordinandarum methodus Linnæana an præferenda Tourneſortianæ?* 307 ſeq.

Platoni *an Chriſtianæ doctrinæ imitatio ſit tribuenda?* 632 ſeq.

Platonis *Epiſtola XIII an ſit genuina?* 25 ſeq.

Platoniſmi *quam maxime ſuſpecti Patres, & in his Juſtinus.* 634 ſeq

Pocockii (*Rich.*) *itinera deſcripta.* 289 ſeq. 577 ſeq.

Poeſeos *laudes.* 405

Poetæ *veteres ab ignorantia rerum hiſtoricarum vindicati.* 662

Poetarum *Anglorum Carmina nonnulla Gallice reddita.* 716 ſeq.

Pollux *variis in locis emendatus.* 216. 218

Polonia *deſcripta.* 496

Pontificis *jus in Parmenſem & Placentinum Ducatus qualitercunque vindicatum.* 337 ſeq.

Porphyrii *de innocentia Chriſti teſtimonium explicatum.* 476

Poterii (*Petri*) *Opera denuo edita.* 530

Problematis *mathematici ſolutio.* 135

Procli *Hymni Italice a Salvino redditi.* 184

Provocationes *Germanorum, Anglorum, & Belgarum, in rebus ſacris ad Sedem Apoſtolicam fruſtra afferta.* 675 ſeq.

Pruſſia *deſcripta.* 495

Pſellus *an fuerit Medicus?* 596

— *ejus de oper. dæm. locus emendatus.* 595

Pſeudogalena *Zinci matrix.* 599

Pubertatis *in teſtamentis condendis terminus definitus.* 79

Q.

Quitini (*Ang. Mariæ*) *Card. vita ab ipſo deſcripta.* 408 ſeq.

— *morbus Reſponſis Medicorum exploratus.* 652 ſeq.

R.

Rationis *ſufficientis principium juſtis limitibus reſtrictum.* 371 ſeq.

Recurſus *ad comitia an penitus ſublatus?* 694 ſeq.

Reformationis *ſacrorum in Belgio, Suecia, & Dania, quæ initia fuerint & incrementa?* 390 ſeq.

Refractionum *aſtronomicarum computus.* 35 ſeq
Reimari (*Herm. Sam.*) *in Dionem Caſſium merita.* 55 ſeq.
Reineccii (*Chriſt.*) *in edendo quatuor linguis Vet. Teſt. ſtudium commendatum.* 433 ſeq.
Ad Relandi (*Adr.*) *de Urbibus & Vicis Palæſtinæ librum Supplementa.* 46
Remorum *vis definita.* 647 ſeq.
Ruhnkenii (*Dav.*) *in Homeridarum Hymnos & Heſiodum merita.* 470 ſeq.

S.

Sacra *antelucana Judæorum deſcripta.* 286
Salanæ *regionis hiſtoria plenius deſcripta.* 482 ſeq.
Salinarum *Halenſium deſcriptio Hondorfiana denuo edita.* 491
Salvini (*Ant. Mariæ*) *in Græcis Italice vertendis peritia laudata.* 184
Salutandi *ſternutantes mos ex antiquitate illuſtratus.* 525 ſeq.
De Sanadonio (*Natale*) *ſinguria.* 409
Sardicenſis *Synodus quando celebrata?* 452 ſeq.
Sceleti *humani variæ figuræ in tabulis collectæ.* 195 ſeq.
Scholaſticorum *nugæ deriſæ* 252
Scriptura *S. cum annotationibus Wiiiſchianis edita.* 145 ſeq.
Scripturæ *S. loca parallela collecta.* 147 ſeq.
explicata, aut illuſtrata:
Gen. I, 1. 148
3. ibid.
7. ibid.
27. 149
II, 1. 24
V, 1. 533
IX, 25. 24
XII, 12. 155
XIV. 155
XV, 7. 526
XVI, 2. 24
15. 23
XVII, 1. 200
4. 5. ibid.
15. ibid.
XXIV, 22. 476
XXVIII, 18 ſeq. 200. 202
XXXI, 47. 520
XXXII, 28. 24
XXXIII, 19. 202
XXXV, 1 ſeq. ibid.
XLI, 4. 24
XLVII, 22. 202
XLVIII, 22. 200
XLIX, 10. 444
Exod. I, 16. 155
22. 150
II, 2. 149

Exod. II, 5, 6.	150	*Deut. XII, 5 ſeq.*	207
III, 13.	149	*13.*	641
2 ſeq.	150	*XIII, 6.*	537
15.	ibid.	*XVI, 8.*	200.
IV, 30, 31.	ibid.		202
VII, 11 ſeq.	ibid.	*XXIII, 19.*	200.
14.	ibid.		203
XIII, 2.	206	*XXXII, 5.*	149
6, 7.	202	*XXXIII, 1.*	150
XIV, 1 ſeq.	149	*5.*	151
XVIII, 16.	ibid.	*XXXIV, 5.*	ibid.
19.	150	*Joſ. III, 19.*	46
XXI, 5, 6.	206	*33.*	477
XXV, 39.	25	*VI, 17.*	155
XXIX, 26.	149	*XI, 17.*	200
XXXII, 11, 12.	ibid.	*XII, 7.*	ibid.
32.	149.	*Judic. X.*	501
	150	*XX, 18.*	202
XXXIV, 28.	150	*26.*	ibid.
XXXIX, 43.	149	*XXI, 2.*	ibid.
Lev. VIII, 29.	151	*4.*	ibid.
XII, 6.	562	*1 Sam. I, 11.*	206
8.	ibid.	*VI, 7.*	200.
XIX, 19.	24		204
Num. XI, 15.	150	*XVIII, 3.*	480
XII, 1.	ibid.	*10.*	440
3.	149	*2 Sam. VI, 2.*	200.
6 ſeq.	150		204
7.	149	*VIII, 18.*	200
	151	*XV, 18.*	ibid.
8.	149	*XX, 7.*	ibid.
XIV, 3.	151	*23.*	ibid.
19, 20.	149	*XXIII, 1 — 8.*	478
XVI, 1 ſeq.	150	*15 ſeq.*	200.
3.	ibid.		205
XXII, 23.	155	*1 Reg. VI, 16 ſeq.*	200
XXXI, 23.	208	*VII, 1 ſeq.*	206

2 Reg. IV, 35. 525
VI, 16. 205
XI, 4. ibid.
XVII, 31. 200
XXIII, 5. ibid.
1 Chron. X, 17. 205
XI, 17 ſeq. 200
2 Chron. XIV, 9. 10. 502
Eſr IX, 6. 480
Job. XIV, 5. 210
XXXVII, 23. 201
Pſ. XVIII, 17 ſeq. 149
XXVII, 1. 480
2. 205
XXVIII, 2. 200
XXXI, 13. 208
XXXIX, 6. 604
XL, 7. 200
206
13. 151
XLI, 10. 150
XLV. 477
3. 149
XLIX, 2, 3. 204
LXIX, 1, 2. 149
10. ibid.
LXXXVI, 5. 24
CVI, 32. 149
CXLVI — CXLVIII. 411
Prov. VIII, 34. 212
Eccleſ. III, 1 ſeq. 210
Cant. I, 1. 148
II, 14. 204
VI, 7, 8. 148
VII, 5. 207
VIII, 11. 200
206

Eſ. I, 13. 203
VIII, 16. 477
XI, 2. 149
6 — 9. 204
17. 206
XII, 7. ibid.
XIX, 18. 200.
207
XXXIV, 14. 479
XLII, 1. 149
XLV, 23. 457
XLIX, 1. 206
5. ibid.
L, 4, 5. ibid.
6. 543
LII, 13. 149
LIII, 7. 150
LIV, 1. 202
Jer. XXXV. 501
Ezech. IX, 4, 5. 477
XVI, 11 ſeq. ibid.
34. 203
41. ibid.
Dan. III, 4, 5. 511
Hoſ. II, 14. 480
IX, 13. 46
X, 5. 200
XII, 4 ſeq. ibid.
14 ſeq. 207
Amoſ. VIII, 9. 200.
208
Mich. I, 7. 203
Mal. I, 6. 544
II, 2. ibid.
12. ibid.
III, 5. ibid.
7. ibid.

Mal. IV, 1.	544	*Matth. XXI, 25.*	540
5.	544.	*XXII, 3.*	ibid.
	642	*20.*	541
Sir. X, 12.	480	*21.*	351
2 Maccab. XIII, 14, 15.	539	*XXIII, 33.*	541
Matth. II, 13, 14.	150	*36.*	ibid.
III, 4 — 7.	534	*XXIV, 22.*	ibid.
6.	32	*23 — 26.*	542
11.	32. 200.	*30.*	ibid.
	208	*XXV, 34 — 45.*	204
13 — 15.	376	*XXVI.*	542
16, 17.	150	*XXVII, 6.*	203
IV, 1 ſeq.	ibid.	*11, 12.*	642
V, 1.	533	*36.*	66
3.	536	*46.*	151
16.	540	*Marc. I, 8.*	208
18.	201.	*40.*	32
	209. 533	*II, 13.*	544
19, 20.	533	*14.*	54[illegible]
22.	538	*IV, 36.*	544
39.	542	*VI, 3.*	150
VI, 2.	201.	*9.*	544
	209	*VII, 4.*	208
24.	204	*34.*	480
VII, 29.	151	*IX, 9.*	642
VIII, 17.	533	*11.*	641
IX, 8.	538	*12, 13.*	544
9.	544	*X, 6.*	149
X, 3.	ibid.	*XI, 12 ſeq.*	201
XI, 19.	150	*XIV, 3.*	545
29.	149	*61.*	46
XVI, 14.	539	*65.*	543
XVII, 3.	150	*Luc. I, 17.*	643
18.	539	*68.*	46
XIX, 4.	149	*II, 22.*	535
30.	540	*24.*	562
XXI, 18 ſeq.	201	*III, 1.*	181

Luc

Digitized by Google

Luc. III, 16. 200.
208
V, 27. 544
VI, 20. 536
24. ibid.
VII, 33. 534
IX, 39. 544
X, 1. 150
17. ibid.
XV, 22. 544
XVI, 17. 201.
209
XVIII, 13. 480
33. 150
XIX, 47. 544
XXII, 66. ibid.
XXIV, 44. 201.
210
Jo. I, 1. 148
29. 201.
210
32. 535
33. 208
II, 46. 151
III, 34. 150
V, 19. 46
VI, 1. 357
27. 477
VIII, 58. 150
IX, 39. 643
XI, 42. 149
XII, 6. 32
XIII, 1. 149
XVIII, 31. 76
37. 151
Act. VII, 22. 149.
150
Act. VII, 35. 149
38. ibid.
VIII, 27. 66
IX, 15. 208
X, 11. 535
XIII, 7. 66
XV, 107
20. 155
29. ibid.
XVI, 12. 668
XVII, 4. 24
21—31. 210.
642
XX, 5. 212
29. 30. 156
XXVII, 21. 642
Rom. I, 16. 17. 204
II, 18. 156
IV, 3. 536
11. 477
V, 10. 151
VIII, 16. 477
IX, 5. 150
22. 23. 208
XI, 3. 45
22. 204
29. 24
XIII, 1. 351
XV, 19. 536
1 *Cor.* I, 6. 477
VI, 11. 204
VII, 14. 147
IX, 24. 643
XI, 3—15. 357
7. 149
2 *Cor.* I, 21. 477
III, 18. 201

2 Cor.

Digitized by Google

2 Cor. IV, 6. 148
V, 20. 480
VII, 10. 24
Gal. II. 182
6. 153.
156
7. 45
17. 153
III, 13. 149
15. 154
19. 149
20. 154
IV, 1. ibid.
4. 155
22—24. 200
Eph. I, 13. 477
II, 2. 151
8. 480
14. 155
18. ibid.
III, 9. ibid.
19. 156
IV, 10. ibid.
24. 149
V, 3. 4. 375
VI, 2. 154
VII. 456
Phil. I, 5. 156
II, 5. 157
6 ſeq. 149
11. 157
IV, 11. ibid.
15. ibid.
22. 710
Col. I, 16. 148
25. 536
II, 3. 150

1 Theſſ. II, 18. 642
1 Tim. II, 5, 6. 149
9. 476
13. 149
2 Tim. II, 21. 208
Tit. II, 2. 375
III, 5. 157
Philem. v. 18. 157
2 Pet. III, 5. 148
15. 45
1 Jo. V, 8. 477
Hebr. II, 10. 376
III, 2. 150
5. 151
X, 5. 200
XI, 24 ſeq. 149
XII, 27. 201.
211
Apoc. III, 12. 477
20. 201
212
VII, 3 ſeq. 477
XII, 1. 542
XIV, 1 ſeq. 477
XV, 1. 542
XIX, 1. 480
XXII, 4. 477
Securitatis *nocturnæ conſervandæ cura Græcorum & Romanorum.* 81 ſeq.
Sermonis *humani origo unde?* 501
A Serpentibus *vermibusque ſepulcralibus an homo poſt mortem devoretur?* 480
Scambricum *bellum carmine deſcriptum.* 406
Si-

Sigillatæ *terræ Muſei Regii Dresdenſis deſcriptæ.* 12 ſeq.
Solis *actio in diverſis latitudinibus.* 609 ſeq.
Speculorum *conicorum & cylindricorum theoria.* 224 ſeq. 267 ſeq. 318 ſeq.
Statua *Memnonis quo in loco reperiunda?* 296
Sternutantes *ſalutandi mos ex antiquitate illuſtratus.* 525 ſeq.
Suburbicariæ *regiones quæ?* 111
Suecicæ *reformationis ſacrorum initia & incrementa deſcripta.* 398 ſeq
Superintendentes *noſtri veri ſunt Epiſcopi.* 693
Superintendentium *Adjuncti unde orti?* ibid.
Syneſius *de Febribus cum Notis editus.* 589 ſeq.
Synodi *diœceſanæ appellationes variæ.* 107
origo quæ? 109
huic qui debeant intereſſe? 112 ſeq
De Synodis, *ab Editoribus Conciliorum neglectis, Diſſ.* 246
De Synodo *diœceſana argumentum explicatum.* 98 ſeq.
Synodus *Sardicenſis quando celebrata?* 452 ſeq.
Syriæ *ſtatus hodiernus deſcriptus.* 579 ſeq.

T.

De Telemachi *fatis liber Latino carmine redditus.* 362 ſeq.
ejus argumenta enarrata. ibid.
Teleſcopiorum *vitra objectiva quomodo perficienda?* 648
Terentiani *Mauri loca emendata.* 412 ſeq.
Terentii *editio nova commendata.* 431
interpretatio Dacieriæ Gallica denuo edita. 673 ſeq.
Terræ *Muſei Regii Dresdenſis deſcriptæ, & in claſſes redactæ.* 2 ſeq.
ſigillatæ ejusdem Muſei deſcriptæ. 12 ſeq.
Terrarum *natura, varia genera, horumque ſpecies, explicatæ.* 3 ſeq.
uſus medicus. 15
Teſtamenti, *apud Acta nuncupandi, ratio explicata.* 80
N. Teſtamenti *loca quædam explicata.* 29
In Teſtamentis *condendis quæ magiſtratus autoritas?* 79 ſeq.
Ex Teſtamentorum *doctrina varia.* 80
Ad Teſtamentum *condendum quæ pubertas requiratur?* 79
Teſtamentum *Vetus quatuor linguis editum.* 433
Thebæ *Ægyptiæ accuratius deſcriptæ.* 295

Digitized by Google

In Theologia *& Philoſophia an idem ſit verum?* 373 ſeq.
Theophili *tres ad Autolycum Libri denuo editi.* 629
Theophraſti *de Lapidibus liber Anglice verſus.* 130
— *explicatus.* 130 ſeq.
— *Characterum locus emendatus.* 594
Thermæ *Carolinæ plenius deſcriptæ.* 697 ſeq.
Tholoſani (*Franc. Jac.*) *in Terentium merita.* 673 ſeq.
De Thracia *obſervationes.* 58 ſeq.
Turcici *imperii hiſtoria compendio tradita.* 22

V. U.

Variolarum *natura, & eas curandi methodus.* 454 ſeq.
Vau, *conſonantis, vel aſpirationis, in ſermone Homerico virtus aſſerta.* 415 ſeq.
De Vergerii (*Petri Pauli*) *de ingenuis moribus ſingularia.* 287 ſeq.
Vermium, *qui ex coccis prodeunt, geneſis quæ?* 263 ſeq.
Vicarii *Epiſcopi quæ dignitas & jura?* 117 ſeq.
Vicedominorum *formula vetus illuſtrata.* 692
Virgilius *ab ignorantia rerum hiſtoricarum vindicatur.* 662
— *ejus loca in Georgicis explicata.* 661 ſeq.
— *locus in Eclogis emendatus.* 713
Vis, *vocabulo, quæ notio ſubſit?* 656
Voluntatis *humanæ appetitus inſiti quales?* 369 ſeq.
Vorſkii (*Cornel. Valer.*) *opus promiſſum.* 407

W.

Waliſchii (*Chriſtiani Frid.*) *in Scripturam Sacram merita.* 145 ſeq.

X.

Xenophon *ab Hutchinſono mediocri diligentia tractatus.* 303 ſeq.
— *ejus loca quædam emendata.* 304 ſeq.

Z.

Zanolini (*Ant.*) *in Heſiodum & Orphei Hymnos merita quæ?* 184
Ziani (*Andreæ*) *vita & ſcripta.* 160

Operarum errores inter legendum nobis hi ſunt obſervati: *Pag.* 141 *lin.* 34 pro *Codidices* leg. *Codices; pag.* 185 *lin.* 16 pro *efci* leg. *effici; pag.* 244 *lin.* 28 pro *quendem* leg. *quendam; pag.* 272 *lin. pen.* pro *exbibet* leg. *exhibet; pag.* 424 *lin.* 23 pro *itnere* leg. *itinere; pag.* 532 *lin.* 11 pro *exgetici* leg. *exegetici; pag.* 540 *lin.* 2 pro *circumſtanter* leg *circumſtantes; pag.* 661 *lin.* 24 pro *Phlippenſem* leg. *Philippenſem; pag.* 663 *lin.* 6 pro *Pompejii* leg. *Pompeji.*

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google